ACTA
SANCTAE SEDIS

IN COMPENDIUM OPPORTUNE REDACTA ET ILLUSTRATA

STUDIO ET CURA

IOSEPHI PENNACCHI ET VICTOMI PIAZZESI

IURIS UTRIUSQUE DOCTORUM

SEU

Acta iuridica et solemniora ex Supremo Romano Pontifice immediate dimanantia: acta inter ea quae publici fieri possunt iuris, sive sint Decreta, sive Instructiones, sive Responsa, et alia huiusmodi; praesertim vero Causarum expositiones et resolutiones ex variis BE. Cardinalium Sacris Congregationibus, ad ecclesiastici iuris accuratam intelligentiam et observantiam conferentes, in compendium diligenti studio redactae: alia denique iuridica, quibus opportune illustrantur quae in expositis actis vel difficultatem parere possint, vel ad vigentis iuris notitiam ulterius conducant: in utilitatem eorum qui in Ecclesiae legibus studiose dignoscendis, et in regimine christiani gregis, vel in colenda Domini vinea sedulo adlaborant.

Volumen IX

ANNO 1876

EDITIO TERTIA

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA VATICANA

MCMXV

Reprinted with the permission of Libreria Editrice Vaticana

JOHNSON REPRINT CORPORATION
111 Fifth Avenue, New York, N. Y. 10003

JOHNSON REPRINT COMPANY LTD.
Berkeley Square House, London, W. 1

First reprinting, 1968, Johnson Reprint Corporation
Printed in the United States of America

EX VATICANO

Litterae Apostolicae SS. D. N. Pii Papae IX ad ducem Salviati, aliosque e Consociatione Catholica Itala.

DILECTIS FILIIS DUCI SCIPIONI SALVIATI, EQUITI TORQUATO IOANNI ACQUADERNI, ET ALIIS A CONSOCIATIONE CATHOLICA ITALA.

PIUS PP. IX.

DILECTI FILII, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Gaudemus, Dilecti Filii, steriles non fuisse conventus vestros ; nam, praeter utilitates a Veneto partas, videmus etiam a Florentino confirmatum nobile insigne vestram *fide et operibus* in eo programmate, quo socios vestros excitare decrevistis ad leniendas Ecclesiae aerumnas eiusque iura legali ratione defendenda. Profecto quidquid in eo proposuistis adeo convenit desiderio Nostro, ut haud raro in publicis, quos habuimus, sermonibus eadem vota significaverimus. Gratissimum itaque Nobis erit, si quotquot nomen dederunt catholicis Italiae consociationibus petitiones, industriam, operam eo, quo par est, prudenti studio, conferant unanimi nisu ad illa assequenda; ut, adiuvante Deo, possint averti, aut mitigari saltem, tot mala, quae perniciem minitantur religioni et moribus. Fastum idcirco adprecamur exitum consilio vestro; ac interim superni favoris auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae pignus vobis, Dilecti Filii, sodalibus vestris universis et iis omnibus qui proposito vestro suffragatum

erunt, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII novembris anno MDCccLxxv, Pontificatus Nostri anno tricesimo.

PIUS PP. IX.

Litterae Apostolicae SS. D. N. Pii Papae IX ad Archiepiscopum Taurinensem, aliosque Ordinarios.

VENERABILIBUS FRATRIBUS ARCHIEPISCOPO TAURINENSI, ET EPISCOPIS PAPIENSI, AQUENSI, BOBIENSI ET DERTHONENSI.

PIUS PP. IX.

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Gratum fuit Nobis vestrae dilectionis officium, quo Nos in partem sanctae laetitiae, quam exeunte superiori mense estis experti, vocastis annunciantes Nobis fidem et religionem civium Derthonensium populique in Liguriae finibus degentis, qui praeclaro vestro exemplo et Cleri Dioecesani zelo permoti solemnia Sancti Martiani proto-Episcopi Derthonensis et Martyris pientissime celebraran! In hisce enim tribulationis et gravis dimicationis diebus, in tanta hostium nequitia ea quae declarant firmum vinculum quo inter se et cum Apostolica hac Sede nectuntur Ecclesiarum Pastores, quaeque Fidelium inter se caritatem et pia studia deprecandi Deum ac Sanctos Eius ostendunt, non possunt non afferre Nobis dulcem fructum consolationis. Quapropter Vobis, Venerabiles Fratres, de pio vestro conventu, simulque Clero ac Fidelibus omnibus, qui vestra exempla religiose secuti sunt, gratulamur, et pro officio quod erga Nos praestitistis gratum animum sincere profitemur. Speramus autem glorias

Martyrum Christi quas devote recoluistis, uti in vobis sacerdotalis virtutis robur aiunt, ita pariter apprime profuturas Populo Fideli, ut discat viriliter resistere malo, et ad eam Fidei amplitudinem assurgere, per quam Sancti vicerunt regna, operati sunt repromissiones. Hoc summis votis a Deo bonorum omnium auctore per merita Sanctorum Eius imploramus, ac in omnium gratiarum auspicium et in pignus praecipuae benevolentiae Nostrae Apostolicam Benedictionem vobis singulis universis et gregibus cuique vestrum curae concreditis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die x novembris anno MDCCCLXXV, Pontificatus Nostri anno tricesimo.

PIUS PP. IX.

litterae Apostolicae SS. D. N. Pii Papae IX ad Sacerdotem Taurinen. Ioannem Bosco, qui primos Missionarios in Rempublicam Argentinam misit.

PIUS PP. IX.

DILECTE FILI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Binas litteras exeunte octobre mense a te datas libenter excepimus, et missionarios quos nobis commendabas cum dilecto filio Ioanne Baptista Gazzolo coram nobis sistentes paterna benevolentia complexi sumus. Ex eorum conspectu et alloquio aucta in nobis spes est quam fovebamus, fore ut ipsorum labores in dissitis regionibus, quo proficiscuntur, fructuosi sint et fidelibus salutares. Itaque zelum eorum laudabimus, illisque opem divinam adprecantes benediximus. Iucunde nos affecerunt quae renuntiavisti de progressu et incrementis pii operis a Maria Auxiliatrice nuncupati, et exinde etiam, favente Deo, optimos salutis fructus confidimus extituros. Interim sensus paternae dilectionis nostrae iterum tibi testamur,

et auspicem coelestis gratiae apostolicam benedictionem tibi et universae Congregationi cui praees, peramanter impertimus.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, die xvii novembris MDcccLxxv, Pontificatus Nostri anno tricesimo.

PIUS PP. IX.

Litterae Apostolicae SS. D. N. Pii Papae IX quibus indulgentiae concessae Sodalitati cuidam pro mulieribus conceduntur pro utrisque sexibus.

PIUS PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Muliebre sodalitium cui a Bma Maria Virgine Lapurdensi nomen est factum, die III Decembris a. MDCCCLXXIII in Almae huius Urbis Ecclesia S. Mariae Virginum canonice erectum, similibus nostris die XXIII Ianuarii superiori anno datis Litteris, plenariis partialibusque Indulgentiis ditavimus. Modo autem sodalitium idem quum viris quoque sit propagatum, et ideo ex decreto Venerabilis Fratris Nostri Constantini S. R. E. Cardinalis Patrizi Episcopi Ostiensis ac Veliternensis, in Alma Urbe Vicarii Nostri in spiritualibus Generalis, die xx augusti huiusce anni vertentis edito, nova utriusque sexus sodalitas in eadem Ecclesia et sub eodem titulo ita sit instituta ut integra sodalitas ab ecclesiastico Moderatore gubernetur, sodales autem viri Antistitem virum, mulierem Antistitam sodales mulieres iuxta eiusdem sodalitatis leges eligendos habeant, supplicatum -Nobis est, ut huic novae sodalitati easdem Indulgentias, quibus per supradictas, Litteras Nostras muliebre sodalitium ditavimus, concedere, novamque sodalitatem hanc Archisodalitatis titulo ac privilegiis de Apostolica Auctoritate Nostra augere velimus. Quare Nos quibus vel maxime cordi est, ut pietas

erga sanctam Dei Genitricem Virginem Mariam incrementa in dies suscipiat, huiusmodi precibus obsecundantes, omnesque et singulos, quibus Nostrae hae Litterae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, easdem Indulgentias muliebri sodalitio praedicto memoratis Litteris Nostris die XXIII ianuarii superiori anno datis impertitas, novae fidelium utriusque sexus sodalitati in Ecclesia S. Mariae Virginum de Urbe canonice, ut supra dictum, institutae, sub iisdem conditionibus quae in iisdem Litteris praescriptae sunt, tenore praesentium perpetuo concedimus atque elargimur. Eamdem praeterea utriusque sexus sodalitatem in praefata Almae Urbis Ecclesia institutam, et a Bma Virgine Lapurdensi nominatam in Archisodalitatem cum omnibus et singulis praerogativis, iuribus, honoribus ac praeeminentiis solitis et consuetis, Apostolica Auctoritate Nostra, hisce Litteris, sine cuiusquam praeiudicio, perpetuum in modum erigimus atque instituimus. Archisodalitatis autem sic erectae Officialibus et Confratribus, ut alias eiusdem nominis atque instituti sodalitates ubique locorum existentes eidem Archisodalitati, servatis tamen forma Constitutionis fel. rec. Clementis PP. VIII Praedecessoris Nostri caeterisque Apostolicis Ordinationibus desuper editis, aggregare, illisque omnes et singulas Indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum resanationes ipsi Confraternitati sic per Nos in Archiconfraternitatem erectae ut supra a Nobis concessas, quae tamen communicabiles sint, communicare libere ac licite possint et valeant, Apopostolica item Auctoritate Nostra, harum Litterarum vi, perpetuis futuris temporibus concedimus et indulgemus. Decernentes has Litteras Nostras firmas, validas et effica-

ces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et -delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, et alios quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, et quatenus opus sit, praedictae sodalitatis, aliisque quibusvis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die xxvii augusti MDCCCLXXV, Pontificatus Nostri anno tricesimo.

L Card. ASQUINIUS.

EX 8. CONGREGATIONE CONCILII

COLLATIONIS CANONICATUUM.

Die 24 iulii 1875.

Compendium facti. Ut perenne relinqueret monumentum suae pietatis in Deum, et suae charitatis in concives Carolus G. ex oppido N. condito testamento sub die 29 augusti 1606, plura legavi t bona Ecclesiae S. Nicolai inibi iam erectae eum in finem, ut collegium Canonicorum erigeretur, qui excepta dignitate, parocho conferenda, pauciores quam duodecim haud essent. Itaque ille ipse vocavit pro prima vice canonicos, et in posterum eidem Capitulo reliquit iuspatronatus activum.

Exequutores testamentarii, ut omnino pii testatoris voluntas adimpleretur, omnia retulerunt Summo Pontifici Paulo V tunc temporis regnanti simulque illum exorarunt ut benigne dignaretur S. Nicolai Ecclesiam in Collegiatam erigere, servato tamen iuspatronatus activo favore Capituli, passivo autem favore fundatoris concivium; qui idest nati, baptizatique, et oriundi essent ex eodem oppido fundatoris. Quod petiverunt haud eis denegatum est; sed apposita Bulla incipiente *In supremae* diei **21** maii **1609**, praeter alia, quoad Canonicorum electionem in praefata Ecclesia statuebatur, ut « electio' per-<(sonarum idonearum ad dictum Capitulum, cessantibus « reservationibus, et afíectionibus apostolicis, spectare de-« beat pro totidem aliis Canonicis omnibus presbyteris « seu clericis in aetate legitima ad presbyteratus ordi-((nem infra annum suscipiendum constitutis, qui omnes « Praepositus et Canonici iuxta mentem et dispositionem « d. Caroli, qualificati, nempe boni nominis, et famae, ac « sufficientis literaturae praediti, et ad horas decantandas « idonei et ex d. Oppido vere, naturaliter et non flete aut ((ex privilegio oriundi, et in eo nati et baptizati esse de-**ce** beant ».

Usque ad annum **1844** res pacifice ita processerunt; quando ad Gubernii civilis instantiam huius Ecclesiae status immutatus est. Nam Collegiata in Cathedralem erecta fuit Bulla Gregorii XVI **8** iunii anni praedicti, quae incipit *Gravissimum sane munus;* in qua legere datum est : « Ma-**ce** tricis Ecclesiae, modo Collegiatae ac parochialis, quae ((uti dictum est, N. extat sub invocatione S. Nicolai Ar-**ie** chiepiscopi Myrensis, pristinum titulum Collegialitatis, « itemque ipsius Capitulum collegiale, pristina tamen ser-**ce** vata cum annexis omnibus parochialitate eodem modo « supprimimus, penitusque abolemus, cum omnibus huc-« usque impetratis, vel quaesitis, adhibitisque favoribus, « gratiis, praerogativis, et privilegiis quibuscumque ».

Summus Pontifex Gregorius XVI eadem Bulla statuit insuper ut omnes Canonicatus tum illi a Carolo G fundati tum quatuor adiuncti a quodam Eocco Pirri decorarentur titulo Canonicatuum Cathedralium. Voluit etiam ut constitueretur praebenda Theologalis, et Poenitentialis, quae iuxta Sacrorum Canonum praescripta, deinceps praevio concursu, conferrentur. Reservavit quoque, per modum regulae, Sedi Apostolicae collationem primae Dignitatis, liberis permanentibus, prout de iure, collationibus praebendarum Theologalis, Poenitentialis, et Curatae. Exequutor Litterarum Apostolicarum tandem inter alia disposuit « Caeteros Canonicos, praeter eos qui de ((Rocco Pirri seu S. Conradi dicuntur, de quibus nihil in- « novandum volumus, attento supplemento dotationis, ex ((boni Abbatiae Regii Patronatus,... et salvo quantum « fieri potest iuspatronatus quo Capitulum fruitur, ipse- « met Rex et Capitulum alternis vicibus, infra legitima « tempora idoneos viros ecclesiasticos nominabunt ab Or- **ce** dinario instituendos ».

Ex quibus omnibus Episcopus collegit ex uteris Pauli V et Gregorii XVI exsurgere quaestionem *«An illa praescriptio Caroli G. fundatoris Collegiatae a Paulo V confirmatae, ut videlicet Canonici eligendi sint de Oppido N. ibique oriundi, nati, baptizatique, regat nunc, postquam illa vetus Ecclesia Collegiata cum Capitulo suppressa abolitaque fuit et Ecclesia Cathedralis erecta ».*

Prosequebatur autem Episcopus : quod si EE. PP. CC. in affirmativam abeant sententiam hac super controversia expeterem : *ut attento defectu dignorum Sacerdotum ex civitate N. in actu, absque ulla spe pro futuro; quia sic fert rei natura, cum non possit sperari quod in civitate* ***15*** *vel* ***16*** *millium tot adsint probi et docti Ecclesiastici qui satis sint explendis praedictis muneribus et aliis quae habentur; dignetur S. C. C. in sua sapientia providere pro omni meliori bono; absque eo quod animadvertatur ae-*

quitas non negandi aliis ecclesiasticis dignioribus aditus ad dignitates et officia propriae eorum Dioecesis. Itaque ante S. C. C. quaestio agitata fuit, propositis dubiis in calce relatis; defendentibus Capitularibus iuspatronatus passivum pro civibus N. super omnes canonicatus; ad id oppositionem peragente Curia Episcopali.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE A CAPITULO PRODUCEBANTUR PRO TUENDO IURE PASSIVO CIVIUM N.

Summis viribus Capitulum certavit vindicare iuspatronatus passivum super canonicatibus omnibus et dignitate, pro Sacerdotibus ornandis ex oppido N. Quod ut assequeretur recolere coepit Bullam Pauli V, aiens Pontifìcii supplicatum fuisse ut in posterum eligendi (essent Canonici Presbyteri vel clerici legitima aetate ad presbyteratus Ordinem infra annum suscipiendum constituti. *qui omnes ex dicto' oppido* (N.) *vere et non flete oriundi esse deberent.* Quas preces acceptas fuisse a Pontifice liquidum esse, dum in parte *dispositiva* Bullae legatur quod essent eligendi Canonici *ex dicto oppido vere, realiter et non flete aut ex privilegio oriundi et in eo nati atque baptizati;* idque fecisse *iuxta mentem et dispositionem Caroli.* Argumentum eiusmodi fortius fieri ex *decreto executoriali.* Nam praesul executor, adhibita omni diligentia ut veritatem assequeretur circa fundatoris dispositiones inter alia mandavit... « qui omnes Praepositus et Canonici <(Capitulum eiusdem Collegiatae Ecclesiae constituant... « ac iuxta mentem et dispositionem dicti Caroli, qualifi- **ée** cati nempe boni nominis et famae, ac sufficientis litte- « raturae praediti, ad horas canonicas decantandas ido- « nei, et ex dicta civitate.N. vere, realiter et non ficte, aut <(ex privilegio oriundi, sed in ea nati et baptizati esse de- **ce** beant... ». Quapropter, adiunxit Capitulum, in tuto po-

situm est iuspatronatus passivum civium N. quia duplici fulcitur canonico fundamento, nempe concessione Apostolica, et voluntate pii testatoris, iuxta quam dicta Apostolica, concessio peracta fuit.

Neque opponere valet, prosequebatur Capitulum, haud verbum fieri a testatore de originalitate in posterum eligendorum; nam etsi desiderari debeat in testamento dispositio haec, denegari tamen nequit hac super re Sanctissimo supplicatum fuisse ab exequutoribus testamentariis et a Pontifice gratiam iuxta petita concessam. Praesumi ideoque debere hanc intentionem testatoris Pontifici notam aliqua ratione fuisse, eo quod clare fatetur se concessionem facere *iuxta mentem et dispositionem Caroli.* Praesumptioni isti maius adiungi pondus ex facto Emi Exequutoris Litterarum Apostolicarum; ille enim postquam omnia rite adimpleverit, civibus N. iuspatronatus passivum reservavit *iuxta mentem et dispositionem dicti Caroli.* His omnibus addi vult decretum istud prodiisse tempore, quo parentes, et familiares testatoris adhuc viverent; quo illius Diócesis cleri intererat ne quid falsi hac super re moliretur; tamen omnes siluerunt. Ergo colligi debet : vel testatorem ipsum per codicillum, temporis vetustate obliteratum, suam pandidisse voluntatem, vel eam oretenus communicavisse exequutoribus testamentarais sicuti pluribus in adiunctis scitum est evenisse.

Verum si totum id minus arrideat, ait, praesto esse consuetudinem hominum memoriam excedentem. Patrimonialitatem beneficiorum consuetudinis immemorabilis vi acquiri posse Gonzalez docere in *reg.* ***8,*** *Cancell. Gloss.* ***9, § 1,*** *n.* ***3. a*** Patrimonialia beneficia sunt illa, quae ex Apo-
ce stolica concessione, vel statutis seu synodalibus consti-
ci tutionibus, Apostolica auctoritate confirmatis, vel imme-
cc morabili consuetudine sunt necessario conferenda natis
cc incolis vel originariis alicuius patriae, civitatis, oppidi

« vel paroeciae, ita ut illi dumtaxat qui filii naturales et « patrimoniales sint provideri debeant de huiusmodi be- « neficiis, et non alii forenses, seu extrinseci, qui tales qua- « litates non habeant ». Neque hanc consuetudinem re- probari posse ceu abusum, quasi bona fide iustoque titulo careat; dum uterque descendat ex Bulla Apostolica. Proin- deque haud absonum videri posse si dicatur, iuspatrona- tus passivum spectare ad cives origine N., seu testatoris voluntatem sive Apostolicam concessionem, vel tandem consuetudinem respicere quis velit.

His praeiactis, inani studio obiiceretur eiusmodi amis- sum fuisse iuspatronatus ob immutationem status ipsius- met Ecclesiae vi Bullae Gregorii XVI. Notum est enim beneficiorum patrimonialitatem verum constituere pas- sivum patronatum, quod ab Ecclesia in pari habetur ae- stimatione ac patronatus activus, et consequenter gene- ralibus clausulis extingui nequit, sed expressam expeti derogationem ; sine qua standum est generali decreto Concilii Tridentini *Sess. 25, cap.* ***9,*** *de Ref. legitima pa- tronatum iura tollere, piasque fidelium voluntates in eo- rum institutione violare aequum non est.* Neque addu- cere in contrarium iuvat derogatoriam clausulam quam apposuit Gregorius XVI in sua Bulla, qua ad dignitatem Cathedralis elevavit Ecclesiam N. Per illam enim gene- ralem clausulam certum est derogari tantum favoribus, et privilegiis suppressae Collegiatae, quae cum novo statu Cathedralis compatibilia non sunt; haud vero omnino de- rogari iuribus acquisitis ab illis qui e civitate N. originem ducunt ob testatoris expressam voluntatem *iuxta men- tem et dispositionem Caroli sub patronatu passivo,* quod cum novo statu Ecclesiae conciliari potest.

Ex augmento tandem Capitularium redituum a Rege peracto argui pariter non posse istum Canonicatuum fuisse fundatorem, sed solum benefactorem ; quum Caro- lus G. totius aedificii bases solus exstruxerit.

Verum quamvis id concederetur, tamen adhuc incolume permanere eiusmodi iuspatronatus civibus N., Capitulum ostendere sategit. Quamobrem varios citavit casus in quibus, nostris etiam temporibus tum auctoritas civilis, tum auctoritas ecclesiastica semper salvum et tutum reliquit ius eiusmodi pro illis civibus. Nam si casus evenit ut prabenda aliqua vacaret, nonnisi dispensationis ope ad illius concursum extranei admissi sunt, quamvis Capitulum consensum extraneis eisdem praestaret ob naturalium presbyterorum deficientiam.

Neque regerere fas esse, adiecerunt Capitulares, ex mutatione status Ecclesiae, in Capitulo N., Poenitentiarium, Theologum et Archipresbyterum Parochum recensendos esse; qui imo et totum Capitulum reputari et esse Senatum Episcopi, proindeque eruditis personis constare debere, quae in praedictae civitatis Clero non facile reperiri possent. Praeterquam quod id praesumi nequeat in Civitate 15.000 animarum, dum plures semper adsint doctrina conspicui presbyteri; in facto autem praerogativam Senatus ad nudum verbum in praesens reduci putarunt, meramque esse honorificentiam dempto casu, quo Episcopus audire Capitulum tenetur pro unione beneficiorum quod raro usuvenit. Archipresbyterum vero, Theologum et Poenitentiarium quod attinet, per concursum satis provisum fuisse, ita ut admittantur etiam forenses si non reperirentur idonei inter cives concurrentes. Quidquid vero sit quoad horam officiorum provisionem, passivum distinxerunt iuspatronatus ab activo; atque hoc non illud abrogatum fuisse Bulla Gregorii XVI, *reservata per modum regulae Apostolicae huic Sedi primae dignitatis collatione, itemque liberis permanentibus, prout de iure, collationibus praebendarum Theologalis, Poenitentialis et Curatae.* Hinc Delegatus Apostolicus praedictam Bullam executioni mandans dixit: *Auctoritate Apostolica Capituli iuspatronatus prorsus quoad Praepositum Theolo-*

gum et Poenitentiarium nunc et in omni futuro tempore abolemus. Attamen cum de iuspatronatus passivo etiam super memoratis canonicatibus nullum reperiatur verbum neque in Bulla Apostolica, neque in Litteris Apostolici Delegati, illud favore civium N. permansisse dicendum esse. Insuper ius illud recognitum fuisse a S. Sede rescripto diei 21 decembris 1860; vi cuius Episcopo N. facultas concedebatur admittendi quemdam Sacerdotem extraneum ad consequenda illa beneficia ecclesiastica, quae in eadem civitate conferri debebant tantummodo nativis et originariis, sub conditione tamen ne aliorum laederentur iura. Atque beneficia, quae tantummodo nativis conferri debent, quaeque in civitate N. reperiuntur, ea sunt, quae Carolum G. fundatorem praeseferunt. Ergo esse in propatulo, capitulares concluserunt, nullimode extraneos admitti posse ad consequutionem Canonicatuum Cathedralis N.

EA QUAE PER CURIAM EPISCOPALEM PRODUCTA FUERE CONTRA IUSPATRONATUS PASSIVUM CIVIUM N.

Favore autem Episcopalis Curiae animadversum fuit nullimode apparere ex testamentaria dispositione Caroli G. nativis atque originariis N. reservatum fuisse passivum iuspatronatus; proindeque preces Paulo V oblatas ab exequutoribus testamentariis subreptionis et obreptionis vitio laborare videri. Hinc cum gratia ex falso narratis orta sit, eam inutilem omnino habendam esse clamant DD. et S. C. C. praesertim in *Fanen. subsid. Dotal. 14 feb. 1761 § 8.*

Pariter nihili faciendam oppositionem, quod nempe Carolus G. sive per codicillum, sive viva voce suam hac super re manifestaverit voluntatem : quoniam in memorata Bulla nullum unquam fiat verbum, nullumque vestigium supersit sive in Archivio capitulari sive in Dioecesana Curia. Quemadmodum enim servatum fuit testa-

mentum, ita et potiori iure servari debebat codicillus, vel depositiones exequutorum testamentariae dispositionis. Quapropter quum ab initio res vitiosa appareat, perperam ex adverso invocari consuetudinem, eo quod obstet iuris, principium firmatum in *L. 20 alias ff. de feg. iur.: Quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere.* Praeterea deficere, pro hac stabilienda consuetudine, specificam Sedis Apostolicae confirmationem, eo quod consuetudo inducere posset Beneplacitum Apostolicum, ad summum, in forma tantum communi *Gratian. Diescept. for-. 245 n. 37, Rota decis. 6 n. 1 coram Buratto;* minime vero in forma specifica uti opus erat in casu. Siquidem agebatur de excludendo per modum regulae certo personarum genere a consequendis canonicatibus, ideoque opus fuisse specifica confirmatione Pontificis ad tradita per *Lotter. de re benefic, lib. 2, quaest. 42, n. 9, 'De 'Lud. de iurepatr. discuss. 67, n. 12, S. C. C. in Neritonen, conferendi canonicatus 11, maii 1872 § Neque dicas.*

Et si paulisper concedere placeat argumenta Capitularium suo robore haud esse destituta, in facto tamen est, sicuti Episcopus ait, Ecclesiae statum immutatum fuisse a Gregorio XVI proindeque ius illud prorsus abolitum a Pontificia auctoritate. Veteri enim Ecclesia Collegiata suppressa abolitaque, novum ordinem, novam institutionem, novumque penitus ius exurgere, quod Pontificis litterae clare expresserunt - ibi : *Matricis Ecclesiae, modo Collegiatae et parochialis, supprimimus, penitusque abolemus.* Posteaque idem Ordinarius prosequebatur « Nulla « igitur Ecclesiae a Carolo Giavanti fundata existit. Idem « de Capitulo sancitum fuit, ac proinde nullum Capitulum « collegiale subsistit. Oppidum N. in Civitatem Episcopa- « lem erexit; cives honoribus, privilegiis, et praerogativis <(civitatum episcopalium gaudere voluit. Templum S. Ni- **ée** colai in Cathedralem erexit, Capitulum Cathedrali no- **ee** mine decoravit. Nihil igitur de illa veteri collegiata re-

« mansit, nova prorsus creatio facta est, ac propterea non
« debent illae regulae illaeque leges adoptari, quibus il-
« lud, quod abolitum est, regebatur, nisi Pontifex vellet
<(ut antiqua statuta subsisterent, quod factum non est
« quoad Capitulum Cathedrale et electionem Canonico-
((rum. Voluit tamen Pontifex ut cura animarum serva-
ci retur ut antea, et ideo claris verbis expressit *pristina*
« tamen servata una cum annexis muneribus parochia-
li litate quod magis confirmat ceterarum abolitionem con-
« ditionum. Nam cum plura concurrebant in Ecclesia
((Collegiata, inter quae iuspatronatus activum et passi-
ci vum et parochialitatem, parochialitas expresse reser-
» vatur, iuspatronatus activum canonicorum partim Regi
« tribuitur ratione supplementi praebendarum, partim
« expresse Capitulo confirmatur; de passivo autem nihil
U statuitur, ergo abolitum una cum collegiata Ecclesia
« censendum necesse est. Hoc ratione non caret. Carolus
« enim G-iavanti iam non potest leges indicere Ecclesiae
« a novo fundatore amplioribus reditibus auctae, ita ut
« singulae praebendae istius fundatoris ita iniuria tern-
it porum exiles evaserint ut vix ad tringintaquinque Ii-
ii bellas reductae sint; Ecclesia collegiata erecta a Paulo V,
U secundum fundationem Caroli Ciavanti, Ecclesia erat
<i quaedam particularis, quae oppido N. tantum inservie-
« bat, nihilque ceteris oppidis intererat ; ast in Cathedra-
« lem erecta Ecclesia oppidoque Civitatis Episcopalis
« titulo decorato, Civitas haec eiusque Ecclesiae positae
ü sunt caput ceterorum oppidorum, et Ecclesiarum in
<i illis existentium ; constitutio Ecclesiae N. interest civi-
ci bus omnibus totius Dioecesis, cuius necessitatibus corn-
ei modisque respondeat oportet; nequit igitur pristinam
cc constitutionem retinere. Capitulum Cathedrale est Se-
cc natus Episcopi cui consilium praestare debet in admi-
cc nistratione totius Dioecesis; Ecclesia S. Nicolai Episcopi
cc Myrensis substantialiter cum suo Capitulo immutata

« est; nequit igitur illa conditio de ornandis in oppido N. « ibique natis et baptizatis canonicis eligendis adhuc « vigere.

<(Quoad autem Praeposituram, et Canonicos Theolo- « gum et Poenitentiarium quaestio extra aleam posita « videtur; in Litteris Apostolicis Gregorii XVI et in uteris <(executoriis Delegati Apostolici conceptis verbis expri- « mi tur : *Reservata per modum regulae Apostolicae huic ((Sedi primae dignitatis collatione, itemque liberis per- K manentibus prout de iure collationibus Praebendarum a Theologalis*Poenitentialis et Curatae,* quibus verbis cla- ((rissime patet iuspatronatus harum trium praebendarum « sublatum prorsus fuisse, hasque praebendas liberas a « quocumque vinculo solutas. Quod melius declaratum « fuit a Delegato Apostolico in uteris executoriis, ubi legi- cc tur : *In posterum prima dignitas cum vacaverit ab Apo- (c stolica Sede providebitur, Canonicatus theologi, et poe- « nitentiarii, tamquam liberae collationis servata forma <c in pactis conventis inter praelaudatam Apostolicam Se- cc dem et Regem anno **1818** conferantur.* Et clarius inferius cc ipsemet Delegatus: *auctoritate Apostolica iuspatrona- cc tus Capituli prorsus quoad Praepositum Theologum cc Poenitentiariumque nunc et omni futuro tempore abo- <(lemus.* Nec potest dici hoc in casu iuspatronatus Capi- c< tuli abolito quoad ius activum patronatus, permansisse cc passivum, idest ex oppido N. oriundorum, natorum, et cc baptizatorum; oportere enim in Bulla hoc declarari, cc prout plura declarata sunt, quae Apostolicae Sedi visum cc fuit confirmare ex statutis Pauli V, eo magis quod Apo- ce stolica Sedes quae sibi reservavit collationem harum cc trium praebendarum, vinculata remaneret in eadem cc collatione, quae libera *prorsus* esse debet, nec vinculis cc quibuscumque ligata.

cc Praestat insuper haec collationis libertas bono totius cc N. Dioecesis, nam ubi in Dioecesi N. viri essent ingenio,

((virtuteque pollentes, idonei propterea prae ornandis ad
« curam animarum exercendam, ac Theologi et Poeniten-
te tiarii munere fungendum, deberent hi postponi, omnino
« excludi, ut oriundis, natis, baptizatisque conferatur be-
te neficium, ac si beneficia haec in commodum istorum
te erecta essent et non potius ad maiorem Ecclesiae utili-
ce tatem. Hisce perpensis videtur legem illam fundatoris
cc quod Canonici Ecclesiae Collegiatae ex oppido **N.**
<e oriundi essent ibique nati et baptizati, postquam Eccle-
ce sia illa suppressa et abolita penitus fuit, ac Cathedralis
ce erecta, una cum pristina Ecclesia, abolitam esse.

« Ex Apostolicis Uteris haec consectaria liquido pro-
ce fluunt et nescio cur usque adhuc Ecclesia **N.** anceps
cc haeret circa electionem, et collationem Canonicatuum
ee Sacerdotibus qui nec oriundi, nec nati baptizatique sunt
cc N., ita ut etiam in collatione Praebendae Theologalis,
cc quae anno 1847 vacavit, dispensatio quam minime an-
ce sum est peti a Sede Apostolica, sicut oportebat, petita
cc fuerit a Regia Monarchia, iam nunc divina Providentia
ee ablata, eo quod ad illam Praebendam extraneus Sacer-
cc dos concurrebat, nullo idoneo reperto ex oriundis, natis
cc et baptizatis.

ce In collatione Praepositurae quae anno 1858 vacabat
cc ipse Theologus iam de dispensatione supradicta provi-
cc sus quoad Praebendam Theologalem, alius Sacerdos
cc huius Dioeceseos fuerunt a concursu exclusi eo quod nec
cc oriundi, nec nati, nec baptizati erant in Civitate, et alio
ee Sacerdote concurrente, qui haec requisita habebat, qui-
ce que ad dictam Praeposituram concurrere volebat, nescio
cc qua causa excluso, dispensatio a concursu impetrata ab
ee Apostolica Sede fuit in favorem actualis Praepositi. De-
ce nique Praebenda Poenitentialis ab anno 1865 vacat
ee hucusque eo, quod ex Sacerdotibus ad illam concurren-
ce tibus vere oriundis, natis, baptizatisque in Civitate,

« nullus eorum inventus fuit idoneus ad illam Poeniten-
te tialem praebendam obtinendam ».

Quibus hinc inde notatis prudentiae Eminentissimorum Cardinalium qui S. C. Congregationem constituunt sequentia proposita fuere dirimenda.

Dubia.

I. An constet de iurepatronatus passivo super simplices praefatos Canonicatus favore civium N. ad tramitem Bullae Pauli V in casu.

II. An eidem iuripatronatus subiacere etiam debeat Praepositura, Theologalis et Poenitentialis praebenda in casu.

Et quatenus affirmative ad 1.m et 2.M dubium.

III. An et quomodo, attento defectu dignorum Sacerdotum N., in vacationibus providendum sit in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Congregatio die 24 iulii 1875, causa cognita, respondere censuit.

Ad 1.m *affirmative* quoad Canonicatus Giavanti a Capitulo praesentandus.

Ad 2.M *negative.*

Ad 3.m *affirmative* per idoneos Sacerdotes, et praelative Dioecesanos.

EXINDE COLLIGES.

I. Iuspatronatus sive activum, sive passivum, quod ex voluntate pii testatoris et Apostolica concessione exsurgit, duplici fulciri canonico fundamento; intactumque manere in commutatione status Ecclesiae Collegiatae in Cathedralem si novo nobiliorique Ecclesiae statui aptari possit.

II. Voluntas pii testatoris (si ex tabulis testamentariis minus clara appareat, vel iniuria temporum obliterata fuerit) erui posse videtur etiam ex hoc adiuncto ut

puta si supersint aliquae concessiones quae videantur factae fuisse a S. Sede iuxta illam voluntatem sibi notam.

III. Consuetudinem quoque hominum memoriam excedentem, bona fide iustoque titulo suffultam habere vim legis seu voluntatis pii testatoris; si praecipue originem ducat a tempore quo eiusmodi voluntas patuit coaevis quorum intererat oppositionem facere et non fecerunt.

IV. Iuspatronatus passivum haberi ab Ecclesia in pari existimatione ac activum; quod nempe extingui nequeat clausulis generalibus, sed expeti expressam derogationem ut infirmetur.

V. Clausulis enim generalibus derogari tantum favoribus et privilegiis Collegiatae suppressae, et quae cum novo et nobiliori statu Ecclesiae Cathedralis compatibilia haud sint; non vero iuribus tertiis quaesitis.

FUNERIS ET EMOLUMENTORUM [1]

Die 15 augusti 1875.

Compendium facti. Pater P. e Minorum Reformatorum familia Guardianus et Custos Coenobii S. Bernardini in Civitate N. Principi Sacratissimo exposuerunt, anno 1868 extractum fuisse a Municipio, iussu tamen Civilis Gubernii, coemeterium publicum in area annexa, et pertinenti ad religiosam familiam Minorum Reformatorum Civitatis eiusdem. Ordinarium vero benedixisse illud et edidisse appositam litteram circularem die 6 ianuarii 1869, qua eius exercitium moderaretur nonnullas superaddens dispositiones typis exaratas ad maiorem rei claritatem.

His duobus actis *Paroeciale* declaratum fuisse coemeterium; ita ut cunctae aliae Ecclesiae facultate funerandi privarentur, si proprio sepulcro aut coemeterio carerent

[1] Recole si vis Volumen I harum ephemeridum, pag. 85.

in communi coemeterio. Id obesse iuribus Ecclesiarum, suarum quoad proprias sepulturas Superiores Regulares conspicientes, apud Ordinarium reclamaverunt. Qui respondit suam haud esse intentionem ut ius eiusmodi tolleretur, verum ut illius tantum suspenderetur exercitium donec sive singulariter, sive in unum collecti acquisivissent privatum coemeterium in Coemeterio publico pro suis aut pro illis quibus in posterum placeret inibi tumulari.

Proindeque quum nullam in praefato publico coemeterio Patres acquisierint partem pro Ecclesia S. Bernardini, eis impedita fuere trium defunctorum funera, quamvis in Ecclesia praedicta officia divina quotidie persolverent Guardianus et Custos cum duobus aliis Sacerdotibus. Defunctorum nomina sunt 1.° Teresia quae propria electione coram duobus testibus patefacta ad dictam transferri cupiebat Ecclesiam quo iam sepultus iacebat eius consors. 2.° Lucia S. quae pariter coram testibus voluntatem elicuit transferri ad Ecclesiam S. Bernardini, funeris gratia. 3.° Tandem Antonia P. cuius vir ibi sepultus erat ex propria electione.

Eiusmodi quaestionem resolvi debere statutum fuit inter partes absque litis strepitu; sed quum tempus decurrent et nil ageretur, res apud S. C. Concilii delata fuit. Acceptis hinc inde deductionibus in pleno Eminentissimorum consensu, ut quaestio eiusmodi proponeretur statutum fuit.

Disceptatio synoptiea.

EA QUAE RELIGIOSORUM FAVORE PROSTANT.

Circa primum dubium per Religiosorum patronum observatum fuit, quamvis ius funerandi a iure sepeliendi dependeat, unum tamen ab altero valde differre *Rota decis. 76, § 6, coram Decursiis.* Quapropter ablato per publica erecta coemeteria iure tumulandi, autumavit su-

peresse et emolumenta percipiendi. Quin imo stricte loquendo neque ius sepulturae ablatum fuisse subdit, sed tantum mutatum locum materialiter et physice. S. C. Congr. in Ariminen. *iuris tumulandi et funeris,* die 14 maii 1825 - ibi: *Animadvertendum vero est coemeteria publicae valetudinis causa subrogata fuisse singularum Ecclesiarum sepulturis. Ecclesia proinde, quae ius habebat tumulandi in propriis sepulctis, nunc ius istud exercet in publico coemeterio, ideoque non sublatum ius sepeliendi fuit, sed variatus locus.* In Aesina *iuris funerandi et restitutoonis emolumentorum* die 26 novembris 1864 *§ Lata vero lege* - ibi : *Sacra Congregatio erectione coemeteriorum locum Sepulturae tantum materialiter, et physice mutatum retinuit, non vero sepeliendi ius, quod imo integrum mansisse censuit.* In Forolivien. 26 ian. 1833 et aliis quamplurimis. Et in Forolivien. *iuris funerandi* 16 septembris 1871 § *neque* - ibi « Ecclesiae quae iure « sepeliendi pollebant, nunc ius istud exercent in publico « Coemeterio, quod sane non impedit, quominus funerum « emolumenta non percipiant et officium funebre super ca-
ci daveribus explere valeant, ceu pluries statuit H. S. O. ». Nec secus in Syracusana *funerum* 24 feb. 1872, *§ Quibus* - ibi : « Quibus omnibus si addatur centies ab H. S. C. de-
ce finitum esse erectione coemeteriorum locum sepulturae
cc tantum materialiter et physice mutatum esse, non vero
cc ius sepeliendi, quod ideo integrum mansisse censuit,
cc rem ad evidentiae apicem pervenisse in propatulo est.
cc Iamvero huiusmodi articulum saepius declaratum
cc fuisse patet. In Derthonen. 24 maii 1821, in qua propo-
cc sito dubio IV : An Capitulo Collegiatae Novi sit con-
ce cedenda manutentio in possessione iuris peragendi exe-
cc quias in propria Ecclesia, et percipiendi emolumenta
c< iuxta solitum, non obstante constructione publici coe-
cc meterii in casu, EE. PP. sapientissime rescripserunt,
cc Affirmative in omnibus ».

Cum ex dictis erui posset per coemeteria publica ablatum fuisse tantum sepeliendi ius, seu melius locum sepulturae materiale et physicum tantum mutatum, patere, ait, itaque, sarta tectaque fuisse servata iura tum sepeliendi, tum funerandi. Quo posito sponte veluti sua fluere Regulares posse uti iure funerandi propriis Ecclesiis, quin opus sit, ut proprium distinctumque habeant sepulcrum in communi coemeterio. Idque eo vel fortius, quia hoc ius funerandi ex parte Regularium cum a iure communi derivet, sive a privilegio Apostolico, manifestum erumpere subdit .ab Episcopis auferri non posse, notum cum sit solum Papam iuri communi derogare valere, atque instar sacrilegii esse beneficium delere a Principe concessum. Quin aliquid iuvare possit exemplum a statuto Cleri Romani desumptum; illud enim *Sanctissimi D. N. Pii Papae IX auctoritati subiectum fuit, ac Sanctitas Sua die* ***25*** *octobris* ***1862*** *vivae vocis oraculo benigne adprobavit, confirmavit et quibuscumque in contrarium facientibus minime obstantibus in vulgus edi, servdrique mandavit.*

Pariter inutili studio hic opponeretur Regularibus in iure prohibitum esse extra conventuum septa crucem attollere, stolam ferre processionesque ordinare : quod eveniret si regulares officium funebre super cadaveribus explere possent, cum a propriis ecclesiis usque ad sepulturam cadaver comitari ad funebre officium referatur. Haec enim obiectio esset telum imbelle sine ictu, quia obstat decisio Ordinis Praedicatorum anno 1846 edita in qua huiusmodi difficultati obviam itum fuit.

Ait insuper idem Regularium patronus secundi dubii solutionem a primo dubio pendere. Etenim si decidere placuerit erectis coemeteriis, intactum manere Regularibus ius funerandi in propriis Ecclesiis, quamvis peculiare sepulcrum in communi coemeterio non habeant, consequi in tribus casibus supra enumeratis ius exequias

peragendi ad eos pertinere, quin opponi possit huiusmodi electionem legitime haud fuisse probatam, cum testes omni exceptione maiores id confirmaverint, ceu ex actis luculentissime eruitur. Sin vero secus resolutum fuerit, tunc exequias ad eos minime spectare posse. Ad finem transvolans sustinuit quod admisso iure funerandi, nullimode dubitari possit quin Regulares ius habeant percipiendi emolumenta, si quidem id saepissime resolutum fuisse ait a S. C. C. ceu videre est in Aesina *iuris funerandi et restitutionis emolumentorum* 26 novembris 1864, *§ Lata vero lege* et alibi. Ideoque suae defensioni terminum imposuit verbis Devoti de notissimis in iure legibus pag. 117. « ibi ». Vos ipsos appello, « Patres sapientissimi, « quorum sunt iudicia verissima, falli que nesciae senten- **ti** tiae, nonne semper idem statuistis, cum ad amplissi- « mum ornatissimumque locum delatae sunt causae ve- **ce** straeque sapientiae singulari commissae? Quod si leges **cc** nostrae, si viri doctissimi, si denique vos ipsi id semper **cc** statuistis, non licebit profecto ab iis abhorrere senten- **ce** tus, consensu omnium, iudicioque semper vestro con- **ce** firmatis ».

EA QUAE FAVORE ORDINARII ET PAROCHI S. DONATI PROSTANT.

Ordinarii patronus praemisit sepeliendi ius curae animarum inhaerere, ideoque nonnisi ad parochiales Ecclesias hodie pertinere ceu antiquitus ad Episcopos et Cathedrales Ecclesias pertinebat. *Glos, in Clement, dudum verbo sepulturam, de sepulturis,* x\bbas et Fagnanus *iii Cap. Fraternitatem, de sepult,* et DD. passim *Can.* ***16,*** *caus.* ***13.*** Regularibus autem expresse denegatum olim fuisse huiusmodi ius tumulandi, eo quod ipsis territorium deerat et populus, ut huiusmodi actum iurisdictionalem exercere valerent. *Canon. Placuit* ***1,*** *causa* ***16,*** *quaest, i.* Card. De Luca *de regular, disc.* ***1,*** *num.* ***49.*** Verumtamen

medio tempore id eis indultum fuisse in vim simplicis privilegii *argum. cap.* ***9*** *et* ***10*** *de sepult. Clem. Dudum eod.* Gonzalez m *Cap. Fraternitatem, n.* ***7*** *et Cap. super num.* ***11,*** *de Sepulturis.*

Quamvis eiusmodi privilegium sub vocabulo legis comprehendatur, adeo tamen a lege communi abhorrere ait, ut odiositatem secum ferens strictam recipiat interpretationem. Hinc sicut cessante ratione et fine legis cessat lex ipsa, ita cessante ratione et fine privilegii, ipsum privilegium oportere ut cesset. Hoc praemisso addit rationem dicti privilegii et ipsius terminos vetare hodie regularibus quominus et funerent et sepeliant. Sane privilegii rationem in ea constitisse dicit, quod fideles pie crederent defunctorum animas nedum vivorum suffragio iuvari, sed etiam intercessione illorum, qui in Christo et pro Christo supremum obiverant diem. Ex quo disseminatum fuisse generale fidelium desiderium, ut defunctorum cadavera iacerent ad sacras Sanctorum reliquias, et ubi communium precum frequentior esset usus. *Ubi orationes, atque Missarum solemnia tam pro vivis, quam pro defunctis celebrantur. Cap.* ***3,*** *de sepulturis.*

Itaque cum erectis publicis coemeteriis huiusmodi privilegii ratio cessaverit, sponte veluti sua fluere ipsum privilegium cessasse. Cessato sed vero privilegio sepeliendi et funerandi ius cessasse videtur; quandoquidem ius funerandi accessorium sit iuri sepeliendi. Igitur ruente principali ruit et accessorium. Ius autem funerandi esse accessorium iuri sepeliendi docere Zallinger *Instit. iuris Eccles, de Sepulturis §* ***358*** Berard. *in ius Eccles, univers, de potestate paroch. ratione funer.* Patere ergo Regulares nec sepeliendi, neque funerandi iure potiri. Verum nedum ratio privilegii, sed et termini ipsius privilegii impediunt quominus hodie post erectionem coemeterii, regulares iure funerandi gaudeant. Sane *Ciernen. Dudum* ad Ecclesias et loca propria regularium illud privilegium

restrinxit. Iussit enim « Huiusmodi quoque statuto, et « ordinationibus nostris adiicimus ut fratres dictorum *ox*- « dinum in Ecclesiis vel locis suis ubilibet constitutis líbe- **te** ram ut sequitur habeant sepulturam videlicet quod « omnes ad eam recipere valeant, qui sepeliri elegerint in «locis.et Ecclesiis memoratis ». Quapropter cum apud regulares amplius non sit proprietas loci, vel Ecclesiae, in qua fideles recipiantur, qui ibi sepulturam eligant, patere ait, eos iure sepeliendi, ac funerandi gaudere non posse.

Nec resolutiones S. C. C. et praecipue *Ariminen. iuris tumulandi 14 maii 1824* ipsi nocere subdit 1.° quia legibus et non exemplis iudicandum est. 2.° Quia si lex Piana per coemeteriorum erectionem haud privare voluit Ecclesias omnibus illis iuribus, quae a generali disciplina, aut a specialibus consuetudinibus derivabant, haud tamen voluit ut erectis coemeteriis Regularium Ecclesiae iure per agendi exequias potirentur, cum coemeteriorum introductio eas iure sepeliendi spoliaverat. Sane ius funerandi et emolumenta percipiendi ipsis obvenisse in vim iuris sepeliendi per privilegium eis concessi, cum vero coemeterii introductio tumulationem ad ius commune reportaverit, patet ius etiam funerandi et emolumenta percipiendi secumtulisse.

Multoque minus subsumi posse, autumavit, Archiepiscopo ius non fuisse coemeterium parochiale declarare. Quominus enim id perageret, nulla lex ei impedimento erat : scitum cum sit Episcopo ius esse condendi eas leges, quae bonum suae Dioecesis respiciant. Quod confirmari edixit exemplo Emi Urbis Vicarii, qui condens statutum Cleri Romani eadem praescripsit ac Ordinarius U. Praestat aliqua excerpere ex allegatis pro Parocho S. Donati extra muros. Inter alia animadversum fuit *Litteram circularem* Ordinarii U. circa funera, in iis partibus, quae respiciunt sepulcri electivi abolitionem, et coemeterii pa-

roecialitatem, quas PP. RE. uti illegitimas et arbitrarias habent, nil aliud esse quam textualem copiam Statuti Cleri Romani ab Emo Card. Vicario exarati, nec non vivae vocis oraculo adprobati a SSmo D. N. Pio Papa IX. Statutum Cleri Romani eodem facti adiuncto comitatur, ac illud quod causam dedit *Litterae circulan* Dioecesis U. et quod nil aliud est quam introductio publici coemeterii in Campo Verano extructi dependenter a duabus Pii VII ordinationibus, et aperti anno 1836 dum Gregorius XVI regnaret. Romae, sicuti in Civitate U., habebantur Regulares qui eadem possidebant privilegia ac illa quorum Patres RR. nunc réclamant observantiam : quae privilegia Romae potius servanda forent ubi omnes familiae religiosae conveniunt, quam in Civitate U., ubi paucae habentur familiae Regularium. Res iudicio quorumdam in iure canonico apprime peritorum delata fuit, ex quo tamen iudicio parochiale declaratum, fuit coemeterium, et abolitum sepulcrum electivum. Quae abolitio, sicuti logica consequentia descendit ex eo quod publicum coemeterium introductum fuerit, et ab obligatione generali inibi omnia tumulandi cadavera, sublato cunctis Ecclesiis eiusmodi iure. *Hinc generalis eligendae sibi sepulturae perempta facultas est.*

Ex hoc momento Regulares, loco proprio in quo tumulationem facere possent privati omne ius funeris amittunt.

Summus Pontifex approbavit et Regularium Superiores siluerunt. Easdem perfecisse dispositiones, in adiunctorum paritate, Ordinarium U., pro sua Dioecesi, et P. Guardianum Reformatorum ad arbitrium, et abusum clamavisse. Insuper si Cleri Romani Statutum suam trahit efficaciam ab Auctoritate Summi Pontificis quatenus Romae Episcopi; tunc adiunctorum paritas exsurgit, neque fas est abusum arbitriumque appellare in civitate U., quod iustitia, et ius Romae dictum fuit. Quod si

ab approbatione Apostolica suam efficaciam ducit, tunc eiusmodi approbatio fit robur omnium de quibus loquuti sumus circa Ordinarii auctoritatem.

Quoad secundum dubium animadversum est in specie regularibus haud competere ius funerandi et emolumenta percipiendi eo quod electio sepulturae legitime non fuerit probata. Quod fieri debuerat tribus in casibus quoniam *ex facto oritur ius,* proindeque haud disceptari posse de iure si pro certo non habeatur factum in quo ius fundatur. Sepulcri electionem haud praesumi posse, sed omnino probari debere iis mediis, quae lex praescribit. Ast Regulares non probavisse certum est; ideoque factum electionis sepulcri iuridice non exsistit.

Quibus ex utraque parte praenotatis sequentia proposita fuere dirimenda

Dubia.

I. *An Regulares proprium, ac distinctum sepulcrum habere debeant in communi coemeterio, ut funerandi iure gaudeant.*

II. *An et cui competat ius funerandi et emolumenta percipiendi in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii die 14 augusti 7875, causa cognita, respondere censuit.

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Emolumenta funerum Theresiae et Ludae spectare ad Fratres Minores Reformatos, dempta quarta pro parocho.*

EX QUIBUS COLLIGES.

I. Per publica coemeteria noviter extructa haud sublatum fuisse ius sepeliendi, sed tantum materialiter seu physice mutatum fuisse sepulturae locum.

II. Ecclesias quibus inerat sepeliendi ius, nunc, erectis coemeteriis, frui iure tali, sepeliendi) in publicis coeme-

teriis cadavera quae antea tumulare poterant in propriis sepulturis.

III. Coemeteria enim publica subrogata fuisse singulis Ecclesiarum sepulturis, valetudinis causa; ideoque Ecclesiae quae iure sepeliendi potiuntur, etiam funerandi facultate pollere videntur.

IV. Proindeque haud opus esse locum privatum et distinctum in publico coemeterio possidere ut quis dicatur iure funerandi gaudere, si iam in propria Ecclesia sepeliendi ius possideat.

V. Ius tamen sepeliendi et funerandi haud praesumi posse; sed omnino probari debere probatione iuridica; idest per illa media quae lex praescribit.

VI. Si pariter agatur de electione sepulturae, quae alicui Ecclesiae ius funerandi conferat, eiusmodi electionis factum esse iuridice e vincendum; eo quod dum ex *facto ius oritur,* apertum certumque apparere debet factum illud.

VII. In themate defuisse videtur probationem iuridicam ad evincendam sepulturae electionem pro tertio casu.

REMOTIONIS A PAROECIA.

Die 14 septembris 1872 et 24 maii 1873.

Aloysius Sacerdos anno 1855 per concursum Bullasque Pontificias paroeciam obtinuit loci V, in Dioecesi P, et die 22 maii eiusdem anni possessionem nactus est suae paroeciae, cuius reditus ad Sacrae Ordinationis titulum ei constituendum fuerunt subrogati. Verum breve post temporis intervallum eum removit Ordinarius, et ad binas paroecias successive misit ut parochis adiumento esset qui cholerico morbo pereulsis adstabant. Demum Ordinario permittente huc illucque vagari coepit : et an-

no 1858 supplicem S. C. C. libellum porrexit ut ad iuris tramites circa eius a paroecia remotionem provideret. Ordinarius, cui *pro informatione et voto* preces de more ablegatae sunt, retulit: se Aloysii remotionem necessariam duxisse, quia mentalis aberrationis ipse non dubia dederat signa; factaque quamplurima attulit quae eius assertionem confirmabant. Itaque die 4 decembris rescriptum prodiit : *Relatum.*

Insequenti anno 1859 discessorialibus litteris ad annum ab Ordinario concessis ad Americae regiones profectus est. Hae litterae ad triennium postea confirmatae sunt, ea tamen sub conditione, ut statim ac provisus esset, paroeciae nuncium mitteret. Sed ab America iterum preces misit ad S. C. C. ut de sua remotione sententiam f erret ; iterumque S. C. Ordinarium audivit, qui de hoc parocho eadem retulit quae iam in prima informatione narraverat : adiectis ad pleniorem confirmationem nonnullis de eius non sana mente probationibus. Quapropter die 26 augusti 1826 novum rescriptum accepit : *Reponatur.*

In Europam reversus tertio libellis institit, et die 4 decembris 1871 decretum exiit : *In decretis die 26 augusti ideoque lectum ad instantiam.*

Interea Dioecesis P. Episcopus ille qui eum ordinaverat, instituerat, removerat, diem supremum obiit : et quartum obtulit libellum Parochus iste petens 1.° omnem Paroeciae reditum a die captae possessionis usque ad hodiernam diem ; 2.° exactam redditionem rationis redituum vacantis Paroeciae a die vacationis usque ad tempus ab ipso captae possessionis; 3.° restitutionem L. 7.000 quas ipse sibi in Sacrae Ordinationis titulum constituerat; 4.° demum refectionem damnorum.

Nova a novo Ordinario informatione requisita, hic eadem praecipua facta in medium tulit quae eius Praedecessor exposuerat : et tandem causa per *Summaria Precum* tractanda proposita est.

Disceptatio synoptica.

ORDINARII ARGUMENTA. Pro Ordinario ex officio notatum est, nonnisi necessitate cogente ipsum in paroecia loci V. Oeconomum constituisse. Pro Ecclesia animarum salutem supremam legem esse: huc omnes suas curas cogitationesque Episcopos intendere debere : nec inusitatum occurrere, ut *coadiutores* et *Vicarii* in paroecia deputentur, quoties proprius Parochus gravi de causa animarum bonum operari haud valeat : ad monitum S. Conc. Trid. *Sess.* ***21,*** *cap.* ***6,*** *de ref.*

Eamdem procedendi rationem praescribere unanimiter Ecclesiasticae disciplinae Doctores : quando populi aversio adeo gravis et constans existit, ut scandalum immineat, Parochi remotionem tum omnino necessariam esse; ea tamen sub lege ut, si populi aversio a Parochi delictis ortum habeat, regulari instituto processu privationis poena ei sit irroganda; si populi inimicitiae licet iniustae atque irrationabiles, tamen duraturae praevideantur, parochus sit utique removendus, sed alio beneficio providendus. Reifrenst. *Ius Canon. tit. de rerum permut.* S. Congreg, *in Limburgen. Permutationis Paroeciae* ***27*** *iunii,* ***18*** *iulii,* ***19*** *decembris* ***1857*** *et in Berg omen. Suspensionem* ***5*** *decembris* ***1868,*** *§ Attamen.*

In casu Parochum F. stricto sensu a paroecia haud remotum fuisse, cum ob mentis laesionem impossibile foret ipsum ad aliam parochiam transferre; et caeteroquin alio beneficio provideri constanter ipse recusaverit. Ac adeo verum esse eum Curiam haud removisse, ut ipse uti Parochus adhuc habeatur. Sed Oeconomum necessarium fuisse, ne eius praesentia atque agendi ratione animarum salus periclitaretur.

Tandem eius petitionem quoad paroeciae reditus nullo iure foveri; decrevisse enim Concilium Tridentinum *Sess.* ***23,*** *Cap.* ***i,*** *de Ref.* parochum a sua residentia absen-

tem fructus suos facere non posse. Nec ei suffragari absentiae veniam ab Ordinario impertitam, cum notum sit huiusmodi venias S. Sedem concedere tantum posse. Hisce non obstantibus, qui supererant fructus, detractis expensis, omnes ei concessisse Ordinarium, ipsum vero eos accepto habere numquam voluisse. Ad muniendam repetitionem impensarum quas ad paroeciae utilitatem fecisse adserebat, nullam legitimam probationem neque in genere neque in specie suppetere.

ARGUMENTA PAROCHI. Praemittebat ipse se Gubernii hostilitates experiri debuisse ob recusatam ab Ordinario *regii placet* petitionem, quoad Bullas Pontificias sibi concessas, idcirco defuisse sibi congruae supplementum quod a Gubernio pensitabatur : et deficiente congrua, se patrimonium septem *millium libellarum* impendere debuisse ut paramenta, utensilia, aliaque Ecclesiae cultui necessaria compararet. Hoc factum confessum fuisse Curiae Vicecancellarium, tunc cum Aloysii remotio locum habuit, quin ab accusationibus purgationi locus fieret; et quin ullo in pretio haberentur ea omnia quae in Ecclesiae suae utilitatem peregerat. Ceterum documentis se ostendere posse in parochialia bona patrimonium suum translatum fuisse.

Praemittebat insuper Episcopum subdole secum egisse : siquidem remotionem explevit eum dispensando pro nunc a residentiae obligatione, eique praecipiendo ut alio se conferret cholerico morbo perculsis adsistentiam praestiturus. Praemeditatum Episcopi animum Parochum a Cura arcendi, empisse ex multiplicatis discessus licentiis; animum vero suum constantem se ostendisse, cum non uno aut altero, sed quatuor libellis, etiam ab Americae regionibus Romam missis, licet contrariis responsionibus repulsus, a S. Sede in propria paroecia restitutionem postulavit. Sed illegitime Episcopum egisse, quippe qui nullam facultatem habebat tam longam absentiam concedendi. Reiffenst. *Be Residentia Parochi Lib. III,*

Tit. 4, N. 77 docere « Episcopum, causa cognita et appro-
« bata posse Parochis dare licentiam abessendi a Paro-
« chia ad duos, vel, gravi tamen de causa, ad tres menses ».
Et concinere Fagnan. *cap. Relatum N. 21, Barbosa par.* z, *de offic, parochi N. 58.*

A facto ad ius progrediens, contendebat Curiam P. non recte se gessisse, sive quoad ius stricte sumptum, sive quoad oeconomicam Dioecesis administrandae facultatem. In iure Parochum, cui per concursum ius in re acquisitum est, inamovibilem esse; eumque, etiamsi scandalosum, nonnisi post trinam admonitionem removeri potuisse. Concilii Tridentini dispositionem *Cap. VI, Sess. 21, de Reform,* duo apprime distinguere: nempe coercitionem ad tempus et totalem privationem: sed in utroque casu, etiamsi res esset de pura appositione Oeconomi, admonitiones praecedere debere. Hanc theoricam constanter a S. C. C. servatam fuisse ostendi ex causa *S. Severini 4 aprilis 1778,* et pressius ex *Piacentina Restitutionis et Rehabilitationis ad Paroeciam diei 24 ianuarii 1846* in qua propter gravissimas in Parochum imputationes, processum Episcopi sumptibus fieri iussit Sacra Congregatio. Eamdem denique doctrinam retinuisse S. Rotae Auditorium in *Ferrarien. Parochialis 8 aprilis 1715* in *Placent. Parochiae 9 decembris 1743 cor.* Lana, et praesertim in *Cracovien. Parochialis 22 iunii 1767 cor.* Guerra *§ 5.*

Neque hic agi de imperitis et illiteratis quibus coadiutores et Vicarios ad tempus dandi facultatem habent Episcopi; facto enim concursu Aloysii imperitiam excludi. Praeterea actorum processum excludere, ex informata conscientia Ordinarium egisse: quo etiam in casu iusta et rationabilis et probata causa requireretur.

Semidementiam ex adverso excogitatam, remotionis tempore non extitisse: neque eam in Sacerdote celebrante praesumi, absque Physicorum Doctorum testimonio. Et S. Congreg. Conc. Parochum iniuste amotum, vel rein-

tegrandum vel alio beneficio providendum esse constanter decrevisse: ut in *Nicien. Suspensionis et Remotionis* ***17*** *decembris* ***1864,*** *in Limburgen. Permutationis Paroeciae* ***27*** *iunii et* ***19*** *decembris* ***1857*** *et in Herbipolen. Parochialis* ***22*** *decembris* ***1860.***

Addebat ultimo loco de Parochi pietate bonisque moribus plurimos testari, eumque asiatico morbo laborantibus maxima cum sollicitudine adstitisse.

RESOLUTIO. His perpensis S. C. rescripsit in comitiis diei 14 septembris 1872: *Dilata et audiatur Episcopus super noviter deductis.*

CAUSAE PROSEQUUTIO. Ordinarius mandato obsequens, certiorem reddebat Sacram Congregationem de reditu actuali congruae parochialis, quem imparem Paroeciae et Oeconomi necessitatibus ostendebat. Declarat se nullum habere beneficium quo Parochum hunc provideret. Inficiabatur parochiale beneficium fuisse pro Aloysio substitutum in locum patrimonii sacrae ordinationis. Absonum a veritate contendebat quod parochus iste patrimonium suum ad comparandas Ecclesiae supellectiles impendisset. Declarabat demum, animarum bonum requirere eius remotionem confirmari, ob non sanae mentis indubia quae dederat argumenta.

NOVA PAROCHI ALLEGATIO. Recolebat iterum maxima cum cautela esse incedendum in casu quo agitur de paroecia per concursum acquisita, cum parochus inamovibiliter est institutus, ut maneat principium, quod per universum orbem catholicum parochi inamovibiles existunt, ad praescriptionem Bonif. VIII. *Cap. unie, de Capellis Monach.* Huic doctrinae adhaesisse constanter S. Congregationem Concilii, ut in *Messanen.* ***18*** *martii* ***1854*** *§ Atqui.*

Remotionem, si ea sit perpetua, non sustineri, quia in veram privationem reciderei : inexplicabilem esse, si ut in casu temporanea esse debeat, et octodecim annis perduret. Sacram Congregationem Concilii consuevisse

remotos parochos redintegrare statim ac innocentiam agnosceret, ut in citata *Nicien. 17 decembris 1864:* et etiam gravibus existentibus contra parochum accusationibus, vel aequitativum temperamentum adhibere ut in *Veglen. Privationis Parochiae 27 iulii 1867,* vel permutationem concedere cum beneficio reditus aequivalentis, si Episcopus parochum ob negligentiam et scand : ' > transferendum iudicaverit, ut in *EyStetten. Permutationes Paroeciae 11 aug. et 22 sept. 1742 in Limburg en. diei 19 dec. 1857 et in Herbipolen. Parochialis 22 dec. 1860.*

In casu nihil huiusmodi haberi : causam pro Aloysio dicere Episcopum qui in ipso nonnisi nimium zelum redarguendum invenit. Eius imputationes nec ad oeconomi deputationem probandam sufficere, quae pro imperitis adhibetur.

His praemissis, aperte evinci remotionis huius iniquitatem, et idcirco ad damnorum expensarumque refectionem, nec non ad fructuum restitutionem Aloysium ius integrum habere.

Duriorem agendi modum ab Episcopo in Aloysium adhibitum, ex eo erui, quod Episcopus ipsemet confessus fuerit se ei iampridem conferre denegavisse aliud beneficium vel provisionem meliorem.

Ostendebat ultimo loco, acceptilationibus allatis, reapse Aloysium amplam pecuniae vim in comparandis Ecclesiae supellectilibus impendisse, et parochialis congruae in locum patrimonii substitutionem, Curiae ipsius testinonio locum habuisse confirmabat.

Tandem contendebat redintegrationem Aloysio com-Detere: eaque nullam iniuriam fieri Oeconomo, qui >mnino provisorie ad paroeciam regendam deputatus est. *It* etiamsi Aloysius de provisione se contentum declaraet, tamen ad eius honorem restaurandum S. Congregaionem formiter pronunciare debere causas remotionis ion extitisse : veluti in *Veglen. Privationis Paroeciae*

die ***27*** *iulii* ***1867,*** in qua ad dubium *An constet de causis remotionis a Paroecia seu potius sit locus reintegrationi in casu,* responsum datum est : *Negative ad primam partem: ad secundam attentis declarationibus per Sacerdotem Iosephum emissis dilata, et scribatur Episcopo ad mentem,* mentem autem fuisse, ut Episcopus media proponeret quibus Iosephi congruae provisioni consuleret [1]

Causa iterum discussa sequens prodiit

RESOLUTIO. *Non constare de causis remotionis a Paroecia. Attentis tamen omnibus in casu concurrentibus, assignandam Oratori congruam pensionem biscentum quinquaginta libellarum italicarum loco patrimonii ex reditibus paroeciae, donec aliter provideatur, facto verbo cum SSmo.*

Ex HIS COLLIGES :

I. Paroeciae privatione Parochum canonice institutum mulctari nequire, nonnisi ob causam canonicam et procedendi forma servata.

II. Levitatem animi aliaque huiusmodi contra ina-

[1] Synopticam expositionem Causarum *Herbipolen, Parochialis,* 22 decembris 1860 et *Veglen, Privationis Paroeciae,* 27 iulii 1867, invenies, alteram in Vol. Il, pag. 513, alteram vero ad pag. 68, Vol. V, huius Ephemeridis. In prima habes etiam per summa capita relatas, quae et in praesenti memorantur eiusdem speciei causas *Eysietten, Permutationis Paroeciae,* 21 iulii, Il augusti et 22 septembris 1742, et *Limbergen, Permutationis Paroeciae,* 27 iunii et 19 septembris 1857. In altera causa *(Veglen. Privationis Paroeciae)* per extensum prostat Constitutio Innocentii III quae legitur in Decretalibus cap. 23, *de Accusationibus,* et cap. 7, *de Restitutione Spoliaturum.* Comparatione instituta de casu ad casum, comperies : revera graviores remotionis causas Episcopis parochos suppeditasse quam parochum A. F. cuius accusationes omnes ad levitatis notam ob allatum mentis defectum reducebatur. Verum quo graviores concurrunt in facto circumstantiae, eo magis elucet S. C. C. mens, quae constanter remotionem parochi titularis improbavit, quoties causae non adessent a Conc. Trid. expressae, vel regularis processus, ad parochum titularem removendum necessarius, fuisset omissus. Nihilominus, peculiaribus concurrentibus circumstantiis, Sacra Congregatio populi bono et parochi decori consulendum putavit, vel adhibita permutatione beneficii vel provisione, per congruae pensionis constitutionem.

movibilem Parochum rationabilem remotionis causam haud praebere.

III. Ob populi aversionem vel Parochi imperitiam remotionem quandoque sustineri.

IV. In casu remotionis causas non extitisse : sed tales concurrere circumstantias quae Parochi redintegrationem haud opportunam suadebant.

V. Sacram Congregationem, resolutionibus in causis similibus adhibitis morem gessisse, congrua Parocho provisione constituta.

ANTICIPATIONIS MATUTINI.

Die 14 augusti 1875.

Praepositus Ecclesiae Concathedralis M. supplici libello sub die 10 decembris 1874 Principi Sacratissimo ea quae sequuntur exposuit. « A septuaginta annis in Capi-
es tulo Ecclesiae Concathedralis M., prius Cathedralis, in-
« vecta fuit consuetudo recitandi Matutinum cum laudi-
ci bus pridie tempore Vesperarum, quin Rescriptum Pon-
et tificium privilegium continens inveniatur, quamvis De-
« canus Capituli asserat, se illud vidisse et habuisse. Sed
« quum talis usus contra Sacros Canones esse deprehen-
« datur, casu quo privilegium non existeret, Canonici su-
« pradictae Ecclesiae, facta congregatione die nona huius
«mensis, per me Praepositum enixe rogant Sanctitatem
« Vestram, ut quod attinet tempus praeteritum, sanatio-
« nem Apostolicam condonet, et pro futuris temporibus,
« illis concedere dignetur, ut toto anni tempore pridie.
« Matutinum cum laudibus recitare possint. Et ad obti-
« nendam hanc gratiam praesto sunt illis quaedam mo-
« tiva, quae animum benevolum Sanctitatis Vestrae m o -
ti vere possunt ».

Disceptatio synoptica.

EA QUAE ADVERSUS GRATIAE CONCESSIONEM: PROSTANT.

Cardinalis Bona in aureo *Tract, de Divina Psalmodia cap. 4, § 3, n. 2,* haec retulit. « Olim Christiani tribus pri- « mis vigiliis tres nocturnos divisim, quarta vero vigilia « laudes recitabant. Tantus erat ardor charitatis, ut qua- « ter in nocte surgerent ad orationem ; prima vigilia ad « primum nocturnum, secunda ad secundum, tertia ad <(tertium, quarta ad laudes persolvendas vel omnes simul, « vel divisi in cohortes ». *Ex cap. Presbyter de celebratione Miss,* sub media nocte celebrandum erat Matutinum, - ibi : « De nocturnis vigiliis, idem ipse Propheta ait, « media nocte surgebam : ergo his temporibus laudes « Creatori nostro super iudicia suae iustitiae referamus ». Idipsum Antiochenis significavit S. Ioannes Chrysostomus Homilia 57 his verbis « *initium illi dandum ad Galli cantum* ». Attamen eiusmodi austerior Ecclesiae disciplina sequiori aevo remissa fuit, et tempus matutinae laudis constitutum est aurora illucescente. *Cap. 1, de celebrat. Miss. Presbyter mane matutinali officio expleto, pensum servitutis suae, videlicet primam, tertiam, sextam, nonam, vesperamque persolvat, ita tamen ut horis competentibus* \

[1] « Septies (ait Monacelli, *Form. Legal,* tit. 16, n. 7) autem in die psal- « limus ad rememorandam Christi passionem et resurrectionem. Etenim « I[a]. Diluculo celebrat Ecclesia laudes matutinas, quia tunc notificata resur- « rectione per Angelos, reddita est Discipulis ad Matutinum laetitia, et erecti « sunt, qui titubaverant. Unde et in cantico matutinali dicitur: *et erexit cornu « salutis in nobis in domo David pueri sui.* Hora 2[a] Prima psallit Ecclesia, « quia tunc Dominus Iesus traditus est vinctus Pilato. Eadem etiam hora « post resurrectionem apparuit septem discipulis piscantibus, stans in litore « et dicens : *pueri numquid pulmentarium habetis ?* Hora 3[a]. Tertia psalli- « mus, quia tunc linguis Iudaeorum crucifixus est Dominus secundum illud: *« Gentes eorum arma et sagittae, et lingua eorum gladius acutus ;* eadem etiam « hora die Pentecostes in Coenaculo Sion super centum viginti viros Spiritus « Sanctus in igneis linguis discendit. fiora 4[a]. Sexta psallimus quia tunc

In Clementina prima eodem titulo *de celebrat. Miss.* eadem occurrunt. « Sancimus'ut ii ad quos pertinet, omni « negligentia aut iniuria relegata, ut in Cathedralibus <(Regularibus et Collegiatis Ecclesiis horis debitis psalti latur, sollicitam curent diligentiam adhibere ». Concinit Braschius *in Promptuaria synodali cap.* ***86,*** *num.* ***18*** **-** ibi : *Matutinum in Cathedrali persolvi mandet Episcopus mane diei propriae, non autem sero praecedenti post vesperas et completorium.* **-** Monacelli *Form. Legal. Tit.* ***16,*** *n.* ***8.*** « At quia pigritia et infirmitas nostra, laudes cum « ista intercapedine (nempe psallendo septies in die) « Domino solvere non patitur; saltem exemplo David <(Psal. 54 *mane,* meridie et vespere narremus mirabilia « eius, scilicet *mane laudes matutinas;* prope meridiem <(horas, vespere Vesperas cum Completorio solvamus; ((quia non solum debemus facere quod convenit; sed eo « modo quo convenit ». Nec dissimilia sunt quae S. Carolus Borromaeum in Concilio Mediolanensi par. 2, iubet : *Matutinum vespere non dicatur, exceptis tamen diebus Octavae Solemnis Festi D. N. Iesu Christi caeterisque diebus quibus ex Romanae Ecclesiae instituto est permissum.* Ferraris V. Matutinum *n.* ***1,*** scribit: *In Cathedrali debet recitari de mane, non autem vespere pro sequenti die.* S. C. EE. et Regul. in Vercellensi 25 nov. 1578; S. Concilii Cong. etiam petitam anticipationem reiecit

« super lignum extensus est Dominus, et aceto potatus et tenebrae factae « super universam terram. Hora 5ª. Nona psallimus, quia tunc Dominus « Iesus inclinato capite tradidit spiritum, et lancea perforatus, duo sacra« menta salutis nostrae nobis propinavit, velum Templi scissum est, terra « mota est, petrae scissae sunt, monumenta aperta sunt. Hora 6ª. Vespertina « psallimus, quia tunc Dominus in coena Corpus suum, et sanguinem, sub « forma panis et vini discipulis tradidit, et in memoriam sui sic deinceps « faciendum instituit. Eadem quoque hora sepultus, et eadem hora in fra« ctione panis agnitus est a discipulis. In 7ª crepusculo psallimus, quia « tunc Dominus in agonia prolixius oravit in Horto, et factus est sudor eius « tamquam guttae sanguinis decurrentis in terram. Eadem quoque hora val« latus est custodibus et eadem hora clausis ianuis stetit in medio discipu« lorum suorum, et ait: *Pax vobis* ».

ceu videre datum est *in Pannen. 31 Maii 1794.* Gury *Theol. Moral.* Tract, de stat. part. puncto II ait: « Tempus ad « integram officii recitationem adimplendam praefinitum « incipit a media nocte, et ad mediam noctem sequentem « explicit)).

Attamen processu temporis, quum fidelium charitas defervesceret, consuetudinem invaluisse constat, qua factum est ut Matutinum et Laudes post ortum solis in Choro a Capitulis saecularibus persolverentur, teste Benedicto XIV. *Instit. Eccles. 107, § 4, num. 22.* Quam consuetudinem esse omnimode observandam docet Fagnan. Lib. I, Decretal. *Cap. Consuetudines De Consuetud.* Itaque commodo atque utilitate Canonicorum nihil adversus eam moliendum esse videtur.

Insuper si Capitulo fas esset Matutinum cum laudibus pridie tempore vesperarum persolvere, manifesta sequeretur indecentia. Plurima enim psalmorum, hymnorum, et orationum verba, mentionem faciunt certorum temporum ex. gr. noctis, aurorae, quae si alienis temporibus usurpentur minus conveniunt. Schmalzgrueber *t. 3, part. 5, tit. 41, de celebrat. Miss.* Iure igitur optimo S. Carolus in cit. Synod, decrevit : *matutinum officium vel media nocte, vel saltem eo tempore instituatur, ut sub ortum solis absolutum sit.*

Neque opponi posse censetur Capitulares divinis officiis incumbentes spirituale Christiani populi bonum praecipue respicere debere, ideoque non valde mane diluculo sed commodiori tempore divinas horas esse recitandas. Etenim incontroversum esse, praecipuum Canonicorum officium esse ut debitas in choro laudes Deo persolvant. Proindeque in synodo Aquisgranensi sancitum legitur horas canonicas vigilantissima cura custodiendas, devoteque a capitularibus persolvendas fore. Et Tridentinam Synodum constituisse ut Canonici in Choro ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen ma-

ximâ reverentia laudent; nec non, ut in praescriptis ab Ecclesia horis divini officii pensum exsolvant. Indubii iuris igitur est divinarum laudum alternis versibus recitandarum esse praecipuam Capitularium obligationem. Accessorium vero est, ut populi christiani spirituale bonum curent. Praecipuum ergo munus pro accessorio non est accipiendum.

EA QUAE PRO GRATIAE CONCESSIONE PROSTANT.

Ex altera autem parte observatum fuit, quod si iusta et rationabilis affuerit causa, variatio opportunior institui possit tum quoad matutini tum quoad laudum recitationem. Ad rem consuli posse Braschium in *prompt. Synod. Cap.* ***86,*** *num.* ***18,*** Ceccopier. *Lib.* ***2,*** *num.* ***20,*** Benedictus XIV *Instit.* ***107, § 4,*** *num.* ***22.*** Verumtamen inter iustas et rationabiles causas recenseri aeris intemperiem, quae corporum saluti noxia comperitur, nec non aetatem nonnullorum ingravescentem. Doctrinae huic apprime consentaneam S. C. C. praxim fuisse erui posse ex resolutionibus innumeris quae in medium proferri valerent. Ex quibus colligere fas est S. Congregationem ut rationabiles habuisse causas praeallatas ob quas concederet ut Matutinum, et Laudes in antecessum recitarentur, ceu perlegere datum est in Cingulana 29 martii 1817 ad 11 dubium, in Casalen. 14 decembr. 1822, et inter alias, quas omittimus, praecipue in Mutinen. 12 novembris 1644 in quae haec legimus verba : *Sacra Congregatio censuit petitam facultatem recitandi Matutinum esse oratoribus concedendam post Completorium praecedentis diei, pro arbitrio tamen Episcopi, et dummodo lapsa sit hora tertia post meridiem.* Legimus tandem eiusmodi Indultum concessum fuisse Canonicis Cathedralis Papiensis, ex quo iurgia quam plurima oborta fuere Capitulum inter ac Episcopum, in posterum composita a Benedicto XIII Brevi dato ad Episcopum Papiensem diei 8 iulii 1726, in

quo Brevi arbitrio Episcopi relinquebatur postulatam concedere Canonicis aut denegare facultatem.

Adfuisse in themate causas praenotatas testatus est Praepositus Cathedralis M. his verbis : « Iam in hoc Ca-
ii pitulo adsunt aliqui senes et in posterum tales repe-
ti rientur quibus tempore hiemali grave est horis matu-
« finis surgere. Accedit quod peculiares sint huic urbi,
« montibus proximae, venti aquilonares, qui praesertim
« supradicto tempore tanta violentia flare consuescunt,
« ut etiam iunioribus reddant difficilem ad Ecclesiam ac-
ti cessum ». Et eo vel magis oratoris precibus annuendum esse videri ex eo quod Matutini recitatio praecedentis Festorum Vespere, nihil absurdi secumferat. Nam quoad recitationem Divini officii, aliasque ecclesiasticas celebritatem a praecedentibus Vesperis incipit dies ex doctrina S. Thomae qui in Quodlibet. 5 quaest. 13, art. 28 scribit : *quantum ad contractus, et alia huiusmodi dies incipit a media nocte, sed quantum ad ecclesiasticum officium, et solemnitatum celebritatem incipit dies a vesperis; unde si aliquis post Vesperas et Completorium dicat Matutinum, iam hoc pertinet ad diem sequentem.* Quam doctrinam Azorius illustravit *Instit. Moral, tom. l, lib.* ***10,*** *cap.* ***9,*** *quaest* ***5.***

Haud tandem defuisse in themate graviorem causam qua indultum Apostolicum Canonicis omnino tribuere oportere : ceu manifestum apparet ex Oratoris verbis, in supplici libello additis : *propter sacerdotum penuriam, si omnes tempore matutini adessent choro, vix sanctae Missae celebrari possent cum commodo fidelium qui diebus festivis illis interesse debent, et eorum quoque, qui diebus ferialibus eas audire discupiunt.*

Porro Canonicis facultate concessa persolvendi hora vespertina pensum horarum Canonicarum, haec incommoda penitus evanescerent, et omnes fideles singulis dominicis, festis diebus nec non ferialibus interesse sa-

ero commodius possent. Canonicorum petitionem Vicarius Generalis commendavit, autumans veras fuisse causas ab eis expositas. Accessit his omnibus vetustissima consuetudo, quae penes Capitulum invaluit recitandi Matutinum diei sequentis hora respectiva dierum praecedentium. Quam consuetudinem censendum est, ex Indulto Apostolico inductam fuisse, tum per verba Decani Capitularis fatentis *se illud vidisse et habitasse,* tum peragendi rationem Episcoporum. Absque enim dubio Episcopi redarguissent Canonicos venia apostolica carentes, cum ipsi sacrorum canonum vindices sint. Itaque cum ipsi per septuaginta annorum spatium viderint et tacuerint, praesumi debet eos haud dubitasse de huiusmodi privilegio.

His rationum inhaerens momentis, visum est nedum matutini, laudumque variationem sed et absolutionem quoad praeteritum fuisse indulgendam quatenus ea opus fuisset. Equidem tritum in iure principium esse, ab oneribus haud adimpletis absolutionem concedi, quoties nullus in omissione dolus intercesserit. Profecto nullum dolum, nullamque fraudem penes canonicos interfuisse visum est; quinimo in bona fide versantes, expletis vesperis cum completorio putabant, ex Apostolici indulti gratia, se devenisse ad implendum onus chorale.

His aliisque pro utraque parte deductis, duo quae sequuntur proposita fuere diluenda

Dubia.

I. *An et quomodo concedenda sit sanatio in casu.*

IL *An et quomodo concedendum indultum anticipationis matutini in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, die 14 augusti 1875, causa cognita, respondere censuit.

Ad L *Affirmative ad cautelam facto verbo cum SSmo.*

Ad II. *Affirmative ad decennium arbitrio Episcopi.*

Ex **QUIBUS COLLIGES**

I. Canonicos haud obligari tantum ad matutini et laudum recitationem, sed insuper obstringi ad onus istud implendum intra tempus a iure praescriptum; eo quod non solum faciendum est quod convenit, sed eo modo quo convenit.

II. Tempus a SS. Canonibus praefinitum ad horarum canonicarum recitationem in choro rite perficiendam incipere a media nocte et ad sequentem mediam noctem desinere.

III. Posse tamen iusta et rationabili interveniente causa, opportuniorem institui variationem; tum quoad matutini, tum quoad laudum recitationem in choro per privilegium speciale, indulto pontificio concessum.

IV. Inter causas vero iustas atque rationabiles, quibus matutini anticipationis privilegium concedi solet, recenseri aeris inclementiam, regionis intemperiem, nec non nonnullorum canonicorum aetatem ingravescentem.

V. Indultum pontificium eiusmodi privilegium conferens aliquando perpetuum, aliquando temporaneum esse solere iuxta causam sive temporaneam sive perpetuam, quae adducta fuerit.

VI. Temporáneas et variationi subiectas recenseri causas *parvum inservientium numerum, aetatem aliquorum canonicorum ingravescentem et adversam eorumdem valetudinem, nec non necessitatem, administrandi poenitentiae sacramentum per Capitulares.*

VII. Ideoque nulla temporis limitatione coarctari indultum pontificium solere, si concessionis causa fuerit suapte natura perpetua ceu reputatur *aeris inclementia, regionis intemperies et loci situs alpestris.*

EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

CONCORDIAE SEU COMPROMISSI.

Die 18 decembris 1874 et 30 iulii 1875.

Compendium facti. Nobilis puella Teresia A, quamvis esset suis parentibus filia unica, cupiens tamen Deo servire, diejL9 octobris 1848 habitum induit religiosum in Monasterio SSmae Trinitatis *Clarissarum* in civitate E. Expleto novitiatus anno, et vota solemnia nuncupatum, nuncium misit **haereditate** quae ei obvenerat ex parte patris defuncti, et omnibus quae ei obvenire possent aliunde, in favorem Matris suae M. Excepit tamen dotem monasticam et legatum scutatorum 1000 ab avo materno acceptum, nec non scutata 100 a duabus amitis paternis relicta in augmentum dotis monasticae, quam mater eius constituerat in scutatis 500 cum inscriptione hypothecaria.

Actus formalis renunciationis vim habuit, statim ac Teresia solemnem emisit professionem iuxta SS. Canonum praescriptum.

Attamen, mutatis rebus ob politicas perturbationes supervenías, fortis enata est controversia inter nobilem puellam et eius consobrinos, postquam Clarissarum Monasterium suppressum fuit vi legis civilis. Huic controversiae causam dederunt reservationes quas puella fecit emittens renunciationem. Illa enim praevidens casum, quo Monasterium praedictum supprimi posset, quoad scutata 1000 constituit, ut, si ad eam spectarent in proprietatem (quod nesciverat), tunc eorum ususfructus cedere deberet in favorem S. consobrinorum suorum eorumque descendentium in infinitum cum obligatione servandi

eiusmodi vim pecuniae pro Monasterio. Quoad vero bonorum universitatem sibi reservavit, donec viveret, usumfructum bonorum omnium, quae caderent sub donatione, et renunciatione.

Res tranquille processerunt usque ad diem 10 octobris 1873; quo tempore Mater Teresiae mortua est. Nam ista haeredes universales omnium bonorum suorum instituit nepotes filios fratris sui cum onere praestandi quotannis filiae suae Teresiae donec viveret libellas 250 pro suffragiis animae propriae litandis. Iam leges italici Gubernii vim suam exseruerant quando nobilis foemina mortua est, et eius testamentum apertum fuit. Et per eiusmodi leges monasterium suppressum mansit, singulisque Monasteriorum membris concessum frui posse iuribus civilibus et politicis. Quapropter, ista arrepta occasione, prae oculis habentes emissas reservationes, et considerantes factam non fuisse donationis insinuationem quam Codex Gregorianus iussit fieri quoad donationem quae 500 scutata excederet, sententiam emiserunt nonnulli causidici, nullam atque irritam fuisse donationem bonorum paternorum ultra scutata quingenta, et filiam Teresiam bonorum matris medietatem consequi posse vi codicis italici.

Graves ob id inter Teresiam, et eius consobrinos exortae sunt quaestiones donec Episcopo E. suam interponente auctoritatem et mediationem, partes ambae subscripserunt die 11 novembris 1873 actum Concordiae seu compromissi. Cuius hic erat tenor; quod ex patrimonio praefato, praelevatis debitis, Teresia medietatem consequeretur, praeter libellas 2500 quae ei debebantur vi instrumenti anni 1849 : quod expensae funeris et religionis ponerentur inter communis patrimonii debita. Convenerunt pariter ut praedium S. et rus suburbanum cum omnibus eius adiunctis partem efformaret patrimonii pertingentis ad monialis consobrinos.

Cum tamen formalem exequutionem Concordia eiusmodi haud habuisset, recessit ab ea poenitentia facti ducta utraque pars. Protestationes ambae partes emiserunt ut coloni unamquamque recognoscerent uti exclusivum, et legitimum proprietarium.

Interdum tamen monialis Teresia nedum sui sed etiam Monasterii favore supplicem dedit Sacratissimo Principi libellum : quo ostendit, testamentum maternum vitiari in substantialibus; donationem peractam nullam esse *insinuationis* defectu, se ad actum donationis devenisse errore ductam quod nempe patrimonium paternum, praeter veritatem, obaeratum esset. Quapropter humilis oratrix petiit a sacratissimo Principe ut sanaret praefatam Concordiam, et sibi concederet eam reducendi in formam publicam nomine proprio. Pene eodem tempore altera pars quoque reclamavit autumans donationem, renutiationem, et testamentum omnino valida esse ; seque concordiae pacto accessisse indigentia compulsa, et ignorantia legum. Proindeque exposcere ut monialis ad concordiam utrique parti aequiorem peragendam vocetur coram S. EE. et RR. Congregatione, etiam *iuris ordine servato.*

Episcopus super id de sua sententia rogatus demonstravit Concordiam iam peractam utrique parti utilem et convenientem, nec non vana fuisse postulantis S. rationum momenta. Attamen interea temporis ab utraque parte quaestio remissa fuit S. Congregationi EE. et RR..; quae partibus, de more, concessit unius mensis terminum *ad deducendum quatenus vellent ulteriora iura.*

Disceptatio Synoptica.

EA QUAE CONTRA INSINUATIONIS NECESSITATEM PROSTANT.

Ad cognoscendas, pro iure Ecclesiastico, dispositiones illas, quas Sacri Canones emiserunt, quasque S. C. EE. et RR. retinuit, non esse abs re, observatum fuit, aliqua

recolere principia, ad solemnitates a iure civili praescriptas spectantia circa donationes 500 scutata excedentes. Recolere ideo opus esse, an solemnitates eiusmodi suam exserere vim possint quoad donationes et renuntiationes, ante votorum solemnium emissionem peractas. Et his in adiunctis, si solemnitates civiles desint, attendi tantum debere Sacrorum Canonum dispositiones, sacrarumque Congregationum resolutiones videtur ex Concil. Trid. Sess. 25 cap. 16 de Regul. *Nulla renunciatio aut obligatio antea facta etiam cum iuramento, vel in favorem cuiuscumque causae piae valeat nisi cum licentia Episcopi vel eius Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem; ac non alias intelligatur effectum suum sortiri nisi sequuta professione; aliter vero facta, etiamsi cum huius favore expressa renunciatione etiam iurata sit irrita et nullius effectus.* Ex quo facile quemque pernoscere nullam irritamque evadere renunciationem Ordinarii licentia carentem et nisi aliae a Tridentino praescriptae conditiones impleantur. Haud insuper esse irritam renunciationem et donationem solemnitatum civilium defectu, docere Giovium Tract, *de solemnitatibus in contractu minorum Gloss. XVI, § VII, n. 280* - ibi : « At post « ingressum in religionem si velit ante professionem per « duos menses ante renunciare, non tenetur statuti so- « lemnitates adhibere, sed sufficit habere licentiam renun- « ciandi ab Episcopo vel eius Vicario ». Et Card. De Luca Tit. *de conftict. legis* ait: « Ubi vero ista adimpleta forma « (nempe Concilii Tridentini) quae sub decreto annulla- **ti** tivo necessaria est, rationabiliter quidem receptum est « illas non exigi solemnitates, quae a profanis legibus « communibus, aut localibus in minorum et mulierum « contractibus, et alienationibus requiruntur, vel quia « ille status ab huiusmodi legibus exemptionem importat, « vel quia sufficit formam conciliarem impleri, ne duplex « inducatur onus ». Pariter auctor idem considerans tales

renunciationes pertinere ad speciem donationum *causa mortis* ait Disc. 1 cit. tit. de remine, p. 14. « quod huius- <(modi dispositiones naturam habent donationum causa « mortis sive ultimarum voluntatum dum non sequuta <(professione in Religione resolvuntur, ideoque non af- **te** ferunt renuncianti illud praeiudicium irretractabile, « cuius ratione solemnitates desiderari solent ». Et Disc. II rationem assignat, qua eiusmodi renunciationes sint realiter *abdicativae,* et suam habentes causam in hoc, quod monialis spiritualiter saeculo moritur « ibi » Unde « n. 2 propterea intrat praesumptio realitatis quod scili- « cet principale renunciationis motivum fuerit amor Dei « et abdicatio a bonis temporalibus, ut expeditius Deo fa- **te** mulari valeat ». Et Petra in Comm. ad Const. Apost, lib. 3. pag. 386 n. 59. *Quaeri etiam potest an novitii in renunciationibus aut aliis obligationibus ultra formam praescriptam a Concilio teneantur servare solemnitates iuris vel statutarias etc.: et NEGATIVE est dicendum; cum sufficiat servare formam conciliarem, tum quia frustratoria fuisset tam salubris dispositio certis solemnitatibus vallata si laicalibus ordinationibus deberent huiusmodi dispositiones ligari, tum etiam quia Novitii censentur de foro Ecclesiae et proinde exempti a lege laicali, et cum supponantur habere aetatem quindecim annorum iuxta Concilium, hoc sufficit ut naturaliter sint apti ad contrahendum. Fagnanus cap. statuimus n. 4 de regul. Barbosa ad cap. 16 cit. Conc. Trid. et alii.*

Huic doctrinae concordant decisiones rotales, et excludunt insinuationem quoties donatio causa fulciatur iusta. Dec. 513 coram Marini Spoletana *Nullitatis donationis 25 iunii 1841:* in hac enim n. 1 et 2 ponitur quod praeexistente causa haud quaeritur insinuatio ad validam reddendam donationem ultra scutata quingentam. « Ideo « namque potissimum inspecta communis iuris censura, « imposita fuit donationis insinuandae obligatio, ne do-

« natores vel immodico benevolentiae impetu erga dona-
te tarium abrepti vel istius illecebris dolosisque machi-
<(nationibus irretiti temere atque inconsulto, iacturam
« faciant rerum suarum atque ad inopiam reducantur. In-
te terest enim reipublicae, ne quis re sua abutatur ».

Tandem n. 9. « At secus se res habet quoad donatio-
te nes factas ob remuneranda donatarii merita, quae ex
ee grati animi virtute, potiusquam ex liberalitate proh-
et ciscuntur vel quae obligationem aliquam, atque onus a
te donatario adimplendum secumferunt; vel denique
<e *quando fiunt ob causam necessariam existentem, quae*
ee *sit ad commodum donantis.* Hisce in casibus insinua-
te tionem nequaquam iure communi inspecto requiri am-
<(bigui iuris non est ». Richer, Instit. lib. II, f. 13, § 1934. Rota *Bononien. assignamenti* 26 febr. 1776 coram Soderin. § 3. *Porro scimus Ptolemaeum solemnem professionem, emisisse longe ante matris obitum et quemadmodum professio ad omnes iuris effectus morti naturali aequiparatur ita consequitur quod idem Ptolomaeus super haereditate materna neque in usufructu potest legitimam consequi, nam parens moriens cum filio solemniter professo* REPUTATUR MORTUUS SINE FILIO.

His omnibus Canonistarum auctoritatibus, et Rotalibus decisionibus adiungi vult, donationes eiusmodi haud proprie esse liberalitates *inter vivos* verum illas resolvi in donationes *causa mortis.* Etenim renunciationes, *occasione professionis* peractae vim tantum accipiunt facta professione, eo modo quo testamentum suum sortitur effectum, mortuo testatore. Hinc sicuti foeminae minoresque haud adstringuntur solemnitatibus a Regulamenta legislativo praescriptis, sic non obligantur ab eisdem quoad renunciationes *ad ingressum in religionem.* Nam si quis haud professionem peragit, nullius valoris fit eius renunciatio; si autem eiusmodi professionem agit *ipso iure* possidendi facultatem et bona retinendi amittit; ita

ut si renunciationem quis emiserit eius iura renunciatariis cedunt, vel Monasterio devolvuntur, ideoque insinuationis solemnitas fiat superflua, dum sit status necessitas aequivalens ultimis dispositionibus *causa mortis.* Ergo determinata harum donationum et renunciationum natura, haud comprehendi videntur sub eadem lege nisi derogando communi iuri et principio, vi cuius *quisque rei suae est dominator et arbiter;* neque attendi posset praecitatum Regulamentum in quo agitur tantum de donationibus *inter vivos.*

Adesse insuper principium in praxi sequendum a S. C. E. et R. porrectum in *Urbinaten. super renunciationibus Novitiorum minoris aetatis et Novitiorum.* In plenariis Comitiis 12 martii 1843 dubia quae sequuntur proposita fuere. I. An pro validitate renunciationum Novitiorum et Novitiarum aetate minorum *occasione professionis* emissarum forma conciliaris sufficiat, seu requirantur etiam solemnitates ab actuali Regulamenta iudiciario praescriptae. Et quatenus negative ad primam partem et affirmative ad secundam: II. An oporteat sanare praecedentes renunciationes aetas apud Curiam Urbinaten. sola observantia formae a Tridentino praescriptae ? Quibus dubiis EE. Patres rescripsisse : *Ad I. affirmative ad primam partem: negative ad secundam: Ad II provisum in primo.* Resolutionem eiusmodi esse generalem quamvis a casu particulari provocatam, et aptari posse casui nostro.

EA QUAE PRO INSINUATIONIS NECESSITATE PROSTANT.

Verumtamen ad evincendam insinuationis necessitatem quoad donationes et renunciationes *ob ingressum in religionem* observari posset regulam esse generalem, dum Gregorius XVI *in cit. Motu proprio* insinuationis obligationem imponat, reiiciens quemcumque alium titulum. Itaque quum praescripsisset quod donationes irrevocabi-

les inter vivos, si scutata quingenta excederent, intra sex menses insinuari deberent, earum sancit et declarat nullitatem. Gregoriani Codicis spiritus esse videtur, ut requirat omnino insinuationis formalitatem, quando agitur de bonorum renunciatione, eoquod in Tit. I § 1 statuat, *constitutiones Apostolicae continuabunt esse civilium iudiciorum norma in omnibus pro quibus aliter non disponatur.* Sed insinuationis formalitas abscisse statuitur, ideoque cum obiectum civile respiciat, absolute observari debet sub nullitatis poena. Quapropter monialis Teresia quoad donationem paternam nil aliud obstringeretur dare suis consobrinis quam scutata quingenta.

Quinimo postposita insinuationis necessitate, dicebatur, vi legis Gubernii italici Religiosis utriusque sexus datum fuisse iuribus civilibus et politicis frui posse. Ideoque eo modo quo apud Romanos captivus, ruptis vinculis, quibus detinebamur ab hostibus, iure postliminii, in omnibus rebus et actionibus reintegrabatur; ita monialis reintegran deberet in suis iuribus, deficiente insinuatione. Et donationem ab ea peractam matris favore nullam habere vim ultra scutata quingenta.

Expositis principiis quae solemnitatum civilium defectum respiciunt, opportunum reputatum est exponere maximas quae moderantur reservationes in instrumentis renunciationis appositas, etsi decreto Iudicis peractas, et cum insinuationis actu. Et quaesitum fuit quaenam esset maxima a canonica iurisprudentia et a SS. Congregationum resolutionibus statuta quoad reservationes implícitas, seu expressas, quales ad amussim sunt quae in renunciationibus apponuntur *ob ingressum^ in religionem.*

Relate ad implícitas reservationes observatum fuit has fundamentum habere in ipsa renunciationum natura, quae sunt stricti iuris, neque admittunt casus connexos cum rebus expresse reservatis, Strickius cum aliis doctoribus Dissert. Iur. tom. VI disp. IX n. 51. « Reservatio iu-

« ris haereditarii usus introduxit successionem conven-
((tionalem, et simul varia pacta successoria, quae in
a *acquisita, conservativa, dispositiva et renunciativa di-*
« vidi solent. Circa renunciativa reservationibus potissi-
« mum opus est, quae si adiectae conservant, quod re-
te servant; si non adiectae pro regula tenendum quod re-
te nunciationes sint *stricti iuris* et in casu non veniant nisi
ee expressae, *aut quae* connexionem *habent cum expressis*
ee Thomas Carleval de iudiciis tit. 1 disput. 2 num. 138,
e< adeo ut quamvis verbis universalibus concepta sit
ee renunciatio ad ignorata vel incognita tamen non exten-
ee datur 15 de trans. L. 19 ff. de inofï. test. Nec comprehen-
ee dat ad haereditatem, cui renuntiatur, non pertinentia,
ee Hinc soror non arcetur si renunciaverit haereditati pa-
e< ternae a fratris haereditate licet in hac nonnisi bona
e< patris ante defuncti reperiantur. Et filius salvam habet
e< legitimam quamvis in universum haereditati renuncia-
ti verit. Reservata tamen legitima, illum a paterna hae-
e< reditate abstinere non posse volunt *ex I. 1 et 2 ff. de acq.*
e< *vel orniti, haer ed. ».*

His non obstantibus praetermitti nequit S. C. E. et R. resolutio in Syracusana 2. dec. 1842 *Super iure regressus ad bona in renunciatione reservata.* Quidam Oddus Gaetani valetudinis causa, relicta religione, quamvis sibi reservavisset ius redeundi in res paternas et maternas, tamen proposito dubio **ee** an et quomodo pertineat ad religiosum Oddum regressus in bona renuntiata in casu » respondit Congregatio *affirmative quoad usum dumtaxat* et ad mentem ; mens est quod usus terminetur prudenti consilio Ordinarii pro sua congrua sustentatione. Quoad eiusmodi reservationem, sequutus viam strictam consultor super eo casu autumavit regressum in bonis donatis incompatibilem esse cum totali atque perpetua expropriatione, quae ex voto solemni praecipue nascitur, ideoque exclusit quamlibet tum explicitam cum implicitam re-

servationem inhaerens doctrinae Angelici Doctoris 2. 2 q. 186 ad 1 : *Ad perfectionem vitae Dominus pertinere dixit quod aliquis eum sequatur, non qualitercumque sed ulterius retro non abiret unde Luc. V.* ***62*** *Nemo mittens manum ad aratrum, ei respiciens retro aptus est regno Dei.* Eoquod reservatio voluntatem minus firmam supponit in eo qui illam emittit, et quae perseverantiae doti opponitur. Cit. Consult. § 8 cit. « Religiosus quilibet debet « stabiliter sive constanter ac perpetuo semel assumptum <(religionis modum servare, ac in eo usque ad finem vi- **te** tae perseverare, ut non amplius liceat religionem dé- **te** serere ».

Adversus Concordiam seu Compromissum observatum fuit ex se corruisse, quum monialis ob renunciationem et solemnem professionem mortua civiliter dici possit ita ut *velle* et *nolle* iam amiserit, contractusque ab ea peracti nulli dicendi sint, utpote quae iuridica personalitate careat. Petra in Comment, ad constitut. Apostolicas Constit. V. Bened. XII sect. 1, n. 43, - ibi: « *Ex eisdem enunciatis principiis defectus nempe voluntatis, et incapacitatis sibi acquirendi, resultantibus ex solemnis professionis emissione, cessat in regularibus facultas ineundi contractus et se obligandi.* Nec aliam partem, quae Concordiae subscripsit, obligari posse, quia errore deceptam. *Nec ferendus est qui dicat consensisse eos in praesidem cum, ut lulianus scribit, non consentiant qui errent. Quid enim tam contrarium consensui quam error qui imperitiam delegit f leg. si per errorem ff. de iurisd.*

Favore tandem Concordiae seu compromissi animadversum fuit legem civilem disponere quod portio legitima et quota haereditaria debetur filiis plena proprietate. Insuper cunctis notum esse timorem alicuius quaestionis etsi dubiae, caussam transactioni dare posse. Urceolus De Transact. par. 1, quaest. II per totum : et num. 26 : *Dubia vero res in proposita materia dicitur pluribus modis,*

et primo quando super ea introductum fuit iudicium, et mota lis, qua indecisa pendente devenitur ad transactionem, cuius causa fit recessus a lite ab expensis et iurans, qui per se solus sufficit pro iustitia transactionis, quia magnum lucrum, et commodum consequitur, qui recedit a lite, L. in summa 65 in princ. ff. et n. 38 iniustitia litis non facit, quin vere lis existat.

In facto autem concordiam esse sequendam tum quia quaelibet pars statim in pacifica bonorum possessione intraret, tum quia Ordinarius, reiectis obiectionibus contrariis, demonstravit utrique parti perutilem fuisse eiusmodi concordiam.

Neque opponere profuisset votum paupertatis, independenter a quacumque renunciatione, et per seipsum inhabilem ad possidendum reddere. *Votum paupertatis est quaedam mors civilis, quia in hoc mundo moritur, qui omne dominium rerum mundi a se abdicat.* Nam proprietas ipsa subiici potest S. Sedi, quae suo arbitrio de ea disponere potest, relinquens ex. gr. religioso partem vel totam proprietatem ipsam ut alimentum ex ea habeat iuxta suam conditionem. In una Ferrarien. S. C. E. et E. anno 1820 rescriptum dedit moniali *adeundi fraternam hereditatem, deque ea disponendi per actus inter vivos, dummodo haereditas divideretur in tres partes; una eroganda arbitrio Mariae Hyacinthae, altera ad pias causas, tertia favore vel eius vel alterius ex reintegratis monasteriis Dioecesis Ferrarien.* Eminentissimus Marini hac super re observavit in suo doctissimo voto quod etsi monachus theologice considerari possit mundo mortuus, tamen civiliter mortuus dici nequit; si enim omnia facere nequit quod alii cives, id evenit ex eo quod se dedit perfectioni vitae profectuique spirituali. Ipsum retinere validas reservationes apud leges civiles, et contra donatarios, quibus hoc modo haud auferretur aliquod ius quaesitum. Et adductis nonnullis rationibus edixit reservationes semper

validas esse ad auferenda bona e manibus renunciatariorum; ast non posse concedere illorum dominium in manibus monachorum, quamvis sint extra Monasterium sine culpa. Ideoque dominium harum rerum manebit vel apud propriam Religionem, si adhuc existat, vel apud illum ad quem pertineret si Monachus profiteretur tempore quo reservatio fit operativa.

His praestitutis theoriis, Emus praelaudatus Consultor eas, quae sequuntur, deduxit conclusiones.

1. Omnibus renunciationibus emissis occasione professionis religiosae tacitam inhaerere reservationem, pro casu legitimi egressus a monasterio, absque renuntiantis culpa, redeundi in bona *postmodum delata et nondum alteri quaesita.*

2. In omnibus renunciationibus cum reservatione emissis, casu de quo supra, eiusmodi reservationem esse debere operativam adversus donatarios vel renunciatarios pro singulis effectibus renuntiationis absque ulla temporis distinctione.

3. Effectum harum reservationum, etsi eae verbis concipiantur quae secumferunt professi reditum ad dominium et proprietatem bonorum renunciatorum, alterare non posse translationem dominii eorumdem, opera et legum dispositione, independenter a renunciantis voluntate, qui materialiter bona retinere poterit, ut ex illis alimenta trahat, si ea aliunde obtinere nequeat, et nisi Apostolicum saecularizationis indultum vel suppressionis Bulla ad hoc providerit.

His in medium deductis pro utraque parte, Eminentissimorum iudicio subiectum fuit dirimendum

Dubium

An et quomodo sustineatur compromissum die 11 novembris 1873 in casu.

RESOLUTIO. S. Congr. EE. et RR. die 18 decemb. 1874, causa cognita, respondere putavit : *Attentis peculiaribus*

circumstantiis in casu concurrentibus non constare de nullitate Concordiae, seu compromissi.

CAUSAE PROSEQUUTIO. At animo non deiecta pars moniali adversa novam imploravit atque obtinuit audientiam eo fine ut iterum revisioni subiceretur data resolutio a S. Congregatione. Monialis vero misso altero supplici libello declaravit se omnino et libenter excipere exaratam resolutionem, et exposcere illius confirmationem Rescripto : *In decisis et amplius.* Sacra Congr. iterum causa discussa die 30 iulii 1875 respondit: *In decisis et amplius.*

EX QUIBUS COLLIGES :

I. Licere concordias seu compromissa fieri a litigantibus, indecisa pendente eorum lite; quia recedendo ab ea expensae atque iurgia vitantur; quod per se solum sufficit pro iustitia transactionis.

II. Nihil obstare, iuxta Doctores, quominus monachum, ante ingressum, bona sua donet vel renunciet modo *resolutivo:* ita ut cessante *causa finali* donandi vel renuntiandi quae praeexistebat in ingressum religioso, cesset et donationis vel renunciationis effectus \

III. Donationibus et renunciationibus omnibus, occasione religiosae professionis peractis, tacitam inhaerere reservationem (pro casu legitimi egressus a Monasterio) redeundi in bona *postmodum delata et nondum alteri quaesita.*

[1] Deesse dicitur renunciationis *finalis causa* pro Monacho his in adiunctis: vel si Ordo legitime supprimatur; vel si ob aliquam causam, alicui individuo propriam, Summus Pontifex illi indulserit extra monasterium vitam degere; vel si ille ad dignitatem Episcopalem evehatur, vel tandem si vis maior (et bru tal is uti nunc apud nos evenit nomine legis agens) nolentem e Monasterio detrudat, neque illi spes affulgeat alimenta obtinendi a suo monasterio, vel violenter despoliato aut legitime suppresso. Monachus enim haud censuerat sese propriis bonis despoliare, nisi esset a quo victum repetere posset; quia forsan nunquam contendit ad altioris perfectionis vitam, sese aliorum charitati omnino committens, victum habitumque sibi emendicans.

IV. Idque fortius evenire quando explicita praecedit reservatio; nam isto in casu, bona donata vel renuntiata non sunt donatario aut renunciatario irrevocabiliter quaesita, quia in principio eadem recepit sub illa modificatione.

V. Proindeque purificata conditione sub qua Monachus fecit donationem aut renunciationem, illico sublatam esse renunciationem et donationem, resolutumque permanere omne ius donatarii aut renunciatarii; et monacho ius esse bona vindicandi, licet alteri quaesita vel ad tertios delata.

VI. Attamen pactum pro facultate recuperandi bona intelligi debere eo modo quo potest (ne corruat, sed vim habeat), nempe si accedat Apostolica dispensatio.

VII. Rerum vindicatarum dominium haud spectare absolute ad Monachum; sed spectare vel ad suam Religionem, si existat, vel ad illum ad quem spectaret si Monachus profiteretur tempore quo reservatio fit *operativa* [1]

VIII. Nihil interea temporis obstare materialem detentionem bonorum vindicaturum manere apud Monachum: ut ex his alimenta trahat, quae ei Monasterium praebere debuerat, et quae absque sua culpa ei defuerunt.

IX. *Theologice* quidem Monachum professum dici posse mundo mortuum, quia *mundo, cum omnibus quae in mundo sunt, renuntiavit;* et Eugenius Papa Can. VIII q. I Caus. XVI, *mundo mortuus est, Deo vivit.*

X. *Civiliter* vero iuxta Canonistas nonnullos dici non posse monachum professum esse mortuum [2], quia lex civilis ipsa ei aliqua reliquit iura intacta etiam post professionem.

[1] Dicitur *operativa* neri reservatio contra donatarium aut renunciatarium, statim ac suum consequatur effectum, idest quando actus, cui eiusmodi reservatio apposita fuerat, ad nihilum redigitur perinde ac numquam extitisset.

[2] Iuxta virum doctissimum in iure canonico *mors civilis* Monachorum nil aliud est quam merum commentum, nisi dici velit *atrox iniuria,* quae

XI. Valde enim inter se differre monachi professi et mortui civiliter incapacitates quoad iura civilia; quoniam prima virtuosa fulcitur bonorum temporalium renunciatione ad liberius Deo inserviendum; cum sit altera necessaria culpae atrocis consequentia.

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM.

Feria II die ***6*** *decembris* ***1875.***

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a Sanctissimo Domino Nostro Pio PAPA IX Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in palatio Apostolico Vaticano die 6 novembris 1875 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque vel alias damnata atque proscripta in indicem Librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

CECCHETTI BARTOLOMEO. *La Repubblica di Venezia e la Corte di Roma ne' rapporti della religione.* - Vol. 2. - Venezia, stabil, tipogr. di P. Naratovich. 1871.

La Foi et la Science, explosion de la libre Pensée, en

imprudenter prolata ab aliquo Canonista, et ab iis collecta, qui obliti *civilitatem* ab ordinibus religiosis semper provectam fuisse, duras mortis civilis applicuerunt consequentias Religiosis professis, ut eos etiam iuribus illis despoliarent, quae leges ipsae intacta eisdem linquebant.

août et septembre 1874. Discours annoté de MM. TYNDALL, DU Bois REYMOND, OWEN, HUXLEY, HOOKER et sir JOHN LUBBOCK par M. l'abbé MOIGNO chanoine de Saint Denis, Rédacteur en chef des *Mondes.* - Paris 1875. Opuse, in 8 pagg. XXIV, 216. Opus praedamnatum ex Regula II Indicis Trid., non tamen ob notas et praefationes editoris.

Risposta all'Orazione di Monsignor Lucido Parochi Vescovo di Pavia, detta nella chiesa prepositurale di San Francesco l'otto dicembre 1872 e pubblicata nel 1873 sull'immacolata Concezione di Maria. Ossia ripetizione della *Protesta* colla sua giustificazione contro il nuovo e falso dogma dell'immacolata Concezione di Maria e *Protesta* contro l'altro nuovo e falso dogma dell'infallibilità del Papa quando parla dalla Cattedra, che il sacerdote Giuseppe Grignani, uno dei preti scomunicati, publica anche a nome di altri fedeli cattolici dell'uno e dell'altro sesso. - Pavia 1874 coi tipi del Bizzoni. - Opus praedamnatum ex Regula II Iudicis Trid. - Decr. S. Oft fer. IV. die 21. iulii 1875.

L'anima Santissima di Gesù Cristo mostrata nella sua vera origine e grandezza. Contemplazioni dedicate agli amanti della medesima per Giovanni Battista Pritoni (Minore Osservante e chiamato Padre Pio da Bologna). Opuscolo. - Bologna 1871, pel Tipogr. Giacomo Monti. - Decr. S. Off. fer. V. die 9 septembris 1875.

Auctor operis cui titulus : *Programma sul diritto ecclesiastico, per* CARLO CUCCA, prohib. Decr. 19 dec. 1861, laudabiliter se subiecit et Opus reprobavit.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, Sanctitas Sua Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die VII decembris MDCCCLXXV.

ANTONIUS Card. DE LUCA, *Praefectus.*

Fr. Hieronymus Pius Saccheri Ord. Praed.,
S. Ind. Congreg, a Secretis.

L. ffi S.

Die 13 decembris 1875 ego infrascriptus magister Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Philippus Ossani, *Mag. Curs.*

EX S. CONGREGATIONE S. R. U. INQUISITIONIS

DECRETUM.

Cum nuper inter Theologos Urbis exorta fuerit quaestio, utrum scilicet reservatio casuum facta Episcopis seu locorum Ordinariis a Constitutione *Apostolicae Sedis moderationi* diei 12 octobris 1869 comprehendat etiam Cardinalem Urbis Vicarium pro-tempore, ita ut Confessarii teneantur facultatem ab ipso obtinere pro validitate absolutionis, quamvis hactenus in usu fuerit iurisdictionem memoratis Confessariis haud cohibere quoad casus a iure Episcopis et Ordinariis locorum reservatos, Emus ac Rmus Cardinalis Constantinus Patrizi modernus Urbis Vicarius pro sua spectata prudentia litteris diei 15 Octobris labentis anni, expositis hinc inde eorumdem Theo-

logorum opinionibus cum rationum momentis quibus innituntur, eiusmodi controversiam examinandam proposuit S. Congregationi Supremae Inquisitionis, hac rogationis formula.

An in vim Constitutionis *Apostolicae Sedis moderationi* diei 12 octobris 1869 Confessarii Urbis speciali facultate Emi Urbis Vicarii indigeant ut absolvant a censuris quae in dicta Constitutione Episcopis seu locorum Ordinariis reservantur.

Feria IV die i decembris 1875.

In Congregatione Generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis habita coram Emis ac Rmis DD. S. R. E. Cardinalibus Inquisitoribus proposito suprascripto dubio, et praehabito voto DD. Consultorum; iidem Emi ac Rmi DD. dixerunt - Ad R. P. D. Adsessorem cum SSmo ut attentis omnibus declarare dignetur posse servari solitum.

Eadem die ac Feria.

SSmus D. N. D. Pius Divina Providentia PP. IX in solita audientia R. P. D. Adsessori impertita, audita relatione, ut supra, suffragia DD. Eminentissimorum adprobare dignatus est.

I. Pelami, S. Rom. et Univ. Inq. *Notarius.*

L ©S.

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM

DECRETUM.

Romana seu Setina Beatificationis et Canonizationis Ten. Seryi Dei Fr. Caroli a Setia Laici Professi Ordinis Minorum Sancti Francisci Reformatorum.

SUPER DUBIO

An stante approbatione Virtutum et duorum Miraculorum tuto procedi possit ad Beatificationem Ven. Servi Dei f

Verbum Crucis pereuntibus stultitia; ideo eiusdem inimici, quorum finis interitus, omnia moliuntur, viresque exerunt suas, quibus hodie potiuntur in generis humani perniciem, ut Crucis sectatores disperdant, ac penitus destruant. Scriptum vero est : perdam sapientiam sapientium; stultam enim fecit Deus sapientiam huius mundi. Quod Apostolicae veritatis oraculum adimpletum hodie miratur Ecclesia in Ven. Servo Dei Carolo a Setia. Is enim Crucis illectus amore humili Laicorum coetui se mancipavit in familia Assisiensis Patriarchae strictioris observantiae, ut abiectus esset in domo Dei. Verum heroica virtutum exercitatione ac coelestium charismatum donis quibus illustrabatur a Deo, ita sanctitatis fama conspicuus, ut vivens etiam a contubernalibus non modo, sed a viris quoque Principibus in veneratione haberetur.

De Ven. Servi Dei virtutibus actum proinde est in Sacrorum Rituum Congregatione : easque heroicas solemni Decreto pronuntiavit Sa. Me. Clemens PP. XIV, postridie Idus iunii An. MDCCLXXII, quas testabantur quoque prodigia eiusdem ope patrata. Duo autem ex iis, quae proposita fuere in eius sanctimoniae argumentum Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. Pontificio decreto probavit XVIII Kalend, septembris an. MDCCCLXII.

Ad decernendos igitur Ven. Servo Dei publici cultus honores, illud supererat unum iuxta sacri huius fori disciplinam, ut disquireretur : *An stante Virtutum, et duorum Miraculorum approbatione tuto procedi posset ad Ven. Servi Dei Beatificationem* ***f*** - In frequentissimo autem conventu coram SSmo Dno Nostro Pio PP. IX in aedibus Vaticanis habito Kalendis iunii vertentis anni Revendissimus Cardinalis Ioannes Baptista Pitra Causae Relator enunciatum dubium proposuit, eique unanimi voce Patres omnes suffragati sunt. Decretoriam vero sententiam Beatissimus Pater proferre distulit, singulos monens ut in re tanti momenti Sedium aeternar um assistricem sapientiam a Domino humiliter invocarent. Fusis itaque in plures dies precationibus ad coeleste lumen impetrandum SSmus Dominus Noster hac die Praesentationi Immaculatae Virginis sacra post salutaris Hostiae in privato Pontificio sacello pientissimam oblationem, in Vaticanae aedis aulam nobiliorem arcessivit Reverendissimum Cardinalem Constantinum Patrizi Episcopum Ostien. et Veliternen. Sacri Collegii Decanum Sacrorum Rituum Congregationis Praefectum, ac Rmum Cardinalem Joannem Baptistam Pitra Causae Relatorem una cum R. P. Laurentio Salvati S. Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus pronunciavit : *Tuto procedi posse ad Ven. Servi Dei Caroli a Setia Beatificationem.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri, in SS. Rituum acta referri, Literasque Apostolicas in forma Brevis de solemni Beatificationis ritu in Patriarchali Basilica Vaticana quandocumque celebranda expediri mandavit.

xi Kal. decembris an. MDCCCLXXV.

C. Card. PATRIZI,
Episc. Ostien. et Velitern., *S. R. C. Praef.*

L. © S.

Piae. Ralli, *S. R. C. Secretarius.*

LITTERAE APOSTOLICAE

litterae Apostolicae quibus Facultati theologicae Pictaviensi canonice confertur institutio et potestas Lauream concedendi.

PIUS PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Pictaviensem Ecclesiam, iam inde a primis temporibus quibus Christiana Religio G-allias pervasit, omni laudum genere floruisse constat. Ex hac mature prodiit illud ingenii et scientiae lumen Hilarius, qui terrarum orbi et cunctae affulsit Ecclesiae ut dicendi vi ac copia singulari eodem tempore Constantii Augusti minas furoremque contunderei, Arianorum fraudes detegeret, erroresque refutaret. Nullus per ea tempora neque tam longinquus neque tam reconditus locus erat, quo Romanum nomen pervenerat, qui summis haud laudibus sanctitatem vitae, puritatem doctrinae, splendorem nitoremque eloquentiae tanti fidei Confessoris efferret, adeo ut magnus ille vir ad propriae iustitiae fructus eos adiecerit quos caeteri ab

ipsius disciplina et scriptis uberes sane diuturnosque cepere.

Neque minori emolumento scientiis et humanioribus litteris in civitate Pictaviensi fuit Venantius ille Fortunatus, quem quasi dedisse Galliae videtur Italia, ut suavitate poeseos ethnicorum reliquias Christianae Religionis mysteriis sensim imbueret, caneretque illustrium virorum, laudes et ingentia opera quae in Galliarum Ecclesia tunc passim excitábante.

Quare minime mirandum si, istorum Patrum vestigiis inhaerens, iuventus Pictaviensis in illud potissimum animum intenderet, ut in sacris profanisque studiis caeteris antecelleret. Itaque simul ac barbarorum incursionibus cessatum, depulsisque ignorantiae tenebris lycea, magna insurgentium scientiarum ac litterarum domicilia, auspice Ecclesia institui coepta sunt, Pictaviensi in civitate illud extitit quod ad preces Caroli VII, Galliarum Regis, Eugenius IV Praedecessor Noster erexit, et ab anno reparatae salutis Mccccxxxi, scientiarum ac litterarum cultui et honori fere usque ad nostra tempora stetit.

Tantae veluti gloriae haeres venerabilis Frater Ludovicus Eduardus Pie, Episcopus Pictaviensis, quo praesertim sacra Theologia, scientiarum omnium parens ac fastigium, cunctarumque veritatum quae ad exploratam felicitatem atque aeternam hominis vitam, quin et ad eius erga Deum, erga seipsum et erga humanam communionem officia pertinent, custos et vindex, Pictavii proprio veluti in domicilio conquiesceret, daretque fructus eius civitatis celebritati consentaneus, maximi exempli studio atque industria, prope iam vicesimum annum adlaborat ut Theologicae Scholae Pictavienses doctorum fama et disciplinarum amplitudine ac puritate praefulgeant.

Quo quidem in exequendo consilio egregios nactus est operis socios et in omni doctrinae genere maxime spe-

ciatos, Nobis vero diuturnissima experientia probatissimus, qui proximis hisce annis Alma in Urbe Nostra in tradendis Theologicis, Canonicis, Philosophicisque disciplinis summa sunt cum laude successuque versati.

Nuper vero idem venerabilis Frater Nobis exposuit sibi ad augendum Theologicarum earumdem Scholarum splendorem esse in animo alias cathedras, aliasque disciplinas adiicere, sociorum pariter qui supra scripti sunt curae committendas, ac, propositis ad imitandum Theologicis Almae huius Urbis Facultatibus, quae sub auspicio et patrocinio Romani Pontificis inter caeteras semper principem locum tenuere, id unum conari ut Pictaviensium Theologicarum Scholarum ratio illarum imaginem adumbret ac referat. Item a Nobis enixis precibus petiit ut Theologicis istiusmodi Scholis, satis iam tot annorum periclitatione probatis, atque ad tam salubrem frugiferamque normam exactis, quemadmodum alias deferendorum Baccalaureatus ac Licentiae graduum candidatis qui, facto doctrinae suae solemni periculo, probitate morum, alacritate studiorum, scientiae laude illo digni honore habiti fuerint, Sancta haec Sedes ius impertit, ita Lauream quoque doctoralem concedere ex Apostolica venia Nostra liceat.

Nos igitur qui probe scimus nihil in istis Scholis tradi quod omnino non sit saniori doctrinae consonum, ac re experti novimus quot et quanti momenti fructus non modo in civitatem ipsam Pictaviensem ac finítimas dioeceses quae Metropolitae Burdigalensis iurisdictione continentur, sed etiam in regiones longe dissitas inde redundaret, quique pro certo habemus memorati venerabilis Fratris et eius sociorum diligentia factum iri ut eaedem Scholae acrius in dies impensiusque se dent ad verae religionis scientiam propagandam ac strenue asserendam, votis huiusmodi obsecundare, quantum cum Domino possumus, voluimus, atque ita tum sancto Hilario Doctori

caeterisque Pictaviensis Ecclesiae coelestibus Patronis debitum habere honorem, tum eumdem Antistitem Ludovicum Eduardum propria ac praecipua paternae benevolentiae Nostrae significatione complecti.

Quae cum ita sint, singulos atque universos quibus Nostrae hae litterae favent ab quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censeris, sententiis et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Theologicas Scholas Pictavienses de quibus habita ante mentio est, in propriam ac vere dictam Facultatem Theologicam auctoritate Nostra Apostolica, tenore praesentium erigimus, eisque concedimus ut, praeter potestatem conferendi minores academicos gradus, iure polleant conferendi, iuxta methodum in hac Alma Urbe servatam, doctoralem Lauream illis qui rite sacrae Theologiae cursum ibi absolverint, et, facto doctrinae periculo, coram quatuor saltem examinatoribus, praeter Praesidem studiorum Praefectum eiusve substitutum, professoribus Theologicis, prudenti suffragiorum pluralitate digni huiusmodi honore fuerint iudicati.

At enim praecipimus ut qui doctores ita fuerint renunciati Laurea decorentur, postquam Fidei Catholicae professionem emiserint iuxta formam a Pio IV Praedecessore Nostro recolendae memoriae praescriptam, atque huius fidei professionis conceptis verbis mentio fiat in diplomatibus sive uteris quae ad rei fidem faciendam edentur. Eadem porro auctoritate per praesentes impertimus ut qui Laurea, uti descripsimus, insigniti fuerint, eisdem honoribus, privilegiis, praerogativis uti ac frui optimo iure possint ac illi utuntur, fruuntur, qui in hac Alma Urbe Nostra eo ipso honore decorantur.

Tandem decernimus praesentes Nostras litteras firmas, validas et efficaces fore, suosque plenarios et integros

effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos pertinent pertinuerintque hoc futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per qualescumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, Sedis Apostolicae Nuntios, ac Sanctae Ecclesiae Romanae Cardinales etiam de Latere Legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque speciali licet atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die i octobris MDCCCLXXV, Pontificatus Nostri anno trigesimo.

L, © S.

F. Card. ASQUINIUS,

Litterae Apostolicae ad Eminentissimum Virum D. Cardinalem Régnier Archiepiscopum Cameracensem missae, occasione fundationis Universitatis catholicae Insulensis *(Lille).*

PIUS PP. IX.

DILECTE FILII NOSTER, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Quae tu, dilecte Fili noster, una cum venerabili fratre Ioanne Baptista Iosepho, episcopo Atrebatensi, significas de studio quo prospicere satagitis per quasdam saltem facultates rectae iuventutis institutioni, atque ita exordiri propositae universitatis molitionem, ea Nobis sunt acceptissima.

Videmus enim quot mentes per structas legum captiones vitientur, et quot animis materialismus ingeratur

per inania commenta gravi scientiae apparatu ducta e physicis disciplinis.

Sicuti igitur utilissimum censemus hisce malis occurrere per sanam solidamque doctrinam, quae sacrorum pastorum inspectioni ac regimini subiecta nullo modo deflectat a veritate; sic ultro omnia fausta adprecamur huiuscemodi exordiis et iis omnibus qui ipsis suffragantur, egregioque consilio vestro ferunt opem.

Cupimus autem ut superni favoris auspex sit apostolica Benedictio quam praecipuae nostrae benevolentiae testem tibi, Dilecte Fili Noster venerabili Fratri episcopo Atrebatensi, illis qui incepto vestro quoquo modo suppetias ferunt, et clero populoque tuo ac Atrebatensi toti peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die iv novembris an. MDCCCLXXV, Pontificatus Nostri anno tricesimo.

PIUS PP. IX.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

DIE 28 IANUARII 1876. Postquam Sanctissimus D. N. Pius Papa IX hoc mane in Palatio Apostolico Vaticano os clausisset, de more, Emo Cardinali Rogerio Aloisio Aemidio Alitici Mattei, creato die 15 martii, et publicato die 17 Septembris 1875, sequentes proposuit Ecclesias :

ARCHIEPISCOPALEM ECCLESIAM SIDEN, in partibus infidelium vacan, per assignationem Tituli Presbyteralis S. Caeciliae factam, Emo ac Rmo Domino Innocentio S. R. E. Cardinali Ferrieri; ad eamdem Ecclesiam Sanctissimus transtulit R. P. D. Iulium Lenti, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere cum de mense Februario 1867 invicem perpetuo unitis Ecclesiis Nepesinae ac Sutrinae praefectus fuit.

Sida ampla quondam metrópolis et urbs maritima Pamphyliae ad Ciliciae fines inter ostia Eurymedontis ad occasum et Coracensium urbem ad ortum, adhuc sub infidelum potestate miserrime detinetur; quocirca status eius infandus silentio praeteritum

METROPOLITANAM ECCLESIAM DE MANILA in insulis Philippinis vacan, per dimissionem a R. P. D. Gregorio Melithon Martínez in manibus Sanctitatis Suae ultro libenterque peractam, et ab eadem admissam; Sanctissimus ad praesentationem Serenissimi Regis Catholici ad recensitam Metropolitanam Ecclesiam promovit R. P. Fr. Petrum Payo ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in civitate, quae appellatur ***de la Coruna*** archidioeceseos Compostellana^ progenitura, et sexagesimum primum aetatis suae annum supergressum. Sacro 'Presbyteratus ordine dudum initiatus, et in ordine Praedicatorum S. Dominici solemnia vota professus, in ecclesiasticis functionibus perfungendis sese laudabiliter exercuit. In suo ordine et pro Asiae sacris missionibus Provincialis effectus, pro quibusdam Ecclesiis dioeceseos Caebuanae vel Nominis Iesu Parochus etiam renunciatus est.

Manila urbs et emporium Asiae in Oceano indico, et insularum Philippinarum caput, in provincia eiusdem nominis, ac signanter in meditullio cernitur insulae Lusoniae nuncupatae ; ibique sex circiter mille degunt incolae sub temporali dominio praefati Serenissimi Regis Catholici.

Metropolitana Ecclesia Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis titulo gloriatur, bonum praefert aedificium, plures exigit reparationes, et quatuor eidem suffragantur Episcopi.

Eius Capitulum quinque enumerat dignitates, quarum post pontificalem prima Decanatus, duos Canonicos, quatuor insuper cum theologo ae poenitentiario integros, ac totidem medios Rationarios, nonnullos Capellanos, aliosque Presbyteros et Clericos rei divinae operam navantes.

Per Parochum animarum cura exercetur ipsamet in Metropolitana, ubi nedum fons adest baptismalis, atque sacrarium omni supellectili sacra sive ad divinum explendum cultum, sive ad pontificalia peragenda sufficienter instructum, verum et nonnullae praesto sunt Sanctorum reliquiae decenter adservatae, chorus insuper, organum, campanile cum campanis, atque extra urbem coemeterium.

Palatium Archiepiscopale amplum satis ac decens Metropolitanae est proximum, nullamque exposcit reparationem.

Nulla alia praeter Metropolitanam reperitur Manilae paroecialis Ecclesia, sed sex in suburbiis baptismali fonte munitae, quatuor item

pro viris, ac unum pro mulieribus monasterium, duo insuper nosocomia, septem laicorum sodalitates, mons pietatis, atque seminarium.

Archidioeceseos ambitus decem complectitur provincias civiles, quae sub se continent centum sexaginta octo loca totidem ditata paroeciis.

CATHEDRALES ECCLESIAS SUTRIN. ET JSTEPESIN. invicem perpetuo canonice unitas vacan, per translationem R. P. D. Iulii Lenti ad Ecclesiam Archiepiscopalem Sidensem in partibus infidelium; Sanctissimus ad relatas Ecclesias promovit R. D. Ioannem Baptistam Paolucci ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, qui vulgo dicitur ***Saltara*** Eanensis dioeceseos progenitum, et in quadragesimo tertio aetatis suae anno constitutum. Inter alumnos seminarii, quod a munificentissima Sanctitatis Suae liberalitate Romae erectum Pium vocatur, olim cooptatus, ibique Presbyteratus ordine, ac tum in sacra theologia, tum in utroque iure doctorali laurea donatus est.

Sutrium ac Nepes, vel Nepete in provincia patrimonii S. Petri sitae reperiuntur, quarum prima in colle aedificata, in suo unius circiter milliarii ambitu tercentum enumerat domos et fere bismille et quingentos habitatores continet; altera vero plano in loco posita in suo unius pariter milliariii ambitu ultra biscentum quinquaginta domos, atque bismille complectitur incolas.

Cathedralis Ecclesia Sutrina Assumptionis Bmae semperque Virginis Mariae, et S. Dulcissimam Virginis ac civitatis Patronae titulo gloriatur, boni est aedificii, et nullam reparationem expostulat : Nepesina vero SS. Romano et Ptolomeo ipsius civitatis antiquioribus Episcopis et Patronis dicata sub invocatione Assumptionis Bmae Virginis Mariae optimi et recentis aedificii, nullius eget reparationis, et utraque Apostolicae Sanctae Sedi est immediate subiecta.

Primodictae Ecclesiae Capitulum unicam Archipresbyteratus habet dignitatem, quatuordecim Canonicos cum theologo ac poenitentiario, ac duos Beneficiarios: Capitulum autem Nepesinum itidem unicam Archipresbyteri recenset dignitatem, septemdecim Canonicos cum utraque praebenda, ac duos Bénéficiâtes; utrobique tandem nonnulli alii Presbyteri et Clerici divinis inserviunt.

Habitualis cura animarum est penes unumquodque Capitulum; attamen exercetur per proprium Parochum Canonicali praebenda donatum, et per concursum electum atque ab Episcopo adprobatum respectivis in Cathedralibus, ubi praeter baptismalem fontem, ac sacrarium supellectili sacra sive ad divina obeunda officia, sive ad pontificalia exercenda satis instructum praesto sunt plura Sanctorum

corpora, insignesque reliquiae magna veneratione custoditae, ac etiam chorus, organum, campanile cum campanis et coemeterium extra ei-, vitatem.

Respectivae Episcopales aedes Cathedrali adhaerentes optimum habent aedificium, et nullam exigunt reparationem.

Praeter Cathedralem in Sutrina civitate altera tantum extat paroecia, unum virorum et aliud mulierum monasterium : in Nepesina vero civitate aliae quatuor reperiuntur parochiales Ecclesiae sine fonte baptismali, duo virorum et unum mulierum monasterium : utrobique tandem praesto sunt hospitale, plures laicorum sodalitates, mons pietatis, et seminarium.

Dioeceses unitae ad septuaginta circiter milliaria extenduntur, et plura sub" se continent loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM PLACENTIN. vacan, per obitum bon. mem. Antonii Ranza ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus ad dictam Ecclesiam Placentinam promovit presbyterum R. D. Ioannem Baptistam Scalabrini ex legitimis catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen ***Fino*** Comensis dioeceseos progenitum et in nono supra tricesimum aetatis suae anno constitutum. Sacro Presbyteratus ordine dudum insignitus, in ecclesiasticis obeundis functionibus navam impendit operam. In seminario dioecesano ad S. Abundium linguarum italicae, latinae, ac graecae Magistrum agens, inibi Rectoris munere perfunctus est. Inter pro-synodales dioeceseos Examinatores adscitus, Parochus-Prior ad S. Bartholomaeum in suburbiis Novocomi ad praesens usque renunciatus est.

Placentia urbs Italiae notissima in Aemilia posita ad laevam Padi, plano feracique in loco aedificata, muro et arce munita, quinque prope milliarium spatio concluditur, ac fere sex mille familias, incolasque continet triginta circiter mille.

Cathedralis Ecclesia, operis antiqui amplissimique, a Beata Maria semper Virgine in Coelum Assumpta nuncupatur, et optimi elegantisque aedificii nulla indiget reparatione; Cathedra vero Episcopalis Apostolicae Sanctae Sedi est immediate subiecta.

Eius Capitulum sex enumerat dignitates, quarum post pontificalem princeps Praepositura, viginti septem Canonicos cum utraque praebenda, Mansionarios quatuor, triginta Beneficiarios, et duos caeremoniarum magistros, aliosque Presbyteros et Clericos divinis ministeriis inservientes.

Habitualis animarum cura penes Collegium Canonicorum est, et actualis apud Canonicos Praepositum et Archipresbyterum, sed per

duos Sacerdotes exercetur, alterum a Praeposito, alterum ab Archipresbytero electum, ab Episcopo adprobatos et ad nutum amovibiles. In eadem Cathedrali Ecclesia fonte baptismali munita, plura Sanctorum pignora, praecipue corpus S. Iustinae Virginis et Martyris civitatis Patronae, religiose adservantur: insunt pariter duo sacraria omni sacra supellectili ad divina peragenda, exercendaque pontificalia munera abunde locupletata; chorus insuper, tria organa, turris cum campanis, et coemeterium extra ipsius civitatis moenia positum est.

Praeter Cathedralem dum supra triginta parochiales Ecclesiae eadem in urbe recensentur fonte baptismali praeditae, quarum sex sunt etiam Collegiatae, collegium virginum Ursulinarum nobilibus puellis instituendis, quaedam virorum ac duo mulierum monasteria, domus orphanorum et tria puellarum conservatoria, plura laicorum sodalitia, duo hospitalia, mons pietatis, seminarium, nec non insigne Alberonianum collegium Presbyteris S. Vincentii a Paulo concreditum, sexaginta Clericis per novem annos pietate ac doctrinis tum philosophicis, tum theologicis ad sacerdotale munus gratis instituendis, ac aliud in dioecesi seminarium.

Dioecesis Piacentina latissime patet, et plura sub se complectitur loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM NOVARIEN, vacan, per obitum, bo. me. Iacobi Philippi Gentile ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti ; Sanctissimus ad eam promovit R. D. Stanislaum Eulam Presbyterum Monregalensem, Archipresbyterum illius Cathedralis, Casuum moralium et Sacrae Liturgiae Moderatorem, et S. Theologiae Doctorem.

Novaria Insubriae civitas in agro Pedemontano Mediolanum inter et Vercellas supra collem, aedificata, in suo duorum fere milliarium ambitu, viginti circiter habitant incolarum millia.

Ecclesia Cathedralis Binae semperque Virginis Mariae in Coelum Assumptae titulo gloriatur, bonum praefert aedificium, nullius magni momenti reparationis eget et Archiepiscopo Vercellen si suffragatur.

Eius Capitulum duplicem recenset dignitatem, cuius post pontificalem princeps Archidiaconatus, quindecim cum theologo ac poenitentiario Canonicos, novem Bénéficiâtes, quatuor Capellanos-Chorales, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Per Archipresbyteri dignitatem, cui duo Sacerdotes auxilium praebent, animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali, ubi nedum

fons adest baptismalis, atque sacrarium omni supellectili sacra sive ad divina obeunda officia, sive ad pontificalia peragenda sufficienter instructum, verum et nonnullae praesto sunt insignes Sanctorum reliquiae, praesertim SS. Laurentii Presbyteri et Martyris, Bernardi et Agabii eiusdem civitatis Episcopi, decenter adservatae, chorus insuper, organum, campanile cum campanis et extra urbem coemeterium.

Episcopale palatium, commodum satis ac decens, ipsi adhaeret Cathedrali, nullamque exposcit reparationem.

Quinque aliae recensentur Novariae paroeciales Ecclesiae, quarum altera sub titulo S. Gaudentii est etiam Collegiata, et quatuor in suburbiis; quaedam insuper virorum ac duo mulierum monasteria, aliquot laicorum sodalitia.

CATHEDRALEM ECCLESIAM CON S TANTEEN, provinciae Rothomagen, vacan, per dimissionem a R. P. D. Ioanne Petro Bravard in manibus Sanctitatis Suae libere ac sponte peractam, ab Eademque admissam : Sanctissimus, ad nominationem perillustris Viri Mauritii de Mac-Mahon Ducis Magentae, Gallicae Reipublicae Praesidis, ad eam promovit R. D. Abelem Anastasium Germain Presbyterum Dioeceseos Baiocensis, Archipresbyterum Parochum illius Dioecesis.

CATHEDRALEM ECCLESIAM S. **PETRI, SEU MARTINICEN**. vacan, per translationem R. P. D. Amandi Iosephi Fava ad Sedem Gratianopolitanam; Sanctissimus ad recensitam Ecclesiam ad nominationem perillustris Viri Mauritii de Mac-Mahon Ducis Magentae, Gallicae Reipubl. Praes. promovit R. D. Iulianum Franciscum Petrum Carmené ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in paroecia de ***Trébry*** dioeceseos Briocensis progenitum et in quadragesimo septimo aetatis suae anno constitutum. Dioecesi S. Dionysii canonice incorporatus, ac Presbyteratus ordine dudum initiatus, in ecclesiasticis obeundis functionibus navam impendit operam. Apud S. Dionysii vel Reunionis civitatem ac dioecesim in curae animarum exercitio qua Vicarius addictus, Superior seminarii-collegii ac Parochus in vasta paroecia adlectus est. Eadem sede vacante Administratoris munere perfunctus, ac illius Antistitis Vicarius in spiritualibus Generalis ad praesens usque renunciatus est.

Cathedralis Ecclesia, satis amplae elegantisque structurae, Bmae Virginis Mariae in coelum Assumptae titulo gloriatur, nullius eget reparationis atque Burdigalensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum nondum constitutum quindecim circiter recenset Canonicos honorarios; animarum vero cura per Parochum Decanum a duobus Vicariis adiutum ipsamet exercetur in Cathedrali, ubi ne-

dum fons adest baptismalis atque sacrarium omni supellectili sacra sive ad divina obeunda officia, sive ad pontificalia peragenda sufficienter instructum, verum et nonnullae praesto sunt Sanctorum reliquiae decenter adservatae, chorus insuper, organum, campanile cum campanis, atque coemeterium.

Duae aliae recensentur in urbe S. Petri paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, duae pro viris ac tres pro mulieribus religiosae domus, binae laicorum sodalitates, duplex hospitale, atque seminarium-collegium.

Dioeceseos ambitus totam complectitur insulam Martinicensem, ad quinquaginta fere leucas per circuitum protenditur ac triginta quinque circiter sub se continet paroecias.

CATHEDRALEM ECCLESIAM PAS S AVIEN, vacan, per obitum bo. me. Henrici Hofstätter ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus promovit ad recensitam Ecclesiam ad nominationem Serenissimi Bavariae Regis vigore indulti Apostolici R. D. Iosephum Franciscum Weckert ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen ***Wallerstein*** dioeceseos Augustanae progenitum et quinquagesimum, tertium aetatis suae annum supergressum. Sacro Presbyteratus ordine dudum initiatus, in ecclesiasticis functionibus obeundis, praesertim in praedicatione verbi Dei, sese laudabiliter exercuit. In Auxiliarem parochi Kleinerdlingensis assumptus, et Capellanus ac Vicarius paroeciae ad S. Udalricum et Afram. in. urbe Augustana effectus, apud illam curiam Episcopalem, a secretis atque a consiliis etiam in causis matrimonialibus munere perfunctus est. Ipsiusmet Cathedralis Chorivicarius ac Subcustos, et ad praesens usque Canonicus ^enunciatus est.

Passaviae civitas ad orientalem Bavariae plagam in finibus Austriaci imperii, ad Danubii ac Oenii ripas extructa satis ampla est, et a sexdecim pene millibus inhabitator catholicis incolis sub temporali dominio praefati Serenissimi Regis.

Cathedralis Ecclesia satis pulchrae italicae structurae S. Stephani titulo gloriatur, nullius eget reparationis, et Archiepiscopo Monacensi ac Frisingensi suffragatur.

Eius Capitulum duplicem recenset dignitatem, cuius post pontificalem princeps Praepositura, octo cum theologo ac poenitentiario Canonicos ac sex Vicarios.

Per alterum ex Canonicis animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali, ubi nedum fons adest baptismalis atque sacrarium omni supellectili sacra sive ad divina obeunda officia, sive ad pontificalia

peragenda sufficienter instructum, verum et plures praesto sunt Sanctorum reliquiae, praesertim SS. Valentini et Maximiliani decenter adservatae, chorus insuper, organum, campanile cum campanis atque coemeterium.

Tres aliae recensentur Passaviae paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, pia virginum anglicanarum domus pro puellis instituendis, aliquot laicorum sodalitates, hospitale, mons pietatis atque seminarium.

Dioeceseos ambitus satis late patet, centum quinquaginta sub se complectens paroecias, aliaque loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM NOMINIS IESU in insulis Philippinis vacan, per obitum bon. mem. Eomualdi Ximeno ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus ad memoratam Ecclesiam promovit, ad praesentationem Serenissimi Regis Catholici R. P. Fr. Benedictam Romero ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, qui vulgo dicitur ***Madrideios*** Toletanae archidioeceseos progenitum et sexagesimum tertium aetatis suae annum supergressum. Sacro Presbyteratus ordine dudum donatus, ac in Ordine Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Excalceatorum pro Asiae Missionibus solemnia vota professus, in ecclesiasticis functionibus sese laudabiliter exercuit, praesertim sacramentales fidelium confessiones excipiendo. In archidioecesi de Manila plurimos per annos Parochum agens, Vicarii Foranei, a Secretis provinciae, Definitoris ac semel iterumque Provincialis munere in suo ordine perfunctus est.

Nomen Iesu urbs Asiae in Philippinis, et caput Cebus insulae in eiusdem parte meridionali posita, ultra bismille continet habitatores sub temporali dominio praefati Serenissimi Regis Catholici.

Cathedralis Ecclesia sub invocatione SS. Angelorum Custodum est optimi aedificii, nullius eget reparationis et Archiepiscopo de Manila suffragatur.

In dicta Ecclesia dignitatibus, canonicis, et beneficiatis destituta, Provisor Fiscalis et aliquot habentur capellani officiis divinis addicti. Animarum cura exercetur per parochum in ipsamet Cathedrali, ubi praeter fontem baptismalem, atque sacrarium supellectili sacra sive ad divina peragenda, sive ad pontificalia obeunda necessaria satis instructum, chorus praesto est et organum, campanile cum campanis, atque coemeterium.

Praeter Cathedralem nulla alia in dicta civitate existit parochialis ecclesia, nec mons pietatis, sed duplex virorum coenobium, quaedam laicorum sodalitates, hospitale, et seminarium.

Dioecesis ampla est et plura sub se loca complectitur.

EPISCOPALEM ECCLESIAM AMATEN, sub Patriarcha Hierosolymitano in partibus infidelium vacan, per obitum bo. me. Ludovici Bartholomaei Brynck ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti ; Sanctissimus ad eamdem Ecclesiam promovit R. P. D. Franciscum e Comitibus Folicaldi ex legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus in civitate Balneocaballi Faventinae dioeceseos progenitum et in quarto supra quinquagesimum aetatis suae anno constitutum. Inter alumnos Pontificiae Academiae ecclesiasticae cooptatus, ac dudum Presbyteratus ordine, et penes romanam universitatem sive in sacra theologia, sive in facultate iuris utriusque doctorali laurea donatus est. Apud Patriarchalem Basilicam Vaticanam Beneficiali, hucusque vero Canonicali praebenda cohonestatus, tum inter **SANCTITATIS SUAE** intimos Cubicularios supranumerarios, indeque Praelatos Domesticos, tum inter utriusque Signaturae Referendarios, Abbreviatores de Parcu maiori, ac Apostolicos Protonotarios ad instar participantium adscitus est. Apud Tribunal Consultae Ponentis, ac Signaturae iustitiae Votantis perfunctus muneribus est.

Amata urbs Palestinas adhuc sub infidelium iugo miserrime ingemisce; quare status eius infandus relatione caret.

EPISCOPALEM ECCLESIAM TLOAN. sub Archiepiscopo Myrensi in partibus infidelium vacantem per translationem R. P. D. Martini G-river ad Cathedralem sedem Pertensem; Sanctissimus promovit ad eamdem Ecclesiam et in Auxiliarem deputavit R D. Antonium Centore ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in pago Casanovae archidioeceseos Capuanae progenitum et in sexagesimo aetatis suae anno constitutum. Sacro Presbyteratus ordine dudum donatus, in ecclesiasticis exercendis functionibus signanter in Dei verbo praedicando et sacram scripturam explanando, fideliumque ac monialium sacramentales confessiones excipiendo, solerter incubuit. Fratrum Congregationis Missionis Superioris, archidioecesani seminarii Rectoris, ibique physices, matheseos sublimioris, theologiae dogmaticae ac moralis, nec non sacrae scripturae ac iuris canonici Lectoris perfunctus muneribus, inter pro-synodales Examinatores adscitus est. Eiusdem metropolitanae Canonicus ac Theologus Substitutus ad praesens usque renunciatus est.

Tlos urbs Lyciae mediterranea ad Tloum fluvium inter Xantum ad meridiem et Araxam ad Arctos, adhuc sub infidelium potestate miserrime premitur; quare status eius infandus referri nequit.

EPISCOPALEM ECCLESIAM AREOPOLITAN. sub Archiepiscopo Petrensi in partibus infidelium vacan, per obitum bo. me. Antonii Fren-

zel ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus promovit ad eamdem Areopolitàn. Ecclesiam et in Auxiliarem, deputavit R. D. Cyriacum Sancha Hervàs ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco ***Quintana del Piño*** vulgo nuncupato Oxomensis dioecesis progenitum et quadragesimum secundum aetatis suae annum supergressum. Presbyteratus ordine et in sacra theologia dudum licentiae gradu donatus, in ecclesiasticis functionibus peragendis, et in verbo Dei praedicando sese laudabiliter exercuit. Oxomensi in seminario philosophiae cathedram assecutus, et in altero S. Iacobi de Cuba theologiae moralis Professor adlectus, utriusque dioeceseos Examinator synodalis constitutus est. Archiepiscopatus S. Iacobi de Cuba a Secretis ac ipsiusmet metropolitanae Canonicus Poenitentiarius ad praesens usque renunciatus est.

Areopolis urbs Arabiae Petreae in Palestina adhuc infidelium iugo miserrime subest; quare status eius infandus silentio praeteritum

EPISCOPALEM ECCLESIAM ZELAN. sub Archiepiscopo Amaseno in partibus infidelium vacan, per obitum bo. me. Petri Pauli Lefevre ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus promovit ad eamdem Ecclesiam et in Auxiliarem deputavit R. D. Emmanuelem Mariam Gonzalez Sánchez ex legitimis, catholicis, honestis»-que parentibus Hispali progenitum et quinquagesimum aetatis suae annum supergressum. Presbyteratus ordine et in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, in functionibus obeundis ecclesiasticis naviter incubuit. Cathedratici ac Rectoris munere in Hispalensi seminario perfunctus, ac inter eiusdem archidioeceseos, aliarumque dioecesum. Examinatores pro-synodales adscitus, apud Metropolitanam Hispalensem Canonicus Poenitentiarius hucusque renunciatus est.

Zela urbs Cappadociae in Ponto Polemoniaco apud Neocaesaream adhuc sub infidelium iugo miserrime iacet ; quare status eius infandus referri nequit.

EPISCOPALEM ECCLESIAM OLBANEN. sub Archiepiscopo Seleuciensi in partibus infidelium vacan, per successionem R. P. D. Patritii Moran ad Cathedralem sedem Ossoriensem; Sanctissimus ad eamdem Ecclesiam promovit R. P. D. Stephanum Junak ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in civitate Gyongyos archidioeceseos Agriensis progenitum, et in sexagesimo septimo aetatis suae anno constitutum. Sacro Presbyteratus ordine dudum, insignitus, in ecclesiasticis obeundis functionibus, ac in dioecesibus Agriensi, Csanadiensi, ac Magno Varadinensi in pluribus exercendis muneribus navam impendit operam. Apud seminarium Agríense studiorum Praefectus, Metropoli-

tänae Concionator ac Parochus Kis-Tabynensis effectus, in Makò dioecesis Csanadiensis Cooperatoris, ibique Archivarii, Episcopalis Caeremoniarii, atque Notarii Consistorialis munere perfunctus est. Pro dioecesi autem Magno-Var adinensi Latinorum Cancellariae Director, Sanctae Sedis Assessor, Canonicus sive Actualis, sive Lectoralis, Custos, Cantor, ac successive ad praesens usque Praepositus Maior adlectus, tum inter Sanctitatis Suae Praelatos Domesticos, tum inter synodales Examinatores adscitus est, Praepositus Beatae Mariae Virginis de Castro, eiusdemque Magno-Varadinensis dioeceseos Vicarius in spiritualibus et causarum Auditor Generalis renunciatus.

Oiba urbs Ciliciae Solensi civitati finitima, adhuc sub infidelium iacet potestate; quocirca miserrimus eius status silentio praeteritur.

Per Breve Pontificium eae quae sequuntur Ecclesiae fuerunt collatae :

Ecclesia Episcopalis Lorien, in partibus infid. R. P. D. Venceslao Soie, iam episcopo Senien. et Modrussen.

Ecclesia Holleghen. nuper in Cathedralem erecta in Statibus Unitis Americae R. P. D. Michaeli Domenec translato e Dioecesi Pittsburgen.

Ecclesia Cathedralis Pittsburgen. R. P. Joanni Iwig, Rectori Ecclesiae S. Joannis in Dioecesi Pittsburgen, et Vicario Foraneo.

Ecclesia Cathedralis S. Hyacinthi R. P. D. Ludovico Zefirino Morau.

Ecclesia Episcopalis Paneaden. in part. infid. R. Fr. Alessio Filippi e Minoribus Observantibus, deputato Vicario Apostolico Hu-pè Occidui-meridionalis.

Ecclesia Episcopalis Azoten, in part. infid. R. D. Francisco Bernert deputato Vicario Apostolico Saxoniae.

Ecclesia Episcopalis Tiberiopolitan. in part. infid. R. Fr. Eusebio Semprini e Minoribus Reformatis, deputato Coadiutori R. P. D. Michaelis Navarro Vicarii Apostolici Honanen.

Ecclesia Episcopalis Orfhosien. in part. infid. R. Fr. Gregorio Grassi e Minoribus Observantibus deputato Coadiutori R. P. D. Aloisii Moccagatta Vicarii Apostolici Xan-si.

Deinde Sanctitas Sua, iuxta morem, aperuit os Emo Cardinali Antici Mattei.

Quum Emus Card. Pitra officium Camerarii annuale implevisset, *Bursam* exhibuit Sanctissimo Patri, qui di-

gnatus est eam tradere Emo Cardinali Bonaparte, qui pro anno currenti praefatum officium assumpsit.

Dein Sanctissimo facta fuit postulatio de S. Pallio pro Ecclesia Aquilan. nuper in Archiepiscopalem erecta, et pro Ecclesia Manilae.

Tandem Sanctissimus Pater posuit annulum Cardinalium Emo Cardinali Antici Mattei, assignans eidem Titulum Presbyterale S. Laurentii in Panisperna.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

DISPENSATIONIS.

Die 22 maii 1875.

Reverendissimus Episcopus A. mense novembri elapsi anni Sacratissimo Principi, quem Deus diu sospitet, referebat « parochum loci O. in aetate annorum triginta <(septem ab aliquot mensibus habere brachium dexterum « rigidum, adeoque eo uti non posse in Missae celebra-« tione ad signandum se, nec non se fidelesque communi-« candum, caeteras vero caeremonias rite perficere absque « gravi saltem deformitate ». Quare Sanctissimo Principi supplicabat humiliter, quatenus dignaretur « attenta «Sacerdotum penuria, qua laborat Dioecesis, atque opti-**ci** mis dotibus, quibus ornatus est praefatus Sacerdos, ipsi <(indulgere, ut celebrare pergeret, et dictas caeremonias « valeret peragere manum sinistram adhibens ».

His acceptis precibus, et peracto sine aliqua deformitate experimento coram caeremoniarum magistro ceu S. Congregatio mandaverat, die 27 ianuarii labentis anni hoc editum fuit rescriptum: *Pro gratia dispensationis ab irregularitate ob enunciatum defectum, et habilitatio-*

nis ad celebrandum Sacrosanctum Missae Sacrificium in Oratorio privato, vel etiam in publica Ecclesia, hora tamen a populo minus frequentata, arbitrio, et conscientia Episcopi ad sex menses.

Huiusmodi habito rescripto praefatus Sacerdos mense Martio dicti anni S. C. Congregationi exposuit inflexibilitatem cubiti in brachio dextero ex fractione ipsius cubiti derivare. Quapropter cum impedimentum perpetuum sit, enixe adprecabatur, ut perpetua esset etiam habilitatio. Subdit etiam ipsum parochiali munere fungi, ac tenui potiri congrua, ideoque non habere, neque habere posse media, quibus coadiutor sibi constitui valeat. Enixis itaque precibus expostulavit, ut suo ministerio vacare possit absque ulla restrictione prouti officium suum parochiae exigit.

Veritas autem harum precum ab ipso Episcopo confirmata fuit. Hinc rescriptum die 5 aprilis - *Per Summaria precum.*

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. Sacra Congregatio iusta concurrente causa dispensationem iugiter indulsit ab irregularitate ob manus rigiditatem contracta, quin aliquam adderet restrictionem, praesertim cum ageretur de dispensando Clerico iam promoto et non promovendo, ceu discusso articulo definitum fuit in *una Consentina* inter supplices libellos diei 13 iulii 1725, ubi licet ageretur de Sacerdote, qui amissa in dextero brachio qualibet flexibilitate impotens evaserat ad sacram Hostiam, et Sanguinem cum eadem manu sumendum, porrectis tamen dispensationis precibus absque restrictione rescriptum fuit: *Arbitrio Archiepiscopi.*

In casu autem dispensationem huiusmodi suadere viderentur probati oratoris mores, eiusque paupertas, necnon penuria Sacerdotum in Dioecesi, unde utilissimum illi censetur Ecclesiae officium curati, quo ipse fungitur. Accedit testimonium magistri caeremoniarum, ex quo

eruitur defectum non obstare quominus decenter et sine populi scandalo atque admiratione Missae caeremonias peragere queat. Nec praetereunda denique Episcopi commendati. His breviter praenotatis scientiae EE. PP. remissum fuit dirimere an preces eiusmodi benigne excipiendae essent.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii die 22 maii 1875, causa cognita, respondere censuit: *Arbitrio Episcopi.*

CONCORDIAE.

Die 14 augusti 1875.

Compendium facti. Antonius Sacerdos et Parochus e Dioecesi M. supremis tabulis, quibus obiit die 7 octobris 1866 in omnibus bonis tum mobilibus, cum immobilibus Iosephum fratrem suum haeredem universalem instituit. Onera quae sequuntur eidem imposuit scribens : se velle ex summa 12750 libellarum quam in auro et argento possidebat, ut haeres certos annuos constitueret reditus, vel super fundos rústicos vel in Magno Libro (debitarum) Italiae. Ex quibus reditibus Missae essent quotannis celebrandae pro anima testatoris in sua Ecclesia paroeciali; qui reditus insuper cedere deberent in administrationem parochi pro tempore; qui etiam curaret ut quotannis celebraretur anniversarium funus die mortis testatoris. Edixit insuper testator ut quotidiana recitantur missa; et plurima sacra reliquit utensilia eidem parocho sub conditione tamen ut omnia asservarentur in perpetuum apud haeredem generalem eiusque successores.

Testator vero, expleto testamento sub die 29 octobris anni 1866 e vivis excessit et haeres sub die 3 februarii anni 1867 in ius vocavit Parochum M. apud Tribunal laicum contendens nullius roboris, nulliusque virtutis esse

legata a testatore relicta. Parochus haud animo deiectus, iura sua sarta tectaque servare contendit; proindeque lis in longum protracta fuisset, expensaeque multiplicatae, nisi studio amicorum et Iurisconsultorum consilio inter haeredem et Parochum conventum esset rem invicem amice componendam. Quapropter die 16 iulii 1874 ad concordiam ventum est hac sub forma : Parochus permagnas ratus fore expensas et difficultates ad iudicium sustinendum, nuncium misit initiato iudicio declarans nullas habere praetensas super praedictis testamentariis dispositionibus. Generalis haeres renunciationem et declarationem excipiens, ait se grati animi et memoriae fratris sui causa, dono dare velle suae paroeciae, et pro ea parochis cunctis pro tempore, omnia utensilia sacra, quae tunc loco depositi erant penes parochum M. sed etiam constituere super Magno Libro (debitorum) Italiae libellarum 525 reditum ecclesiae parochialis favore; adiecta conditione ut libellae 153 divinae addicerentur psalmodiae reliqua summa in celebratione Missarum impenderetur pro anima testatoris defuncti.

Interea temporis supplicem parochus misit ad S. Sedem libellum enixe expostulans ut inita transactio rata haberetur. Argumenta in medium prolata ait Ordinarius magni ponderis fuisse.

Disceptatio synoptiea.

EA QUAE CONTRA CONCORDIAM PROSTANT. EX officio observatum fuit haud licere transactionem facere cui non est fas alienare. Omnibus enim esse compertum Parocho M. vetitam fuisse rerum divino cultui dicatarum alienationem. Ergo nec transactionem facere licuit ei super his rebus. Et optimo sane iure, eo quod alienationi aequiparetur transactio *Cap. super eo* ***7*** *de Transacta Super eo quod quaesivisti, utrum de Ecclesiastico beneficio in litigium deducto, possit -fieri transactio* ***f*** *Tale da-*

mus responsum, quod transigi super re sacra et litigiosa non potest. Etenim res sacrae ut possideantur aliquo dato vel retento seu promisso speciem credimus habere simoniae. Quare ad probandam transactionem a parocho M. initam probari oportere necessitatem intercessisse atque evidentem ipsius causae piae utilitatem. Urceol. *de Transad,* quaest. 23 n. 2 et seq. S. C. Congr. in Caven. 2 maii 1818.

Defuisse in themate necessitatem atque piae causae utilitatem facile evinci. In iure enim sancitum esse haeredem defuncti, iudicio cognito, singula legata ab ipso relicta praestare debere ex quasi contractu *L. 4 § Haeres ff. de obi. et act., Instit. § 3 de ob. quae quasi eco contractu.* Idque sanctius atque religiosius servandum, ubi de piis legatis res sit. Iamvero transactione semel inita, de onere eiusmodi conclamatum esse. Neque interest opponere haeredem ab hac lege solutum esse, quippe quod pars bonorum pro capellania quotidiana erigenda a testatore fuerit alienata. Minimi enim faciendam allatam difficultatem ex eo apparere quod legatum haud sit taxativum sed demonstrativum. Ad distinguendam legati indolem placuit distinctio ex ordine scripturae deprompta, ut nimirum si ab onere incipiat dispositio, pergens inde ad fundi descriptionem *demonstrativum* reputetur legatum; ex leg. Quidem ff. de legat. 2; Amostaz. *de caus. piis* lib. 2, cap. 6, n. 13 ad 81; Benedictus XIV *de Synodo dioecesana* lib. 13, cap. ult. § 32. Secus vero taxativum esse placuit. Summus Pontifex postquam loco citato retulerit diversam opinionem in propositum ait: *alii vero non plene huic coniecturae fidentes, suadent ut pii fundatoris dispositio sub alio veluti aspectu consideretur; âbservando nimirum an exordiatur ab oneris impositione, vel potius a fundi designatione; et si quidem dispositio exordiatur a designatione fundi seu dotis, cuius reditus in praescripti oneris implementum sint erogandi; indeque*

progrediatur ad exprimendum, definiendumque Missarum onus, tunc aiunt dotalis fundi constitutionem videri taxative factam.

Hoc posito, animadversum fuit Testatoren! primum verba fecisse de onere, statuens : *suam plenam habeat vim quotidiana Missa a me fundata;* et postea orationem convertisse ad fundum, cum reditu 535,50 libellarum. Subiecisse etiam hypothecae vinculis varia bona immobilia pro solutione oneris rite adimplenda. Itaque quum ex hac dispositionis serie, atque ex iurisprudentia constet, legatum esse *demonstrativum,* optimo iure inferri licuisse bonorum alienationem iacturae haereditatis, haud legati damno esse adscribendam. In legato enim demonstrativo cautum reperiri, haeredem praestare debere quidquid defuerit ad legati implementum ex regula de qua *Benedict. XIV. loc. cit.* Igitur quod deest pro Capellania quotidiana, habita divisione bonorum iuxta laici tribunalis sententiam, ab haerede supplendum esse ex viribus haereditatis. Ideoque quum neque necessitas neque utilitas causae piae in themate adesse videatur, transáctioni locum esse non posse manifesto exsurgere.

Animadversum insuper fuit haud colligi ex documentis S. C. Congregationi exhibitis haereditatem eiusmodi fuisse aditam inventarii beneficio; ideoque, hoc deficiente praesidio legali, haeredem integra praestare obstringi legata ut post *Text. in leg. final. § Sin vero Cod. de cit. deliberam.* saepe definivit *S. C. Congr. potissimum* in Camerin. *Subsidii dotalis* 27 iunii 1761 ad II. *Dub.* in Burgen. *Reductionis **15** martii **1777.*** Haud profuisse haeredi, ut eximeretur ab onere implendi voluntatem testatoris, edicere repertam non fuisse penes defuncti conclave vim pecuniae, de qua in testamento; quia opus ei erat demonstrare dolum vel fraudem. Siquidem incredibile dictu videtur tantam auri argentive summam sine haeredis labe disparuisse.

Tandem tralatitii iuris esse utramque contendentium partem aeque in transactione praegravare debere commodum et incommodum : ita ut hinc inde aliquid retentum ac remissum sit. Consule *Text, in lege Transactio **38** Cod. de transad., et leg. **1** ff. eod.* S. Congr. in Ianuen. *Transactionis **7** iunii **1834** § Difficilem.* Haec omnia defuisse in themate clare patet; dum ex dictis haeres tantum sentiat commodum, Ecclesia vero iacturam. Quapropter ex notatis in propatulo esse neque necessariam, neque utilem, verum laesivam fuisse propositum transactionem, ideoque minime probandam.

EA QUAE FAVORE TRANSACTIONIS PROSTANT. Attamen animadversum fuit haud defuisse argumenta quae ex altera parte suaderent initam transactionem approbandam fuisse. Inspecto enim fine qui causam praebuit huic adstipulandae conspicere datum est hunc potissimum fuisse, ut aeris ac dispendiosa controversia componeretur. Porro transactionem initam ad lites dirimendas, iustam utilemque se praebere, et ideo dignam ut in aevum a contrahentibus servetur tradere *Abbas in Cap. **1.** n. **2.** de Transad.* S. Congr. in Firmana *Concordiae **21** ianuarii **1807.*** Quandoquidem ea est transactionis indoles ac fines ut obortas controversias praef ocet, et hac de re eam invexerint legum latores, ceu colligere datum est ex Text. in leg. 1. Cod. de Transact. et S. Congr. centies probavit.

Maxime autem id obtinere quando iura sua contendentes dubia experiuntur, ceu in themate videre est. Etenim quamvis Parocho praesto essent valida rationum momenta, ad ostendendam legatorum validitatem, haud tamen haeredi argumenta deerant ad denegandam eorundem praestationem, attenta praesertim lege qua vivimus. Hinc recte factum esse censeri, si cum lis adhuc sub iudice esset, et nondum cribrata forent contendentium iura, pacifica transactione res omnis componatur *Leg. i. ff. de Transad., Rota coram Riminald. Decis. **309.** num. **8.***

Eo praesertim consilio ut Causa pia sumptum haud mediocrem averteret. *Cap. Finem litibus de dolo, et contrar. leg. Fratres, et leg. Propemodum Cod. de iudic.*

Ceterum utilitatem initae transactionis magis in oculos obvenire si animadvertatur legatum Choro relictum pro psalmodia quolibet die rite persolvenda sartum tectumque manere, Testatoris animae praecipientis Sacra litanda, aliqua ex parte provisum fuisse, ac tandem Ecclesiam parochialem liberam possessionem vasorum argento confectorum nancisci pro cultu sacrarum functionum : quae quidem obiecta pretiosa iuxta Testatoris sententiam ab haerede custodienda forent. Quapropter utilem fuisse causae piae initam transactionem ideoque omnino probandam.

Hisce praenotatis EE. PP. iudicio remissum fuit decernere quid magis consonum Testatoris voluntati esset; ideoque dirimendum fuit

Dubium.

An et quomodo inita transactio sit approbanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, die 14 augusti 1875, causa cognita, respondere censuit.

Affirmative in omnibus facto verbo cum SSmo.

EX QUIBUS COLLIGES.

I. Pro stricta propriaque transactione plures adesse debere conditiones, praeter necessitatem et utilitatem, praecipue si agatur de causa pia.

II. Requiri imprimis transactionem fieri de re *dubia;* ut a pactis distinguatur quae fieri solent de *re certa* et indubitata.

III. Proindeque si tempore transactionis notum fuerit parti transigenti nullum ius in re sibi competere, nullam

evadere transactionem, et ex *conscientia* restitui debere quod ob eandem transactionem receptum sit.

IV. Requiri etiam ut transactio fiat super lite incerta et nondum definita; eoquod sententia a iudice prolata, nemine appellante, transit in rem iudicatam, quae pro veritate accipitur, ne lis amplius incerta sit.

V. Insuper oportere strictam et propriam transactionem haud fieri *gratis;* sed onere aliquo hinc inde dato et retento, promisso vel remisso, ut distingui possit ab amicabili compositione, quae *gratis* fit.

VI. Transactionem super re religiosa aequiparari a Sacris Canonibus alienationi; quapropter sicuti eiusmodi rei alienatio auctoritate privata fieri nequit, ita nec transactio.

VII. Sanctam Sedem aliquando transactionibus quoad pias causas initis ratihabitionem concedere, ad tollendas lites et iurgia, quae gravium expensarum et simultatum, ut plurimum, causa esse solent.

PRIVATIONIS BENEFICII.

Die 4 septembris 1875.

Compendium facti. Ioseph Parochus Ecclesiae Sancti R. ex Dioecesi N. in Gallia pluribus assignatis fundis die 3 aprilis 1823, Ecclesiastica accedente auctoritate, erigendum curavit Beneficium sub titulo S. Antonii in eadem Ecclesia.

Plures fundator adiecit conditiones, quas inter heic damus quae ad rem faciunt pro eiusmodi controversia. Voluit nimirum: 1.° ut rector beneficii illius resideret penes dictam Ecclesiam, illiusque Parocho in exercenda animarum cura coadiutricem operam praebere teneretur, 2.° ut ab Ordinario approbationem referre deberet pro ex-

cipiendis confessionibus; 3.° quod si intra quindecim dies ab habita institutione, neque resideat neque approbetur pro confessionibus excipiendis, fructus beneficii percipere nequeat, imo liberum sit Parocho una cum Municipali consilio, caducitatem et privationem beneficii eidem intimare absque ulla processus formalitate; 4.° demum pro perenni redituum conservatione iussit fundator, uti tituli ad beneficium pertinentes in capsa asservarentur, triplici clavi munita, quarum una a Parocho, altera a consiliario administrationis Ecclesiae, tertia denique a beneficii rectore custodienda foret.

Ordinarius, iuxta pii fundatoris intentionem, sub die 16 augusti anni praedicti 1823 canonicam peregit erectionem, omnesque a fundatore appositas conditiones ratas habuit, excepta illa quae sese refert ad approbationem pro confessionibus audiendis obtinendam, poenamque adnexam, quae sub clausula aliquantisper diversa extitit. Noluit enim Parocho et Municipali Consilio potestatem removendi beneficiatum concessam, ceu disposuerat fundator. Sed in tabulis erectionis inquit: quum obligatio imposita presbytero, qui eiusmodi providebitur beneficio, in hoc consistat ut ad confessiones excipiendas approbetur, ea omnino necessaria est; ita ut a me vel a successoribus meis Beneficiato eiusmodi facultas adimi possit, quod in mea illorumque facultate erit, absque necessitate rationem alicui reddendi, si ille a suo beneficio decidat, sine processu aliquo, iuxta tertium articulum fundationis.

Sub die 1 octobris 1869 Sacerdos H. eiusmodi obtinuit beneficium. Verum minimo temporis intervallo transacto, inter illum et Parochum Ecclesiae Sancti E. acriores exorsae fuerunt simultates maximo, uti solet, cum scandalo ac animarum detrimento. Ordinarius quum nullo efficacior! potiretur medio ad scandala tollenda et dissidia dirimenda, Sacerdoti H. alteram commisit paroeciam parvam eo consilio ut inde discederet. Scripsit insuper lite-

ram, ut ei id facilius suaderet; in qua zelum, et intelligentiam commendabat eiusdem presbyteri.

Novo se oneri subigere haud isti placuit, et in medium suam aetatem longaevam, morbumque quo afflictabatur protulit. Iteratis hinc inde litteris inaniter, urgentiorem dedit Ordinarius iussionem ad novam pergendi paroeciam; cui quam renuere t, facultatem audiendi confessiones ei Ordinarius ademit, ementitos vanosque diiudicans praetextus rationes excusationis a presbytero prolatas. Rescivit etiam Episcopus nonnulla mobilia bona ad beneficium pertinentia adesse apud presbyterum H. contra fundationis leges; quae in capsa reponi iussit sub triplici clavi custodienda. Verum et huic mandato obstitit Sacerdos, ideoque a Missae Sacrificio celebrando eum suspendit.

Hisce dispositionibus quum nimium gravatum se persentiat presbyter ad Metropolitanum appellavit, qui appellationem haud recepit, quoniam suspensio prodierat ex informata conscientia; pro qua unicum suppetit ad S. Sedem confugium \ Quapropter Ordinarius ea fretus fundationis et erectionis lege, qua nimirum beneficii rector caducitatem necessario incurreret, quatenus ei adempta fuisset audiendi confessiones facultas, praefatum presbyterum die 12 octobris 1874 beneficio privavit. Presbyter ex adverso suae innocentiae et beneficii inamovibilitati confisus contra decretum et recensitas Episcopi

[1] Vide Vol. VTI, pag. 566 et Vol. VIII, pag. 547. Opportunum censemus heic adnotare quod Benedictus XIV, *De Synod. Dioecesana,* lib. XII, cap. 8, n. 4, scripsit *quoad decreta ex informata conscientia - ibi* - « Adeo porro « verum est, posse Episcopum, virtute praedicti decreti (Tridentini, sess. 14, « cap. 1, *De reform.)* ex causa sibi nota Clericum interdicere tam Sacrorum « exercitio, quam ascensu ad altioris ordinis gradum, ut neque teneatur « causam suspensionis seu delictum manifestare ipsi reo, sed tantum Sedi «Apostolicae si suspensus ad eam recursum habuerit; quod totidem vertis « a S. C. Concilii responsum legimus Episcopo Vercellensi die 21 Martii 1643 ». Decernere tamen nequeunt Episcopi suspensionem ex informata conscientia pro crimine publico et notorio.

dispositiones apud S. C. C. appellationem interposuit effusis precibus exorans ut a duabus suspensionibus liberaretur, simulque ad possessionem sui beneficii reintegraretur.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE EPISCOPALIS DECRETI FAVORE PROSTANT. EX officio animadversum fuit Decretum Ordinarii quo presbyter H. beneficio privatus est omnino esse sustinendum, quia legitimis, et canonicis causis innitebatur. Ut id facilius evinceretur observatum fuit quaestionem hanc diiudicari non posse nisi inhaerendo tabulis fundationis beneficii. Equidem ex clausula in erectione apposita certum est Ordinarium adimere posse Eectori illius beneficii facultatem audiendi confessiones, quin hac de re cuique rationem reddere deberet; ergo cum Ordinarius ademit presbytero H. audiendi confessiones facultatem, iure suo usus est, nempe iure sibi concesso a fundatore et ab actu erectionis.

Et si hoc videri posset summum ius, adfuisse tamen iustissimas rationes, quibus Episcopus processisse videtur ad eiusmodi rigoris actum. Quarum praecipuas fuisse iurgia et simultates huius presbyteri cum parocho et civibus, avaritiam eius in negotiis gerendis; ita ut omnes eius peterent ab Ordinario remotionem. Ideoque Ordinarium aliam ei proposuisse paroeciam ut medelam scandalo afferret, et prospiceret dignitati eiusdem presbyteri. Id non esse novum in iure quum animarum salus sit suprema lex, et parochus pro populo datus sit, non vero populus pro parocho. Quapropter SS. Canones disposuisse ut si quando parochi ministerium vel impossibile, vel damnosum evadat ob animarum aestum atque alienationem, imo etiam ob plebis odium, licet iniustum, parochus vel suo beneficio nuncium mittere debeat, vel alio transferendus sit ad *text. in cap.* **5** *de rerum permutatione,* ibi : *Si Episcopus causam inspexerit necessariam licite poterit*

de uno loco ad locum transferre personas, ut quae uni loco sunt minus utiles, alibi se valeant utilius exercere.

Ideoque quum Episcopus presbytero modis blandis suadere conatus esset, sed frustra, ut sese transferret ad aliam gubernandam paroeciam ; ad ipsius duritiam et inobedientiam coercendam facultatem excipiendi confessiones ab eodem revocavit. Omnem defuisse causam pro eiusmodi oppositione certum fuisse cum neque aetas., neque eius valetudo tales essent ut ei non permitterent novum suscipere onus.

Hoc praemisso, prono veluti fluere alveo decretum privationis beneficii iure latum fuisse. Etenim ex ipsa fundationis lege, et praesertim ex clausula apposita in erectione, si quando ab Episcopo praedicta facultas revocetur, statim beneficii amissio consequutum praecipitur. Et ideo si non fuit iniusta suspensio ab excipiendis confessionibus, iniustam pariter dici nequire beneficii privationem, quae veluti corollarium quoddam ab ipsa descendit. Neque iniuriam irrogari praefato presbytero H. siquidem quando aliquis beneficium acceptat, totum atque integrum acceptat, idest cum omnibus legibus et clausulis fundationi et erectioni adnexis.

Neque prodesse opponere eiusmodi beneficium declaratum fuisse inamovibile et residentiale; et Rectorem eo privari nequire absque causis canonicis ; ideoque Episcopi decretum etiam ob hanc causam nullum irritumque fuisse. Nam fundationis et erectionis tabulae huic opponuntur consequentiae. Quoniam etsi fundator et Ordinarius qui canonicam perfecit erectionem, obiter vocarent beneficium hoc inamovibile; verumtamen formali apposito articulo satis superque ostenderunt inamovibilitatem istam improprie et generice tantum accipiendam esse; et ea sub clausula et conditione, quod Ordinarius et facultates excipiendi confessiones rectori adimere posset, et insuper quod amissio huius facultatis sua veluti sponte

caducitatem secumferret, sine ulla processus vel iuris solemnitate. Haud insuper dici posse clausulam et conditionem istam utpote iniustam nullius fuisse roboris. Cuique enim notum esse fundatorem potuisse etiam instituere beneficium *amovibile;* hoc enim a iure haud vetitum esse. Igitur si beneficium quod instituit, vocavit quidem inamovibile, sed tamen clausulam et conditionem apposuit inamovibilitatem hanc cohibentem, nihil pariter vetitum vel iniustum statuisse videtur. Caeterum notissimum in iure principium esse, in beneficiis et capellaniis instituendis pios fundatores apponere posse quascumque sibi benevisas conditiones, atque istas, dummodo fuerint possibiles et honestae, nec iuri divino vel naturali adversentur, religiose servari debere. *Cap. Significatum* ***11*** *de praebend.* S. C. C. in Montis Politiam *Patrimonii Sacri* ***21*** *iulii* ***1821.***

Verum quae huc usque disputata fuerunt veluti superflua videri posse : concesso enim quod beneficium, de quo agitur, fuerit *inamovibile,* decretum tamen Episcopi non minus validum aut iustum habendum esse. Eo quod non agebatur hic de vero beneficiato, qui nempe suam canonicam institutionem assequutus fuerit, sed simpliciter de precario quodam beneficii oeconomo, cui profecto leges, quae titulares beneficii possessores respiciunt, aptari non possunt. Quod institutionem canonicam presbyter obtinuerit Episcopus negavit, neque ille requisitus a S. C. C. ostendere documenta potuit. Nam pro vera et proprie dicta beneficii institutione et Bullam Episcopalem requiri, et alias iuris solemnitates ; ita ut si deficiant tamquam verus beneficiatus ad iuris normas quis haberi non possit. Eeiffenstuel *lib.* ***3*** *decret, tit.* ***5*** *de praebend. et dignitatibus §* ***5.*** *de collatione benefic. n.* ***126, 127.*** Huc accedere ipsum fundatorem exquirere canonicam institutionem.

Neque invocari posse triennalem possessionem, ut dici

possit quemlibet defectum sanatum fuisse, et possessorem exturbari non posse nisi servatis iuris normis. Nam neque Sacerdos H. explevit triennalem possessionem ceu verus et titularis beneficiatus, sed tantum uti simplex oeconomus et administrator. In iure enim notum esse neminem sibi posse immutare possessionis titulum etsi longum tempus effiuxerit per *Legem* ***3.*** *ff. § Illud de acquirenda possessione* ubi dicitur: *Illud quoque a veteribus receptum est neminem sibi ipsi caussam possessionis immutare posse.*

EA QUAE. FAVORE SACERDOTIS H. PROSTANT. Altera vero ex parte presbyteri patronus ostendere sategit abhorrere a spiritu Ecclesiae et a iure communi amovibilitatem Clerici de una ad alia Ecclesiam, de uno ad aliud beneficium; dicente Apostolo 1. ad Corinth. c. 7: *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Dist. 70, c. 2. *In qua Ecclesia quilibet litulatus est, in ea perpetuo perseveret.* Unde factum est ut beneficii *perpetuitas* sive *inamovibilitas* Beneficiati censeatur et sit de essentia Beneficii. Van Espen *comment, in ius eccles, univ. part. 2. Sect. 3, tit. 1, n. 19,* - ibi : *Communiter concludunt Canonistae, si aliquod officium cum adnexo iure percipiendi fructus erigatur temporale et ad nutum revocabile, non esse proprie Beneficium ecclesiasticum, et, si de perpetuo fiat amovibile ad nutum seu manuale, amittere naturam veri beneficii.* Beneficium autem de quo verbum est, *perpetuum* seu *inamovibile* esse, nedum generali iuris sanctione verum etiam inspecto fundatoris praecepto : *er exit* , *et erigit in beneficium residentiale et inamovibile Cappellam S. Antonii. Rector qui ad Cappellam eligetur obtinebit annualiter et in perpetuum, dum vivat, ita et successores eius, fructus et reditus praedictae dotationis.*

Pro nihilo aestimandam esse clausulam quae in actu erectionis ab Ordinario apposita fuit; in iure enim compertum esse nil posse Episcopum nedum in deterius,

nempe in actum a iure exorbitantem, ut esse in themate, sed ne in melius quidem Fundatoris placitum immutare. Et S. C. Congregationem saepissime declaravisse irrita erectionum decreta pro ea parte, qua a fundatione deviarent, ceu videre est in Urbevetana *Cappellaniae diei **10** martii **1866** § Haec.* Dein observatum fuit non solum Ordinarium non potuisse, verum etiam noluisse Beneficium erigendo derogare legi fundatoris. Quod haberi ex ultimis verbis in actu erectionis « *iuxta articulum tertium praedicti actus fundationis* ». Iam vero fundatorem in articulo tertio concessisse quidem ut Beneficiatus spoliari queat, sed taxative et duobus in casibus, videlicet si intra quindecim dies ab institutione vel 1.° non resideat vel 2.° approbationem pro excipiendis sacramentalibus confessionibus non retulerit. In quacumque tandem hypothesi Curiam Episcopalem numquam evincere posse Ordinarium voluisse transmutare Beneficium in *amovibile,* cum profiteatur conceptis verbis se erigere Beneficium *inamovibile.*

Ex quo naturaliter descendere decretum adversus presbyterum II. nullimode sustineri posse; eo quod destituatur formali processu a iure pernecesse requisito pro privatione Beneficiorum *inamovibilium;* et causa deficiat pro remotione ab ipsis Beneficiis revocabilibus ad *nutum* necessaria.

Transivit autem patronus ad refutandam oggestam tituli inexistentiam dicens: admissa collationis beneficii inexistentia, concipi nequire qua de causa tum Episcopus in suis uteris diei 28 aprilis 1874, tum Curia ipsa in decreto diei 18 octobris recursum habuerint ad clausulam instrumenti erectionis, quae certo certius agit de *Titulari,* non de oeconomo sive administratore. Si enim *titulus* defuisset, inutiles prorsus fuissent suspensiones in presbyterum latae ab excipiendis confessionibus, ac sa-

cris litandis, dum absque his omnibus Curia eum amovere potuisset.

Adnisus est autem presbyteri patronus demonstrare *ritus* qui passim adhibentur in *collatione et traditione possessionis* Beneficiorum non esse adeo necessarios ut sine illis collatio non consistat, aut probari nequeat. Siquidem litterarum expeditionem non pertinere ad essentiam sive substantiam gratiae seu collationis : De Luca *de alien,* disc. 1, n. 113; imo nec ad probationem sequuta collationis requiri: De Luc. *de Benef.* disc. 131, n. 4; Van Espen *comment, in ius eccles, univ. par.* ***2.*** *Sect.* ***3.*** *tit. 4. c.* ***2,*** *n.* ***7.*** **-** ibi : *Circa formam collationis per Ordinarios collatores, sive Episcopum sive alium inferiorem, expediendae, nihil in iure cautum, videturque inspecto iure communi verbo expediri posse; neque ullam scripturam requiri.* Neque SS. Canones esse rigidiores quoad solemnitates servari suetas in capienda Beneficiorum possessione, De Luca *Summa Benef.* n. 247 et seq. - ibi : *Exceptis canonicatibus Cathedralium et Collegiatarum, ac etiam Dignitatibus, quatenus de consuetudine sint etiam de Capitulo quorum possessio capienda est capitulariter, ac alias pro infecta habetur, nisi per capitulum stet quominus obtineatur; in reliquis certa forma adipiscenda possessionem praescripta non habetur; sufficit namque illam adipisci in Ecclesia principali, quatenus extet, vel in altari, sive in eo praedio, vel loco in quo id solitum sit.*

His praemissis deduxit hac in materia rem procedere debuisse iuxta leges locales et Beneficiorum speciales. Quapropter, attenta lege fundationis Beneficii S. Antonii, cum alicui confertur 1.° delegandae sunt quaedam personae quae adsistant beneficiatum in exercendis dominii actibus' super bonis beneficialibus : 2.° in actu traditionis possessionis coram personis pariter designatis conficiendum est inventarium omnium bonorum beneficialium per

actum tabellionis. Haec tantummodo a fundatore praescripta fuisse pro institutione in Beneficio S. Antonii; et haec et non alia practicata fuisse cum omnibus, singulisque Beneficiatis. Ita ut si haec ad veram institutionem in beneficio significandam sufficere admittatur, omnia plana esse; alias permulta absurda admittere oportere. Et primo Beneficium istud a sua fundatione numquam collatum fuisse ; eius administrationem fuisse concreditam personis extraneis, cum perceptione fructuum; cum e converso fundator iusserit Beneficium tempore vacationis administrandum gratis a Rectore paroeciae Sancti R. et consilio municipali. Quod adeo verum fuisse ut ipsa Curia decreto diei 12 octobris anni praeterlapsi, quo presbyterum H. privavit, istis administrationem commiserit.

Edixit autem idem patronus, tum vulgus, tum iurisprudentiam verba consecravisse *Rectorem, Beneficiatum* ad significandam definitivam beneficii provisionem; verba autem *oeconomum, administratorem* ad demonstrandam concessionem *provisoriam.* At Ordinarium in omni adiuncto sive viva voce, sive litteris *Rectoris et Beneficiati* titulo presbyterum H. condecoravisse. Tandem presbyterum H. die 30 ianuarii 1873 de licentia Episcopi alienasse in favorem V. Patrimonium clericale. Iamvero cuique compertum esse alienationem S. Patrimonii nullius roboris esse sine sustentatione tituli irrevocabilis. Imo beneficium ipsum *amovibile* evadere in illa persona *inamovibile* si potestatem habens amovendi in alienationem tituli Clericalis consenserit, ceu tradit De Luca *De Benef, disc. 97. n. 27.* et alibi. Denique autumavit tutum reddere presbyterum IT. Regulam Cancellariae 36 de triennali possessione [1] Etenim per eam Constitutionem fieri

[1] Cuius regulae 36 hic est tenor: « Item statuit et ordinavit idem Dnus « Noster (Innocentius Papa X) quod si quis quaecumque beneficia ecclesia- « stica qualiacumque sint absque simoniaco ingressu ex quovis titulo, Apo- « stolica vel ordinaria collatione aut electione, et electionis huiusmodi con-

ut quilibet per triennium in Beneficio natura sua inamovibili pacifice versatus fuerit, ius habeat allegandi titulum meliorem de mundo. Contrarium asserenti, sive persona privata, sive Ordinarius sit, fidem non adhiberi, saltem usque dum non evincat titulum infectum esse per exceptionem in ipsa constitutione expressam, vel probationibus undique concludentibus non ostendat inexistentiam tituli cuiuslibet. Riganti *in Reg.* ***36,*** *num.* ***18;*** Mascard, ***de*** *prob, conci.* ***1378,*** *num.* ***60*** *et seq.* Lott. *de re benedic, lib.* ***2.*** *q.* ***53.*** *num.* ***15*** *et q.* ***46,*** *num.* ***42*** *et seq.*

Hisce ex utraque parte praenotatis dirimendum propositum fuit sequens

Dubium.

An et quomodo Episcopi decretum sustineatur in casu.

RESOLUTIO. S. Concilii Congr. die 4 septembris 1875, causa cognita, respondere censuit :

Decretum non sustineri.

Ex QUIBUS COLLIGES :

I. Pios fundatores in Beneficiis aut Capellaniis instituendis ex iure posse quaslibet sibi benevisas conditiones (etiam iuri communi contrarias) adiicere, dummodo possibiles et honestae fuerint, neque iuri divino vel naturali adversentur.

II. Quas conditiones a fundatoribus adiectas, et in li-

« firmatione, seu praesentatione et institutione illorum, ad quos beneficiorum « huiusmodi collatio, provisio, electio et praesentatio, seu quaevis alia « dispositio pertinet, per triennium pacifice possèdent, dummodo in benefi- « ciis huiusmodi, si dispositioni Apostolicae ex reservatione generali, in « corpore Iuris clausa, reservata fuerint se non intruserit, super eisdem « beneficiis taliter possessis molestari nequeat, nec non impetrationes quas- « libet de beneficiis ipsis sic possessis factas, irritas et inanes censeri debere « decrevit, antiquas lites super illis motas penitus extinguendo »,

mine fundationis ab Episcopo concordatas et admissas, religiose servandas esse.

III. Proindeque eiusmodi conditiones nullimode locorum Ordinarios in actu erectionis clausulis modificare posse; eo quod piorum fundatorum placitum nedum in *deterius,* verum etiam in *melius* immutari non possit.

IV. Beneficium amitti posse propter *gravia crimina* in iure notata uti sunt homicidium, simonia, periurium; quae si publica et notoria fuerint, publicam exposcunt sententiam *iuris ordine servato* seu praevio formali processu.

V. Expeditionem litterarum, ex Doctorum sententia, non esse adeo necessariam ut sine illis collatio haud consistere possit vel probari nequeat : quum ex iure nihil cautum fuerit quoad scripturam et *verbo* expediri posse collatio videatur.

VI. Certam formam adipiscendi beneficiorum possessionem a sacris canonibus non esse praestitutam, nisi pro Canonicatibus et Dignitatibus Cathedralium et Collegiatarum; quorum possessio, ne pro infecta habeatur, *capitulariter* capienda est.

VII. Ideoque nullam adesse praestitutam formam pro possessione aliorum beneficiorum capienda; sed sufficere videtur illam adipisci iuxta leges locales et beneficiorum consuetudines.

VIII. Regulam Cancellariae 36 tutum in sua possessione reddere beneficiatum, qui in Beneficio, suapte natura inamovibili, per triennium pacifice versatus fuerit.

IX. Neque fidem illis adhibendam esse qui molestare vellent taliter possidentem, nisi prius evincant vel titulum infectum fuisse *simoniaco ingressu;* aut probationibus undequaque concludentibus non ostendant cuiuslibet tituli inexistentiam.

PRAESENTATIONIS, ATQUE INSTITUTIONIS.

Die 4 septembris et 11 decembris 1875.

Compendium facti. In Civitate N. paroecia reperitur SS. Gregorii et Stephani quae prius in Ecclesia S. Rochi, nunc vero in Ecclesia SS. Martyrum Solutoris, Adventoris et Octavii regitur et gubernatur. Suo pastore viduata mansit eiusmodi paroecia die 7 iulii 1873 per ultimi possessoris sui obitum. Quapropter venerabile Sodalitium, quod S. Rochi, Mortis et Orationis audit, patronatus iure sibi ab immemorabili competenti utens, Presbyterum G. iam alterius paroeciae parochum, unanimi pene suffragio elegit die 27 octobris 1873, ac per litteras diei 28 praefati mensis et anni eumdem Ordinario praesentavit ut instir tueretur. Ordinarius interim nedum institutionem electo ac praesentato dare renuit, sed consilium eidem praebuit ut electioni et praesentationi nuncium mitteret, existimans istam praesentationem vitio nullitatis infici. Sacerdoti G. oppositionem facienti abstulit Ordinarius tum audiendi sacramentales confessiones et absolvendi, tum extra suae paroeciae fines praedicandi facultatem.

Aegro id ferens animo presbyter G., et quum frustra modis omnibus usus fuisset ut a proposito Ordinarium removeret, una cum Venerabili Sodalitio S. Concilii. Congr. adivit expostulans ut dignaretur Ordinario imponere institutionem dare supplicanti ob nominationem a Sodalitio S. Rochi obtentam.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE PRO INSTITUTIONIS CONCESSIONE HABENTUR. Sacerdotis G. patronus trifariam divisit -orationem suam, agens in parte 1.° de praesentationis iustitia atque efficacia : 2.° de institutione ab Ordinario danda : in 3.° autem de devoluzione iuris ad S. S. Apostolicam, quatenus Episcopus illam dare renuerit. Ideoque quoad primam par-

tem autumavit Orator ambigi haud posse de efficacia nominationis et praesentationis; eoquod neque exceptio de iure patronatus, neque de suffragiorum praeponderantia, neque de regularitate ipsius nominationis et praesentationis apposita fuerit; dum insuper nominatio et praesentatio factae fuerint tempore a S. Canonibus ad praesentandum concesso. Et quamvis placuerit habere uti dubiam eiusmodi electionem, nullitatis querelam nihilo secius esse omnino reiiciendam ex iuris regula per quam edocemur semper in odiosis benigniorem et mitiorem interpretationem capiendam esse. Ast in foro nihil vulgatius quam nullitatis querelam odiosissimam esse, probatu arduam ac difficilem, ideoque reiiciendam in quavis dubietate. Haud insuper ad rem facere quod Ordinarius suggessit nempe inter ipsum et Sodalitium conventionem praecessisse de eligendo Parocho inter candidatos illos ab eodem Ordinario propositos. Id enim omni documento destitui; et quamvis admitti velit, tamen magnam exhibet aequivocationem eoquod aliud sit dicere aliquem ex sodalibus in eiusmodi conventionem descendisse, aliud dicere illam inivisse integrum Sodalitium. Ideoque nullitatis querelam esse reiiciendam conclusit patronus.

Validam ac legitimam fuisse Presbyteri G. nominationem et praesentationem quum demonstrasset orator, prono alveo fluere dixit ipsi ab Ordinario institutionem dandam esse. In facultate enim Ordinarii haud esse inefficacia et inania reddere iura patronatus; agi insuper nedum de iure quaesito tollendo tam patronis quam personae ab eisdem praesentatae, sed etiam de inferendo vulnere existimationi ac famae praesentati ipsius, qui hac de re in illam incideret deploratissimam conditionem, nullam nempe aliam provisionem in posterum inveniendi, ceu arguitur post canon. *Monasterium* ***16*** quaest. 7, ex Pitonio *controvers. patron, alleg. 7 et* ***8,*** *num. 47;* ex De Luca *de iurepatr. diseurs. 64, n.* ***1.*** *et diseurs.* ***31,*** *n.* ***8.***

Haud Ordinario licuisse institutionem denegare eoquod praesentatus indignus vel incapax fuisset ; quoniam ius et factum assertioni eiusmodi opponuntur. Opponitur ius quia id *gratis* asseri nequit; sed clare et concludenter ut probetur oportet ad tradita per Lambertinium *de iure patron, p. 1, leg. 2, quast. 9, art. 16.* Garziam *de beneflc. part.* **7,** *cap. 8, num. 47.* Opponitur factum, quia relate ad vitam, mores,' atque idoneitatem, ita probatam habuit Ordinarius personam praesentati ut vel ipse ei obtulerit alias paroecias non minoris momenti vel gravitatis. Et id eo vel fortius, retinendum esse autumavit quia in themate agebatur de praesentatione facta per laicos patronos, qui digniores praesentare nulla lege tenentur ut post Tridentinum *Sess. 24, cap. 18 de re format,* tenet Pitonius *de controv. patron, allegat. 100, n. 16, 17, 18.*

Neque negari posse presbytero G. institutionem causa probandae eius idoneitatis; quippe quae pluries probata fuerit coram Synodalibus Examinatoribus ut deputaretur ad regendas paroecias quibus praefuit.

Tertio tandem loco animadvertit orator institutionis concessionem esse rem facti ad quod neminem cogi posse ; proindeque ne Ordinarius eludere videatur patronatus iura, aut ius tertio quaesitum laedere, instructionem praesentato denegans, iurisprudentiam SS. Canonum recursum admisisse ad S. Pontificem. Penes illum enim omnia iura naturaliter devolvi et ab eo institutionem per Ordinarium recusatam obtineri posse.

EA QUAE ADVERSUS INSTITUTIONIS CONCESSIONEM PROSTANT. Procurator fiscalis Curiae Episcopalis edixit notatu dignum fuisse Sacrorum Canonum mentem esse ut laici patroni intra quadrimestre illis concessum, non solum nominare, sed modis et formis a iure statutis, praesentare Ordinario personam debeant. Quibus omissis patronum pro illa vice iure praesentandi privari, illudque devolvi Ordinario. Ut autem praesentatio *canonice* facta

dici possit, trium personarum concursum requiri; idest praesentantis, praesentati et Ordinarii. Preasentantem et praesentatum debere sub iuramento confirmare coram Ordinario nullum inter eos intercessisse illicitum pactum, idque modo *authentico* evinci debere. His praemissis, exsurgere presbyterum G. nullimode electum fuisse ad normam iuris; eo quod haberi minime possit canonicae praesentationis loco simplex transmissio nominatonis; insuper neque presbyterum G. constare fecisse formis a iure praescriptis nedum se accepto habuisse praesentationem, sed neque nominationem. Quapropter deduxit procurator fiscalis pro ea vice Sodalitium ius praesentandi amisisse, et ad Ordinarium devolutum fuisse.

Ex officio tandem observatum fuit, quod praesentia physica praesentati coram eo qui instituere debet requiratur manifeste docere Barbosam *de iurepatronat. part. 3. allegat. 60, num. 110 et 114*- Lambertinum *quaest, i. part. 2, num. l de iurepat.* - ibi : *Praesentatio est exhibitio quaedam facta de Clerico praesente sensibus corporeis illius, cui fit praesentatio.*

Neque opponere prodesse presbyterum G. notum Ordinario fuisse, et minime necessariam extitisse personalem praesentati exhibitionem. Nam si id asseri et defendi forsitan posset quoad simplex beneficium, minime locum habere posse quoad beneficium cum animarum cura.

Ex adverso autem omitti nequire Ordinarium, vix habita nominationis istius notitia, illico eam nedum non adprobasse, sed omnino respuisse; ideoque fieri non potuisse electi praesentationem coram Ordinario intra utile tempus a iure praefinitum.

His praemissis, proposita fuere dirimenda

Dubia.

I. An constet de validitate atque efficacia praesentationis in casu.

Et quatenus affirmative.

II. *An et a quo danda sit institutio in casu.*

S. C. Congr. causa cognita, die 4 septembris 1875 respondere censuit:

Dilata ad primam post aquas.

CAUSAE PROSEQUUTIO. Edito eiusmodi rescripto Ordinarius per suum patronum apud acta exhibuit quod sequitur; nempe se nuncium mittere petitioni a se factae pro nullitate, casu quo S. C. C. validam nominationem et acceptationem haberet, sed expetere ut presbyter G. examini subiiciatur tum quoad scientiam tum quoad alia requisita a Tridentino pro parocho, qui in casu praeesse debuisset paroeciae inter alias conspicuae.

His breviter superadditis eadem duo proposita fuere enodanda

Dubia.

I. *An constet de validitate atque efficacia praesentationis in casu.*

Et quatenus affirmative.

II. *An et a quo danda sit institutio in casu.*

RESOLUTIO. S. C. Congregatio die 11 decembris 1875, causa iterum discussa, respondere, censuit:

Ad I et II praevio examine ad formam Concilii Tridentini institutionem spectare ad Archiepiscopum.

EXINDE COLLIGES :

I. Ut praesentatio sit perfecta, suumque sortiatur effectum requiri eam fieri a praesentante, et realiter exhiberi Ordinario; neque sufficere litteras praesentationis esse legitime expeditas et acceptatas.

II. Ad normam Concilii Tridentini *Sess. £4, cap. 18 de Ref.* requiri praevium examen pro forma institutionis,

ita ut illo deficiente nulla fiat institutio et praecipue in beneficiis parochialibus \

III. Ordinarios facultate pollere ex DD. ratam habendi praesentationem absentis, sibi aliunde cogniti, eoquod a iure requiratur tantum praesentia physica pro subeundo examine quoad institutionem, minime vero quoad praesentationem.

IV. Habentem instituendi potestatem debere quamprimum institutionem dare iuridice praesentatis tum in laicalibus, tum in ecclesiasticis beneficiis.

V. Per notabilem dilationem, aut per irrationabilem negationem institutionis laedi tum patronorum, tum praesentati iura quaesita; vulnus inferri famae ipsius praesentati, nec non grave animabus imminere periculum si beneficium parochiale sit.

VI. Sacrorum Canonum iurisprudentiam admisisse recursum ad Sedem Apostolicam quoties ille ad quem instituere pertinet aut nimis differat [2] aut aperte contra ius renuat institutionem dare.

DUBIA CIECA PEIVILEGIA EEGULAEIUM.

Die 4 septembris 1875.

Episcopus N. supplici libello Sacram Congregationem Episcoporum et Eegularium adivit exponens :

« I. In Litteris, quae pro Sacerdotibus ab Ordinario « approbatis, tam Cleri Saecularis quam cuiuscumque Or-

[1] **Tridentina Synodus, Sess. VII, cap. 13, *de institutione* loquens edixit : *Praesentati seu electi vel nominati a quibusvis.., ad quaevis Ecclesiastica beneficia, non instituantur... nisi fuerint prius a locorum Ordinariis examinati et idonei reperti.* Itaque si verba Conc. Tridentini attendantur, omnes indistincte praesentati et nominati ad quaecumque beneficia et a patronis quibusvis deberent ab Ordinariis *examinari* et idonei iudicari antequam instituantur. Attamen praxis seu consuetudo ad sola fere beneficia, quibus cura animarum adnexa est, restrinxit, et alia beneficia ab eiusmodi examine exemit.**

[8] **Tempus institutionis praesentatorum faciendae in beneficiis non reperitur a iure praefixum et determinatum, dummodo non diu differatur. Et**

« dinis Religiosi, ad audiendas fidelium confessiones etc. <(in hac nostra exarantur Cancellaria, sequens inter alias « apponitur clausula nempe : - Nos... Sacerdoti N. N. fa- « cultatem concedimus per praesentes ad unum tantum ((annum, vel ad biennium, triennium etc. ad audiendas « fidelium confessiones, ad Evangelium praedicandum, ((et sanctissimum Missae sacrificium celebrandum. - <(Paulo vero antequam talis licentiae, vel facultatis prae- « finitum tempus absolvatur, Sacerdotes pro ipsarum fa- ((cultatum nova prorogatione Ordinarium adire tenentur, « ac tunc synodum vel examen patiuntur ad illorum ((scientiam et aptitudinem experiendam. Quidam autem « Religiosi aegre ferunt memoratam clausulam, quoad ((limitationem scilicet temporis ad missas celebrandas, <(asserentes suis privilegiis et exemptionibus adversari. « Ego nihilominus, etsi vereor, qua par est observantia, « omnes exemptiones Regularium et privilegia, utpote de « ipsa Apostolica Sede suam ducunt originem, non ita « iudico... Quaero igitur a Sanctitate Vestra :

« I. Clausula praefata iuri et exemptionibus Régula- **it** rium ullo modo ne adversatur?

((II. Quando ob iustam causam in aliquem Sacerdo- <(tem religiosum extra claustra degentem propter publi- **ci** eam perturbationem et leges anticatholicas, poenam *m*- « spensionis, etiam missam celebrandi, decernit Episco-

ideo beneficium non est devolutum ex eo quod Ordinarius distulit instituere, quum non sit tempus praefixum instituere habenti, ceu praefixum fuit collatori ad conferendum. Potest tamen per superiorem certum tempus assignari pro institutione perficienda ; infra quod si non fiat institutio compelli possit is qui id facere debeat. S. Pius V, in Constit. *In conferendo,* § 4, statuit ut in parochialibus institutio fiat intra bimestre a die praesentationis computandum, quo tempore *Ordinariis institutionem facere negligentius, possint Patroni pro huiusmodi institutione obtinenda habere recursum ad Metropolitanum, ad viciniorem Ordinarium, aut Sedem Apostolicam.* Attamen ut appellari possit a retardata seu denegata institutione et negligentia requiritur trina interpellatio. Rota in una *Feltrino,, Canonicatus,* 5 decembris 1603, coram D. Ortembergo.

« pus exceditne terminos iuris et male se gerit ? aut po-
<(tius, ut arbitror, iure et ratione facit, ac propterea Reli-
« giosus obedire et subiici inflictae poenae tenetur? quid
« ergo iuris in casu? Sunt namque Sacerdotes regulares
« honorantes quidem suspensionem quoad fidelium con-
« fessiones et praedicationem Evangelii, minime vero
<(quoad missae celebrationem, existimantes quod tali
« poena ipsorum privilegia et exemptiones Episcopus gra-
« viter laedit : et nolunt obedire ac resistunt auctoritati
« Ordinarii. Hinc, ut patet, varia et gravissima incom-
((moda ».

Hisce habitis precibus S. Congregatio Regularium et Episcoporum negociis praeposita, cum de interpretanda Synodo Tridentina ageretur, rescripsit. « Transmittatur ad Congregationem Concilii ». Haec autem accepto libello decretum edidit *Per summaria precum.*

Disceptatio synoptica.

Ex officio animadversum fuit Constitutionem S. Pii V *Etsi Mendicantium* 17 Kalendis iunii anni 1567, Mendicantes liberare a plurimis gravaminibus ipsis ab Episcopis illatis, et multa loca Concilii Tridentini declarare. Siquidem § 8 dum obligationem populi fidelis conveniendi saltem dominicis et maioribus festivis diebus ad suas Ecclesias commemorat, subdit: *Volumus quod Fratribus Mendicantibus huiusmodi non solum prohiberi non possit (ab Episcopis) ne Missas et alia divina Officia faciant in eorum Ecclesis, verum etiam in quibuscumque aliis, ubi celebrari Missas solitum est, etiam ipsis non vocatis, seu ad id requisitis, celebrare valeant.* Accedere, quod iisdem Regularibus facta fuerit facultas admittendi Religiosos advenas, absque Episcopi licentia, ad S. Sacrificii celebrationem, prout decisum fuit a Sac. Congr. de Propag. Fide, sub die 28 iunii 1626 (apud Nìcol, in *lucubr. Canon. Tom.* ***2,*** *lib.* ***3,*** *tit.* ***31,*** *num.* ***15)*** : in qua refertur

quod : *Ordinarii locorum ex dispositione Sacr. Concilii Tridentini prohibere non possunt, ne Regulares peregrini in Ecclesiis suorum Ordinum missas celebrent, absque eorum licentia.* Praeterea, adducto Tridentini decreto non obstante Sac. Congregat. Episcopor. et Regular, in *Syracusana, **19** aprilis **1606,*** quoad Ordinem Hierosolymitanum, expresse edixisse, quod : *Prohibere non potest Episcopus, ne celebretur in Ecclesiis Religionis Hierosolymitanae, a Sacerdotibus tam Fratribus, quam Capellanis, absque sua licentia.* Huiusmodi autem privilegium, licet Ordini Militari concessum sit, cum tamen observantiam regularem non laedat, immo foveat, videtur procul dubio et alteris Religionibus communicari. Tunc enim solummodo non communicantur privilegia unius Religionis alteri, quando ex tali communicatione observantia regularis labefactatur, uti docent Suarez *lib. **8,** de LL. cap. **17,** n. **5*** et Schmalzgrueber *ius Ecclesiast. Tom. V, Pars. III, Tit. **33,** De Primi.* Iamvero haec omnia satis superque innuere, Regularibus omnimodam libertatem quoad Missae celebrationem esse relinquendam.

Altera autem ex parte haec animadvertenda visa sunt. Quod Rmus Episcopus saeculari Clero facultatem indulgens Sanctissimum Missae Sacrificium celebrandi praefata clausula uti possit, hoc nemo prudens in dubium revocare valet, siquidem, caeteris omissis, quotidiana praxis Vicariatus Urbis id luculenter edocet.

Iamvero Regulares hisce luctuosissimis temporibus extra claustra degentes saecularibus Sacerdotibus aequiparari posse videntur. Hinc quoad politiam et disciplinam Ecclesiasticam ab iurisdictione Ordinarii loci, in quo degunt, eximi haud valere. Quapropter Episcopum ipsis facultatem celebrandi concedentem citata clausula uti posse visum est. Ad rem facit, quod traditum est ex S. Poenitentiaria Apostolica die 18 Aprilis 1867 - ibi : « Sacra ita-

<(que Poenitentiaria mandatis Sanctitatis Suae... obse-
« quens... decernit :

« II... Licet quisque Regularis degens extra claustra « quoad politiam et disciplinam Ecclesiasticam ab iuris- « dictione Ordinarii loci$_5$ in quo degit, exemptus non sit, « attamen quoad disciplinam regularem et obligationes, « quae ex regulari professione promanant, et cum novo « eius statu sunt compatibiles, propriis Superioribus sub- <(esse eisque obedire tenetur.

<(X. Declarat ac decernit Regularibus suppressis... li- « cere... non obstante defectu tituli sacri, suos Ordines « exercere, Missamque in quacumque Ecclesia, de licen- « tia Ordinarii loci, celebrare ».

Quoad II. vero Dubium, exploratum est in iure Regulares Episcopo omnino subesse, si degant et delinquant extra claustra, textu expresso in Concilio Tridentino *ßess. VI de Reform, cap.* ***S,*** ubi dicitur: *Nemo Regularis extra monasterium degens, etiam sui Ordinis privilegii praetextu, tutus censeatur, quo minus, si deliquerit, ab Ordinario loci, tamquam super hoc a Sede Apostolica delegato secundum canonicas sanctiones visitari, puniri et corrigi valeat.* Quae Tridentini monita eo vel magis Episcopo suffragari, quia in casibus particularibus (prout in themate), in quibus vigore praedicti Concilii datur Episcopis facultas coercendi, corrigendi et puniendi Regulares, ab illis possunt censuris percelli, et proinde etiam a Missae celebratione suspendi, nisi habeant ad id privilegia sibi concessa vel confirmata post Concilium Tridentinum, prout decisum est a S. C. Rituum *in Tarentina* ***SI*** *maii* ***1642,*** *et in Camerinen.,* ***21*** *februarii* ***1699,*** et probavit quoque S. C. C. *in Venafrana Interdicti,* ***26*** *ianuarii* ***1679.*** Et Cardinalis De Luca *in Miscellan. disc.* ***15,*** *num.* ***8*** asserit, quod hic punctus, post emanatam Constitut. Gregorii XV incipientem *Inscrutabili,* non meretur amplius discuti. Item Barbosa *De offic, et potest. Episc.*

part. ***3,*** *alleg.* ***78,*** *num.* ***25;*** Monacelli *Formul. Tom. IV, supplément, ad tom. II, n.* ***355;*** Ventriglia *in Prax. part.* ***i**,y* *adnotat.* ***48,*** *§ Huic, num.* ***106;*** Gallemart. *Collect, in Conc. Trid. Sess. XV, cap.* ***13,*** *remiss,* et alii, qui sentiunt hisce in adiunctis Episcopos censuris plectere Regulares posse, non tamquam iudices, sed tamquam iuris executores.

Verum ex altera parte animadversum fuit, in themate agi de Regularibus extra claustra degentibus temporum nequitia, non vero proprio arbitrio et absque suorum Superiorum venia. Iamvero hoc in casu non deesse Doctores, qui aiunt dietum Tridentini decretum intelligi solum de Religiosis degentibus extra Monasterium absque licentia Praelati, non vero de illis qui hanc licentiam praeseferunt. Ita Céspedes, *Tract, de exempt. Regni. cap.* ***16,*** *dub.* ***245,*** *num.* ***3;*** Peyrinis, *Tom. I, Privil. in* ***2,*** *Const. Sixti IV,* § ***il,*** *n.* ***22;*** Donatus, *Prax. Rer. Regul. Tom. I, de exempt, religiös. Tract. XIII, pag.* ***271, § 35, 4-*** Et hoc tenent *tum quia Regularis dicitur esse in Monasterio, ubicumque reperiatur de licentia aut iussu sui Superioris, Panormitan. in cap. ex rescripto de iureiur. num.* ***5;*** *tum etiam quia iustum et aequum non est, ut, qui a suo Superiore quotannis visitatur, et toties quoties opus fuerit punitur, puniatur ab alio, vel quod alii extraordinario Iudici subdatur, aliter duplici contritione contereretur.* Tandem illud unum animadversione dignum reputatum fuit quod de applicatione huiusmodi Tridentini decreti in Regulares quomodocumque extra claustra degentes, acriter disputant Doctores, inter quos Sánchez, *De Matrimon. lib.* ***5,*** *disp.* ***35,*** *n.* ***28;*** Donatus, *loc. cit. quaest.* ***24;*** Henriquez *in Summa lib. VII, cap.* ***25, § 7;*** Peyrinis, *Tom. I, in Constit.* ***2,*** *Sixti IV, n.* ***60;*** Tamburin, *de iure abbat. Tom. I, disp.* ***19,*** *quaest.* ***7,*** *n.* ***7;*** Ferraris *in Bibliothec. ad verbum Regulares art. 11, n.* ***80, 81.*** Ibi enim aiunt Episcopos huiuscemodi censuris in Regulares procedere non posse, non solum ex eo quod Tridentinum

quando illis hanc potestatem fecit, id conceptis terminis expressit; verum etiam quia nulla adest Religio, quae sive per specialem concessionem, sive per communicationem tale privilegium habere non praetendat.

Hisce pro utraque parte praenotatis, iudicio et sapientiae EE. CC. decernere remissum fuit quid propositis dubiis esset respondendum.

RESOLUTIO. S. C. C. die 4 septembris 1875 causa cognita respondere censuit :

Agendi rationem Episcopi N. non excedere terminos iuris.

EXINDE COLLIGES :

I. Regulares extra claustra degentes temporum nequitia aequiparari posse Sacerdotibus saecularibus, ideoque *totaliter* eximi nequire a iurisdictione Ordinarii loci in quo degunt.

II. Quapropter, his in adiunctis, si propriis Superioribus subesse debent quoad disciplinam regularem et obligationes promanantes a regulari disciplina et cum novo statu compatibiles; quoad vero politiam et disciplinam ecclesiasticam iurisdictioni Episcoporum subesse oportere.

III. Hinc etiam, ex DD. quibusdam, Episcopos facultate pollere relaxandi censuras contra Regulares contumaces degentes et delinquentes extra claustra; et id si non tamquam iudices, tamen sicuti iuris executores sive tamquam Sedis Apostolicae delegatos.

IV. Ordinarios posse quoque moderari pro eisdem Religiosis extra claustra degentibus facultatem celebrandi Sanctissimum Missae Sacrificium, audiendi fidelium confessiones nec non Sanctum Evangelium praedicandi.

EX S. APOSTOLICA POENITENTIARIA

Quum Gubernium italicum constituisset visitare per ministros ad id deputatos Seminaria; istorum moderatores recursum habuerunt ad S. Tribunal Poenitentiariae exposcentes quomodo se gererent:

1.° Quoad notitias super eisdem Seminariis a Gubernio requisitas;

2.° Quoad Provisoris Studiorum visitationem.

Sacrum Tribunal respondere censuit:

Ad 1. *Ad evitanda graviora mala, quae secus declinari non possent, tolerari ut moderator Seminarii dare possit Gubernio notitias, quas de ipso Seminario idem Gubernium violenter requirit; praevia tamen protestatione, qua declaretur Seminaria a quacumque laica potestate, prout constat ex Concilio Tridentino, esse omnino Ubera et exempta; et cauto ne Gubernii Ministri in Seminarii studia ac disciplinam (quod numquam est tolerandum) se ingerant.*

Ad 2. *Quatenus adhibitis omnibus mediis et cautelis, quas prudentia et zelus Religionis suggesserit, visitatio regii Provisoris evitari nequeat, et aliunde gravia timeantur mala; ac dummodo eadem visitatio sit eiusmodi, ut moderatio disciplinae et studiorum Seminarii integra maneat apud Episcopum, passive se habeat; praemissa tamen protestatione, qua declaretur Seminaria a quacumque laica potestate, prout constat ex S. Concilio Tridentino, esse omnino libera et exempta.*

EX S. CONGREGATIONE S. R. U. INQUISITIONIS

DECRETUM.

Feria IV. Die 16 februarii 1876.

Suprema Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium in tota Republica Christiana contra haereticam pravitatem Inquisiturum Generalium in Feria IV die 16 februarii 1876 damnavit et proscripsit sicuti damnat et proscribit, atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit opusculum cui titulus :

Dei doveri della donna - pensieri di ADALGISA COSTA di Milano - Roma - Cotta e Compagno, Tipografi del Senato del Regno - Palazzo Madama.

Eadem die et Feria

Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia PAPA IX, audita super praedicto opusculo relatione decretum confirmavit et promulgari mandavit.

Datum Romae, die 22 februarii 1876.

FR. VINCENTIUS LEO SALLUA, Ord. Praed.
Commissarius Generalis S. R. et Univ. Inquisii.

Iuvenalis Pelami,
S. R. et Univ. Inquis. *Notarius.*

Loco jjj Sigilli.

Die 24 februarii 1876 ego infrascriptus magister Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Philippus Ossani, *Mag. Cur s.*

EX VATICANO

Sanctissimi D. N. Papae IX Breve quo moderantur facultates Capellanorum Militiae Gallicae.

PIUS PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Quae catholico nomini, aeternaeque fidelium saluti, bene, prospere ac feliciter eveniant, ea, ut mature praestemus, Nos admonet summi Apostolatus munus, quod immeriti licet, obimus.

Itaque, cum anno superiore, in Gallorum consessu legibus ferendis, vectigalibus decernendis, verba facta fuerint de instaurandis presbyteris a sacris, seu capellanis, vulgo *aumôniers,* pro catholicis qui militant in terrestri exercitu Reipublicae, placueritque huiusmodi presbyteros, seu capellanos statuendos praesidiarii qui nominantur, quique terrestrium copiarum legionibus, cohortibus, manipulisve addicti, rem divinam curent sub iurisdictione et potestate sacrorum Antistitum, quorum in dioecesibus memoratae copiae stativis maneant: Nos quo eorumdem catholicorum bono satis opportuniusque consultum sit, haec quae infra scripta sunt, Apostolica Nostra auctoritate decrevimus.

Quibus in locis Gallorum copiae in stativis habeantur, eorum locorum Archiepiscopis, aut Episcopis, tales presbyteri, seu capellani praesidiarii in spiritualibus omnino subiecti sunto. Quum vero eaedem copia e stativis

eductae fuerint *(mobilisée),* tunc ne aeterna animarum salus, in qua procuranda omne studium cogitationesque collocamus, quidpiam detrimenti capiat, singulis universisque presbyteris, seu capellanis huiusmodi, nimirum tam praesidialis, quam suiïectis, qui vexilla sequuti fuerint, auctoritate Nostra Apostolica, tenore praesentium, elargimus ut singuli quique eorum, vel extra dioecesim, et tam in ditione, quam extra ditionem Reipublicae Gallorum, omnes et singulas facultates exercere libere et licite queant, quibus in dioecesi ex concessione proprii Archiepiscopi, vel Episcopi utebantur, antequam copiae stativa reliquissent.

Praeterea facultates adiicimus, quae infra scriptae sunt :

I. Ut singuli quique eorum, una etiam hora, vel ante auroram, vel post meridiem, ac necessitate id urgente, extra ecclesiam, et sub dio, decenti tamen in loco, super altari portatili, lapidi sacro et necessaria ad id supellectili instructo, praesentibus quoque infidelibus, haereticis atque excommunicatis, dummodo aliter fieri nequeat, et absit periculum sacrilegii/scandali et irreverentiae, sacrum peragere, illudque necessitate pariter exigente, servatis tamen servandis, bis eodem die facere; nec non qualibet feria secunda, vel tertia non impeditis, unam missam de *Requiem,* super altari portatili, lapide sacro, et supellectili ut supra instructo, celebrare possint, et valeant.

II. Ut singuli quique eorum omnibus Christi fidelibus, qui Gallorum, vel in exercitu militant, vel in re praesenti, quovis modo ad exercitum pertinuerint, Ecclesiae sacramenta administrare, eos a quibusvis reatibus cum huic Apostolicae Sedi, tum Ordinariis locorum, per quae exercitus iidem transeant, vel in quibus consistant, servatis, absolvere ; item Christi fidelibus, quos descripsimus,

etiam conversis ab haeresi atque apostasia a fide, et schismate, qui tamen facultatem sacramentalem confessionem peragendi non habeant, dummodo saltem fuerint corde contriti, plenariam indulgentiam et peccatorum remissionem in mortis articulo impertire in Domino possint.

III. Ut singuli quique eorum memoratis Christi fidelibus, qui vere poenitentes, et confessi, ac sacra communione refecti, dominica Resurrectionis, et festivitatibus Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, et Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Beatae Mariae Virginis, pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, etiam defunctis applicabilem concedere ut supra queant.

Ut singuli quique eorum quoscumque Christifideles, de quibus habita ante mentio est, ab haeresi, etiam ab apostasia et schismate in foro conscientiae absolvere, eosque, servatis servandis, Sanctae Matri Ecclesiae reconciliare; tandem vasa, tabernacula, vestes, ornamenta et quidquid ad cultum divinum spectet et spirituali servitio sit necessarium benedicere libere et licite possint.

At enim volumus, edicimus, ut presbyteri, sive capellani, quos memoravimus, singulas atque universas facultates huiusmodi, durante tantum expeditione, et nonnisi quum tempus et necessitas postulet, exerceant, eisdemque uti valeant, quin eas Ordinariis locorum, per quae aut exercitus transeat, aut in quibus expeditionis causa constiterit, subiicere, teneantur.

Simul volumus, ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et" sigillo personae ecclesiastica in dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si fuerint exhibi-

tae, vel ostensae. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annnlo Piscatoris, die 6 iulii 1875, Pontificatus Nostri anno trigesimo.

F. Card. ASQUINITJS.

L. gg S.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

IURIUM PAROCHIALIUM.

Die 24 iulii 1875.

Ecclesiam S. Agathae in civitate B. unus tantum Parochus (qui praepositus dicebatur) administraverat usque ad annum 1502. Hoc anno exeunte, Bartholomaeus quidam eo tempore Praepositus, a Summo Pontifice Alexandro VI petiit ut tres aliae Capellaniae perpetuae cum fructibus pro Capellanorum sustentatione de suis redditibus magna ex parte adsignandis erigerentur, qui *una cum* pro tempore existente dictae Ecclesiae Rectore horis Canonicis interesse, residere, celebrare, et animarum curam exercere tenerentur.

Quae postulaverat Bartholomaeus, obtinuit, titi videre est in Litteris Apostolicis quarum haec praecipua r
« Mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, si est ita,
« in dicta Ecclesia, tres alias perpetuas Capellanías pro
« tribus aliis perpetuis Capellanis, qui una cum praefato
« Bartholomaeo et pro tempore existente dictae Ecclesiae
« Rectore, in ipsa Ecclesia horis canonicis interesse, et
u curam animarum parochianorum praedictorum exer-
((cere, in ipsaque Ecclesia personaliter residere, et per se
« ipsos, non autem substitutos, impedimento cessante le-

« gitimo deservire, ac singulis diebus in ipsa Ecclesia vel « per alios missas celebrare teneantur etc. ».

Omittendum non est anno 1515 eumdem Bartholomaeum Constitutiones quasdam a Capellanis servandas condidisse, quibus inter alia praescriptum est: « Quod <(nullus de cura animarum totius parochiae se impediat, <(tam in audiendis confessionibus quam caeteris confe- « rendis sacramentis, nec quisque sacerdos audeat in prae- « senti Ecclesia celebrare, absque licentia domini Prae- « positi seu sacristae, sub poena solidorum decem pro qua- <(libet vice, .praedictis contrafacienti. Quod DD.... diligen- « ter curam animarum exerceant, donec domino Praepo- <(sito placuerit, et quilibet ipsorum per circulum suam <(agat hebdomadam pro occurrentibus in dicta cura etc. ».

Incontroversum videtur in facto, huiusmodi Capellianos animarum curam semper exercuisse, sacramentaque ministrasse : et quoties Capellanos inter ac Praepositum questiunculae ortae sunt, toties Praepositi eiusdem superioritatem praevaluisse. Verumtamen anno 1790, Praeposito Capellanos perturbante a parochialium iurium exercitio, hi ab Ordinario quaestionem dirimi obtinuerunt per decretum « manutenendos esse dictos Reveren- « dos Curatos in libero exercitio administrationis Sacra- « mentorum Parochianis dictae Parochiae, et praesertim « Sacramenti Matrimonii ut est in praxi ».

Recentiori tempore, cum Praepositus Capellanis indixisset delegationes assistendi matrimoniis ad se revocare velle, Capellanorum quidam protestatus est. Tandem cum die 18 februarii ex Capellanis unus, ad celebrandum matrimonium quoddam consensum a Praeposito postulasset, et hic in matrimoniorum Regestro adnotasset : *Liceat Reverendo Curato N. in matrimonium coniungere DD. etc.* omnes Capellani hac agendi ratione indignati libellum Ordinario obtulerunt, petentes manutentionem in possessione iurium suorum ad tramites Canonicae Legis.

Sententiam tulit Episcopalis Curia « *Admittendam esse « Capellanorum possessionem quoad Sacramentorum ad- ii ministrationem et adsistentiam matrimoniorum celebra- « tioni, absque Praepositi delegatione: salva in hoc coa- « diutorali animarum exercitio ab eius praescriptis de- « pendentia* ».

Partium neutra huic sententiae acquievit; immo utraque ad Metropolitanam Curiam provocavit : quae limites *possessorii* egrediens, *in petitorio* controversiam diremit rescribens: *plenae parochialitatis iura, et praesertim matrimoniis adsistendi, pariter ac reciproce in vim fundationis spectare tum Coadiutoribus Titularibus, tum Parocho-Praeposito.*

Huiusmodi decisione se laesum videns Praepositus, a S. C. C. tum in petitorio tum in possessorio rem dirimi postulavit: scilicet fundatione inspecta decerni: « 1.° CU- **cì** ram habitualem in Paroecia S. Agathae ad Rectorem « Praepositum privative spectare, non Capellanis una « cum ipso. 2.° Actualem Curam nequire Capellanos exer- **ce** cere independenter a Praeposito ».

Disceptatio synoptica.

EA QUAE PRO CAPELLANIS EX OFFICIO NOTATA SUNT. Capellanorum ius erui dictum est ab initio, et a fundatione, et a perantiqua trium fere saeculorum consuetudine, et ex pluribus sententiis in sui favorem prolatis et a Praepositis accepto habitis. Quod fundationem respicit, in Bulla Alexandri VI verba occurrere *ad curam animarum una cum Rectore Reverendo illius tempestatis ac pro tempore successoribus exercendam,* neminem autem latere particulam *una cum* inter eas personas ad quas refertur aequalitatem inducere. Paris. *Cons.* ***19,*** *num.* ***21,*** *lib.* ***3,*** *Rota Decis.* ***216.*** *Faventina* ***20*** *iunii* ***1564,*** Barbosa *discep.* ***431,*** *n.* ***1.***

Aequalitatem vero eam subiectionem respuere quae

obligationem Capellanis imponit sacramenta non administrandi absque Praepositi consensu et delegatione.

Nec referre quod ex tali theoria ius parochialitatis in solidum exsurgeret. Distinguere enim sedulo oportere ius parochialitatis a libero exercitio curae animarum: et etiam hac distinctione posthabita, in praxi insuetum non esse ius parochialitatis a libero exercitio curae animarum : et etiam hac distinctione posthabita, in praxi insuetum non esse ius parochialitatis penes plures in solidum, manere; praesertim si id expostulent, vel circumstantia quaedam peculiaris, vel, ut in praesenti, rationabilis causa et legitima. Pitonius, *Constitutiones et decisiones pro Parochis N. 1404 et seq. 3 iunii **1678,** S. C. C. in Tiburtina **25** martii et **9** iulii **1757.***

His ex Bullae litera deductis adiectum est : dato etiam quod Bullae tenor talis esset ut aliqua interpretatione indigeret, interpretationem in casu non defuisse. A fundatione, hoc est ab anno 1502, usque ad annum 1791, Capellanos exercitium curae animarum continuum habuisse, absque ulla Praepositi delegatione : cum nulla delegationis adnotatio extet in regestris Parochialibus, prouti exigit Rituale Romanum in capite cui titulus *Formulae scribendae in libro Parochorum:* et quemadmodum diligenter in Paroecia S. Agathae observatum est, quoties vel sacerdotes extranei vocati sunt, vel Parochi isti ad alterius Paroeciae sponsas coniungendas admissi fuerunt. Huiusmodi silentium ostendere, nullam aliam dari posse Bullae Pontificiae interpretationem.

Huius argumenti vim crescere inspecta ipsa consuetudine : quae ex eo quod sit centenaria, naturam haurit veri ac legitimi tituli, suppletque titulum de mundo meliorem \ Quapropter concludi posse, observantiam Ca-

[1] Card. DE LUCA, lib. VII, *De alien.*, disc. 3, n. 6, ait: « Sola centenaria « *(praescriptio)* sufficit, non obstante moderna Constitutione Urbani VIII, ob « facultatem allegandi quemcumque titulum de mundo meliorem ».

pellanis opitulari nedum qua legitima fundationis interpretatio, sed etiam qua vera ac plena praescriptio. Demum intrinsecis rationum momentis, factum extrinsecum cumulandum esse : scilicet iudicium ab Ordinario prolatum anno 1791. Tot contra argumenta nihil facere, quod Praepositus Capellanis possessionem nanciscentibus expedire consueverit literas, quibus cavebat ad sui nutum ipsos debere in animarum cura Rectorem coadiuvare. Nullum namque praeiudicium iuribus a Bulla Apostolica derivantibus afferre unquam posse errorem in quo versabatur Praepositus circa eiusdem Bullae valorem. Obiectiones vero haustas vel a constitutionibus quae Praepositus condidit anno 1515, vel ab acquiescentia Capellanorum quorumdam Praepositi decretis, iura non destruere fundationi innixa, observantia confirmata. Multo minus ius parochialitatis evanescere, eo quod Capellani gravati non fuerint onere manutentionis Ecclesiae et celebrationis Missae pro populo. Haec enim tum aliquo in pretio habendas fore, cum Praepositus ostenderet Capellanos parochialia munia neque exercuisse unquam, neque exercere potuisse absque Praepositi delegatione.

EA QUAE PRAEPOSITI PATRONUS AFFEREBAT. Praemonebàt ipse possessorium cum petitorio confudisse Curiae Episcopalis sententiam, atque uti confusionem removeret, in possessorio ac in petitorio distinctas causae tractationes proponebat. A *possessorio* incipiens, querebatur antiquissima ac peculiaria facta ex adverso adduci, ut interdicta experiantur retinendae vel recuperandae possessionis. Verum huiusmodi interdictorum neutrum applicari posse in casu, quia vel actualem vel non remotam possessionem requirunt. Hoc errore etiam primi gradus iudices peccasse qui institerunt Episcopali decreto anni 1791, quod octoginta iam annis locum habuerat, quin ullo in pretio haberent consuetudinem viginti quatuor postremis annis constanter observatam. Statuebat itaque, dato

etiam quod antiquae possessionis factum Capellanis prodesset, eos *retinendae possessionis* interdicto uti nequire, quibus obstabant viginti quatuor intermissionis anni. Deterius agere ex interdicto *recuperandae possessionis,* quod non conceditur nisi in possessione quae *vi aut clam aut precario* occupata fuerit. Haimberger *ius Romanum privatum et purum Lib.* ***3,*** *Cap.* ***1, § 195.***

Obiter etiam notandum esse, quod in possessione animus sibi retinendi ante omnia requiratur: hoc est retinendi suo, non alieno nomine. Haimberger *loc. cit.* ***§ 186*** \ Hac^.in re possessionis titulum esse inspiciendum : quia si quis uti conductor possideat vel uti administrator, verus ac civilis possessor nequit haberi. Atqui titulum quo Capellani possident totum esse in Praepositi collationibus: quibus semel accepto habitis iam ab his ne minimum quidquam recedere valent. *Rota decis.* ***216,*** *cor. Merlino.* Atqui a Praeposito eos nihil aliud accepisse quam munus coadiuvandi, ad *nutum* Rectoris *ipsius:* quod paritatem quamlibet Rectorem inter et Capellanos excludit. Ergo redire, ex interdictis vel retinendae vel recuperandae possessionis Capellanos nihil proficere. Si interdictorum viam deserant, iam in petitorium incidere.

Et *ad petitorium* progrediens, aiebat: Ut Capellanorum deductiones proficerent, supponendum esse paroeciam non unius regi arbitratu Rectoris, sed quatuor parochorum qui simultaneam curam exerceant. At legem, consuetudinem, rerum necessitatem vehementer condemnare in gubernio imperii divisionem. Porro Alex. III lanuensi Antistiti scripsisse *quod* una Ecclesia unius *esse debeat Sacerdotis. Cap.* Sicut *quaest. Il,* et *Cap. in quibus 7, quaest, i,* Plures presbyteros uni Ecclesiae praefici posse, sed vel quatenus ii presbyteri corpus conficiant, vel quatenus praeter sacerdotes adsit qui coadiutoris per-

[1] Ait HAIMBERGER, loc. cit. : « *Animus* in possessione, in hoc consistit, « quod aliquis intentionem habeat rem suo, non alieno nomine retinendi ».

sonam gerat. In primo casu, cum corpus conficiunt, non plures reapse rectoris vice funguntur, sed unus : scilicet collegii moralis persona. Rectore haud deficiente, unus rector est, alii ad exercitium curae vicarii seu adiutores. Hac postrema in hypothesi, cum a regimine exercitium distinguitur, oportere ut unus se habeat dependenter et tamquam coadiutorem alterius *Rota Decis.* ***39,*** *N.* ***1,*** *et seqq. part.* ***15*** *Recent.*

In facto res a iure communi non deflexisse. Praepositum, Capellanorum institutionem a Pontifice impetrasse, oblata redituum participatione. Rectae autem rationi repugnare praesumptionem quod Praepositus beneficii sui dismembrationem proposuerit, suorumque fructuum partem abdicaverit; ut sibi pares atque aemulos, non vicarios ac inferiores adiungeret. Pontificem ipsum provisionem et collationem dictarum Capellaniarum Praepositis asseruisse.

Inde duo consectaria derivari. In collatione capellanorum favore non existere *institutionem auctorizabilem* quae nequit ab illis committi qui sunt Episcopo inferiores. *Text. in Cap. 4, de Off. Archidiac.* Quod si quando conferendi ius ex privilegio admissum est, hoc exercuisse nomine Episcopi Vicarium Piton, *disc. eccl.* ***20,*** *num.* ***31,*** Barbosa *de episc, alleg.* ***72,*** *num.* ***186,*** et facta in singulis collationibus vicariae potestatis mentione. Quapropter coadiutores quibus confert beneficium Praepositus ordinaria facultate, absque ulla privilegii mentione, parochos esse non posse. Illis accedere quod cum ius conferendi inter ampliores ac maiores iurisdictionis gradus adnumeretur, Rigant. *in reg. Cancell. T. I, reg.* ***2, § 2,*** *num.* ***9,*** absonum esset collatorem et electos eumdem dignitatis gradum habere.

Praeter haec omnia, in Bulla fundationis constanter Capellanos ac Rectorem distingui, quae distinctio Rectori solummodo curam animarum pertinere demonstrat.

Rota decis. 489, par. S, num. **S,** *recent.* Nec clausulam *una cum* paritatem ministerii inducere : cum nihil prohibeat famulum cum domino, militem cum duce cumulari, quin officii paritas has inter personas existat. Atque hoc loco notabat insuper, clausulam hanc etiam ad singulas quasque operationes et officia relatam (quod non concedebat) facti unitatem ferre, haud vero iurisdictionis. Quam iurisdictionis unitatem repelli inspecto quoque ordine in cura animarum exercenda; ex quo requiritur ut inter plures sit aliquis praeses, ne in matrimoniis caeterisque gravioribus negotiis contingat ut inter singulos diversa ratione eumdem populum regentes, altero concedente quod alter negat, dissensiones ac incertitudines exoriantur.

Capellanis allatam in possessorio consuetudinem non suffragari, sed Praeposito : qui anno 1515 in constitutionibus decrevit, nullum de cura animarum se ingerere posse absque Praepositi, licentia. Ipsos post saeculum fateri debuisse *se teneri ad coadiuvandum ipsum Rev. Praepositum... et ita semper fuisse observatum.* Haec confirmasse anno 1622 votum PAMPHILII (mox ad supremum Ecclesiae Senatum et ad Petri Cathedram evecti) coram S. Congregatione editi « quod cum Capellani teneantur « exercere curam animarum donec praeposito placuerit, « cura ipsa est penes ipsum praepositum, non autem pe- « nes Capellanos ».

Ultimo loco respondebat, iudicium actum anno 1791, in *possessorio tantum* versatum fuisse, nec petitorium laedere. In facto res aliter processisse ac ex adverso narrantur; cum anno 1795, Praeposito iudicium instituente in petitorio, iudicium ipsum haud expletum fuerit, quia alter ex coadiutoribus quocum ille dimicabat, Praepositi delegationem agnovit. His omnibus culmen imponere constitutiones anno 1848, a Praeposito conditas de ordine servando in exercitio curae, quae hactenus observatae sunt.

Argumentis, quorum haec summa est, expositis, Patribus Eminentissimis oblatum est resolvendum sequens

Dubium,

An et quomodo Sententia Curiae Metropolitanae sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. In comitiis diei 24 iulii 1875 C C . rescribere censuit, *Sententias primi et secundi gradus esse reformandas: Capellanis ius esse exercendi curam animarum una cum Praeposito et dependenter ab ipso: iuxta ordinationem ab Episcopo proponendam, et ad S. Congregationem transmittendam.*

Ex QUIBUS COLLIGES :

I. In quaestionibus circa iurium parochialium inter plures extensionem ac distributionem, fundationem et legitimam consuetudinem esse inspiciendas.

II. Si in possessorio iudicium instructum sit, ultimum rerum statum praevalere.

III. Collationem Capellaniarum, superioritatem collatoris ostendere.

IV. Licet parochialitatis penes plures in solidum exempla non desint, Ecclesiae institutioni haud respondere : eaque post Concilium Tridentinum obsolevisse, hac praesertim de causa, ne circa matrimoniorum validitatem quaestiones insurgant.

V. Hanc normam constanter sequutam fuisse S. C. C. dummodo fundationis leges ac consuetudo aperte non obsisterent.

VI. In casu S. Congregationem ius Capellanorum ad curam animarum exercendam agnovisse sed etiam eorum a Praeposito dependentiam. Ordinationem vero internam Episcopi arbitrio remisisse, cuius est ultimum rerum statum et populi necessitates cognoscere.

DISSOLUTIONIS SPONSALIUM.

Die 11 decembris 1913.

Compendium facti. Iuvenis B. amore captus erga puellam F. eiusdem civitatis, patefecit eidem puellae animum suum, idest eam in uxorem ducendi. Repulsam haud obtinuit ab ea; ideoque per nonnullos annos mutuo amori indulserunt. Ne autem in posterum eorum animi aliqua dubitatione perturbarentur, die 3 ianuarii anni 1869, ambo privata syngrapha matrimonium se effecturas sibi invicem promiserunt. Promisit iuvenis B. obligationem impleturum quando munus publicum (impiego) obtinuisset, cuius reditibus vitam degere posset iuxta suam socialem conditionem; quod accepto habitum fuit a puella. Obtinuit revera quod Iuvenis cupiebat; ideoque pluribus prolixisque epistolis matrimonii spem in puella excitavit. Et eo res venit ut puella genitores de consensu exposceret pro ineundo matrimonio; illos certiores faciens de publico munere consequuto, deque eius menstruo emolumento sibi adsignato. Proindeque sub die 30 maii 1870 litteras testimoniales eius status liberi a Curia Episcopali C. obtinuit, et coram Parocho consensum praestitit ad matrimonium cum puella celebrandum. Verum quum puella longam conspiceret moram interponi, restaurandae domus ab ipsis incolendae gratia, quodam inconsiderato impetu percita fuit. Et mense iunio eiusdem anni amasio scripsit: si vis ab incepto desistere id facere poteris, quum nollem tibi sacrificium imponere, et potius parata sim id tolerare. Haec non ut serio scripta iuvenis habuit; sed potius ut matrimonii dies sollicitaretur. Hinc perdurante mora puellae scripsit: ne iterum in errorem decidam, nil tibi dico quoad tempus praecisum pro ineundo matrimonio, eo quod adhuc domus, per nos incolenda parum apta sit humiditatis causa.

Verum iuvenis amor defervescere interea visus est; eo quod ut matrimonium differret in medium protulit et suae rei familiaris angustias praeter alias relatas causas.

Interea temporis res eo pervenit ut frustra adlaboraretur ad reconciliandos animos; et iuvenis supplici libello Episcopum E. adiret, expostulans ut sponsalia inita inter ipsum et puellam F. dissoluta declararet. Puella id pernoscens apposito libello declaravit se contentam esse, ut quaestio ab Episcopo definiretur. Qua de re causa acta fuit, et pluries auditis rationibus invicem prolatis, mense martio 1872 sententiam puellae faventem Ordinarius protulit, eamque eo modo quo hodie fieri potest, iuveni notificavi!.

Iuvenis quamvis commonefactus siluit usque ad diem 4 decembris 1873, cum regularem apud S. C. Congregationem appellationem interposuit, ut inimica sententia re vocaretur. Ordinarius *de sua sententia et voto* requisitus, retulit causam in rem iudicatam abiisse, et licet de eius merito iterum disseri ac disceptari velit, putavit sponsalia adhuc existere. Verumtamen cum coacta matrimonia difficilem exitum habere soleant, hinc censuit, ut compensationis titulo congrua dos puellae adsignaretur.

Disceptatio synoptica.

Quilibet introspiciat adfuisse duplicem in themate enodandam quaestionem: idest unam de appellationis peremptione [1]; alteram vero de causa principe.

EA QUAE PRO APPELLATIONIS PEREMPTIONE FACIUNT. Observatum ex officio fuit indubii iuris esse sententias definitive latas et non appellatas lapsu decem dierum ab earum prolatione in res iudicatas abire: adeo ut postea retractari non possint, et contradicere volentes haud audiantur. Ita haberi clare decisum in *Auth. de appellat.*

[1] Quoad appellationis peremptionem vide Vol. VIII, pag. 606, in causa ibi relata ***Officii funeris.***

et intra quae tempora; et can. anteriorem **2,** q. **6,** ubi revocato biduo vel triduo antiquitus ad appellandum concesso, *sancitur omnes appellationes posse intra decem dierum spatium, a recitatione sententiae numerandorum iudicibus ab iis quorum interest, offerri.* Cui concinere *Cap. CWm inter 13 et cap. quod ad consultationem 5 de sentent, et reiud.* in quo posteriori loco Pontificem sic loquutum fuisse : *Cum post decem dierum spatium sententiam in auctoritatem rei transeat iudicatae, qui ad provocationis subsidium intra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegavit, cum per hoc videatur per interpretationem iuris latae sententiae paruisse.*

Ast esse in facto iuvenem nedum per decem dies, sed longo tempore siluisse post sententiae recitationem, ex quo clare patere sibi appellandi aditum sustulisse ac proinde amplius audiri non posse. Id satis aperte demonstraste etiam Ordinarium in suis informatoriis litteris.

EA QUAE CONTRA APPELLATIONIS PEREMPTIONEM PROSTANT.

Ex adverso autem notatum fuit huiusmodi causam haud iuridice, idest servata forma iudicii coram Episcopo actam fuisse; sed de plano, idest iudiciario ritu, ac forma remissa. Ideoque minime curandum esse si intra decem dies a recitatione sententiae appellatum fuerit; eiusmodi enim tempus servandum esse de rigore iuris, qui a themate abfuit, ac proinde interpositam appellationem servandam fuisse.

EA QUAE IUVENI FAVENT QUOAD QUAESTIONEM PRINCIPEM.

His quoad incidentem quaestionem praenotatis, ventum est ad quaestionem principem, et iuvenem in sui favorem haec protulisse constat. Esse principium (quod a nemine in dubium revocari posset) causam nempe, per quam sponsalium contractus vitam habent, quae est partium mutuus consensus, posse etiam eosdem contractus dissolvere. Iuxta illud: *omnis res per quascumque nascitur causas per easdem et dissolvitur;* et concordat *lex*

Nihil **35,** *ff. de Regni. Iur.* - ibi : *Nihil tam naturale est quam, eo genere quidquam dissolvi, quo colligatum est.* Ideoque mutuo puberum consensu dissolvi posse Sponsalia rite contracta, imo etiam iurata certum est apud Canonistas.

Ast in themate haberi ex utraque parte mutuum consensum, quemlibet conspicere. Ex parte enim puellae id ex illius scriptis facile erui. Die 23 martii 1871, oblita quod mora ad contrahendum matrimonium oriebatur a purificatione conditionis in principio appositae, dubiis et suspicionibus indulsit. Proindeque Epistolam iuveni dedit, in qua, praeter alia, edicebat : « si promisisti, tamen non es ligatus; tuque liber, et contentus fies, aliamque ducere in uxorem poteris, quae te felicem reddens, tibi magnam afferat dotem, ceu tuus frater fecit ». Quae verba, ait ille, bene ponderata nil aliud sonare quam : promissio quaedam te mihi obstrinxit, sed de facto haud matrimonii vinculo ligaris : proindeque eiusmodi promissio proiiciatur, tuque aliam in uxorem ducere poteris.

Ast aliam ducere nequire iuvenem, nisi puella serio iura sua remisisset. Neque haberi haec posse ceu levitatis actum, vel uti minas pro futuro; nam probe noverat illa esse amasii intentionem a nuptiis recedendi quatenus iterum verba eiusmodi ab ea replicarentur; quapropter, ista ratione, illam scienter recessisse a matrimoniali promissione dicendum est. Haud fuisse minas quae futurum respicerent tempus, ab eo colligi quod puella ipsa existimavit uti praesentem promissionis resolutionem his verbis : « certe nunc parentes tui sunt contenti, quia scopum con**ci** sequuti sunt suum, idest matrimonii desertionem ».

Assensui puellae ad dissolvendum nuptiarum contractum accessisse et iuvenis consensum elucet ex dictis istius : ((si tu me derelinquis, scripsit ad illam, amplius « non ero tuus ». Ex quibus dictis clare colligi iuvenis assensum *conditionatum* fiasse quoad contractus resolutio-

nem. Ast puellam iuvenem dereliquisse clarius patere non posse ex epistolio relato. Ergo accessisse et iuvenis consensum pro eiusmodi resolutione patere, dum puella ipsa purificasset conditionem quam amasius posuerat.

EA QUAE PUELLAE FAVENT QUOAD QUAESTIONEM PRINCIPEM. Adversus ea quae hucusque relata fuere animadversum tamen fuit contractum sponsalitium pleno in suo robore manere. Etenim iuvenem officium Secretarii communalis assumentem, *facto suo* satis demonstrasse impletam fuisse conditionem sponsalitio contractui adiectam; idque etiam patere nedum ex uteris ad puellam eiusque patrem missis, verum etiam ex eo quod consensum expoposcerit a suis ad nuptias contrahendas, nec non ex actu consensus coram Parocho C. praestiti, ut matrimonium tandem aliquando celebrari valeret. Hinc purificata conditione, puram eius extitisse obligationem ad monitum *leg. ii, § i, ff. qui potior, in pig. et in leg.* **7,** *re contrah. empt.* - ibi : *Cum enim semel conditio existit, perinde habetur ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset.* Quamobrem iuvenem haud dubie obstringi obligationi parere ne fedifragi labem incurrat. Idque ius naturae, id ius civile, id et ius Canonicum iubere *cap. 4, de pactis* - ibi : *Studiose agendum est, ut ea, quae promittuntur, opere compleantur.*

Obiici hic posse obligationem huiusmodi evanuisse, mutuo accedente partium consensu; eoquod nil tam naturale sit quam eodem genere quidquam dissolvi, quo colligatum est, *leg. 35, ff. de regni. iur.* et omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem et dissolvitur. Sed frustra haec obiecta fuisse videntur, quia in themate id verificatum dici nequit; nam si ex una parte iuvenis affirmavit, ex altera vero puella negavit suum consensum intercessisse ut ab imposita obligatione libere recedi valeret. Re sane vera ut tuto affirmari possit consensum puellae accessisse ad sponsalium dissolutionem, oporteret

ut consensus hic qui sponsalia resolvisse dicitur, eadem haberet requisita illius consensus qui ligavit; quandoquidem *modus observatus in concedendo debet quoque observari in tollendo. . . . et actus resolutio est eiusdem naturae, cuius constructio* Grat. *Discept, for. cap.* ***168,*** *n.* ***3.*** Quod iure ac merito ita constitutum videtur, siquidem *iisdem regulis, quibus contractus etiam distractus continetur; nam etiam distractus mutuo consensu factus conventionem et obligationem includit* ad tradita per Schmalzgrueber *ius Eccles, universal,* p. I, tom. 2, num. 38, *de for. comp.* Itaque cum ad constituendum contractum sponsalitium necesse sit ut interveniat consensus *verus, serius, deliberatus, ac mutuus* Reifíenst. *de Spons. tom.* ***1,*** *num.* ***5*** *et seq.* sic ad illum resolvendum oportet, ut accedat contrahentium consensus verus, serius, deliberatus, ac mutuus.

Ast si puellae expressiones, ex eius litteris decerptae, ad strictum revocentur examen, nullimode ex illis erui posse consensum eiusmodi qualitates praeseferentem. Nemini enim in mentem umquam, subire posse, puellam, quae tot annos expectavit ad finem contrahendi matrimonium, serio ac deliberato animo eiusmodi verba protulisse! Et insuper eamdem, aequo animo, valedixisse iuveni quem tanto amore prosequuta est per longissimum temporis spatium! Quare, ut alias observatum fuit, ea verba adhibita fuisse a puella censendum esse, ad impatientem animum suum demonstrandum, qui diu expectare haud poterat, et ideo potius ad sollicitandum quam ad matrimonium destruendum prolata et scripta fuisse credendum.

Plura docte ac sagaci interpretatione ab Ordinario in sua informatione dicta sunt ut ostenderet, haud interfuisse in themate *verum, serium, deliberatum et mutuum* consensum ad contractum sponsalium destruendum. Quod ut faceret solerti analysi cribravit puellae verba in

epistolis ad amasium relata. Ex quibus deduxit, expressiones eiusmodi sicuti non sufficerent ad sponsalia constituenda, ita ad eadem dissolvenda fuisse imparia.

Hisce, aliisque pro utraque parte expositis, EE. PP. Cardinalium scientiae ac in iure canonico peritiae proposita fuere duo enodanda

Dubia.

An constet de peremptione appellationis in casu.

Et quatenus negative.

II. *An sententia Episcopi F. sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii die 11 decembris 1875, causa cognita, respondere censuit :

Ad primum *Affirmative.*
Ad secundum *Provisum in primo.*

EX QUIBUS COLLIGES :

I. Sententias definitive latas et non appellatas, lapsu decem dierum ab earum prolatione, transire in res iudicatas \

II. In themate patere non adfuisse appellationi locum eo quod longius a iare concesso intercesserit tempus; ideoque appellandi aditum praeclusum fuisse.

III. Ut rite sponsalia dissolvi queant in consensu, pro eorum resolutione, adesse debere requisita eadem quae fuerunt in consensu qui ligavit.

IV. Nam modum observatum in concedendo observari quoque debere in tollendo, et *contractus* iisdem regulis continetur, quibus *distractus.*

[1] Vid. Vol. VIII, pag. 613 quoad illationes ibi deductas, et quoad earum annotationes.

V. Itaque cum ad sponsalia rite contrahenda adesse debeat consensus *verus, serius, deliberatus* ac *mutuus;* sic ad ea resolvenda eadem adiuncta adesse oportere.

VI. In themate adfuisse puellae consensum his comitatum adiunctis clara et ineluctabili ratione haud probatum fuisse \

ANNUAE PRAESTATIONIS.

Sess. 21, Cap. 4, de Reform.

Die 24 aprilis 1875 et 5 februarii 1876.

Compendium facti. Anno 1712 a paroecia S. Donati dismembrata est terra V. et Ecclesia S. Nicolai in eadem terra existens ad paroeciae honorem evecta est. Parocho Matricis Ecclesiae S. Donati staria sex frumenti quotannis tribuerat Parochus S. Nicolai usque ad annum 1840, quo cum quaestio exorta esset de frumenti praestandi

[1] Hinc Ordinarii sententia, puellae favorabilis, in suo robore est; et sponsalibus sibi invicem devicti sponsi permanent. Ideoque ex iure communi et ex Tridentino in Ordinarii potestate est renuentem, absque legitima causa, compellere ad matrimonium contrahendum, propter iniustitiam quam committit in materia gravi sub peccato mortali. Et huius facti ratio universalis est, quia Iudex tenetur, ex officio, compellere ad reddendum unicuique quod suum est, vel ex iustitia illi est debitum. Quamvis autem compellatur ad contrahendum etiam qui promisit *simpliciter;* tamen Ecclesia magis studiose compellit eum qui per iuramentum sponsalia firmavit; propter maius vinculum religionis adiectum (Sánchez, De *matrim.*, lib. I, disp. 99, num. 4). Sive autem iurata sive non iurata sponsalia fuerint, Iudex potest ac debet, post *canonicam admonitionem,* censura excommunicationis cogere ad contrahendum qui, absque legitima causa, fidem sponsalium implere recusat. Ast quid aget Iudex quatenus, post latam sententiam excommunicationis, videat sponsum aut sponsam pertinacem manere? Meminerit Iudex (observat Sánchez, *De matrim.,* disp. 29, n. 7) Ecclesiae compulsionem adhiberi ad liberum consensum eliciendum, non ut quis invitus ad matrimonium adigatur. Ideoque Ecclesia cogit compulsione non praecisa, sed moderata, ad modum medicinae; eoquod applicans excommunicationem vult ut renuens a peccato exeat, iuxta cap. *Novit ille, de iudic,* (ibi): « *Nullus qui sit sanae mentis ignorat, quin ad officium nostrum spectet de quocumque mortali peccato corrigere quemlibet christianum, et si correptionem contempserit, per distribu-*

quantitate, adprobante in actu Visitationis Archiepiscopo per transactionem inter utrumque Parochum initam statutum est: imposterum Parocho S. Nicolai liberum futurum, vel frumentum vel ducata quinque exhibere. Verum is qui praestationi religiose satisfecerat, anno 1872 e vestigio destitit: ideoque Parochus S. Donati ad S. Concilii Congregationem provocavit, ut morosus ad officium suum revocaretur.

Rogatus de more Archiepiscopus S. retulit: S. Nicolai Parochum ideo praestationem annuam inficiari, quia documento originario dismembrationis detecto, nihil de frumenti praestatione cautum fuisse invenit.

Disceptatio synoptica.

DEDUCTIONES PAROCHI S. DONATI. In possessorio et petitorio iudicio ius suum praevalere debere contendebat ipse. In possessorio haberi quod ab anno 1712 ad praesens Parochus S. Nicolai petitam praestationem persolvent, ideoque se in pacifica iuris sui possessione versari. Hoc autem unicum esse iudicium hac in causa instruendum, quia cum res sit de antiqua possessione sibi ab antecessore relicta una cum parochiali praebenda, non de re aliqua vindicanda sed de possessione retinenda quaestio est instruenda.

In petitorio opitulari sibi Archiepiscopi S. decretum latum anno 1840 in actu visitationis, cum non de prae-

tionem ecclesiasticam coercere ». Quapropter pertinaces sponsos ut absolvat Iudex, etiamsi id non petierint, oportet.

Quaeri etiam posset: estne in Iudicis potestate condemnare ad dandam mulieri congruam dotem sponsum qui obstinato corde censuras sustinuit, et invitus etiam absolvi expectavit? Si dos, responderi posse videtur, solvi deberet in poenam, aliquis induci posset ad matrimonium contrahendum contra suam voluntatem, et quodammodo coacte, scilicet illud inire contra expressam dispositionem text. cap. ***Gemma*** 29, ibi: « ***Cum itaque libera matrimonia esse debeant, et ideo talis stipulatio, propter*** poenae interpositionem ***sit merito improbanda: mandamus quatenus si est ita ut... ab extorsione praedictae poenae desistat ecclesiastica censura compellas ».***

statione in genere, sed de frumenti praestandi quantitate inter utrumque parochum contentio exardesceret. Tunc enim locum habuisse formalem transactionem, omnibus requisitis praeditam, et a legitima auctoritate confir matam.

Iamvero transactionem rite expletam nullo pacto rescindi posse ex *L. Cum te* ***5*** *Cod. de transad., L. postquam Uti 4, Cod. de Pactis.* Immo talem fuisse eam transactionem quae ne interveniente quidem Principis Rescripto revocari posset *L. Causas* ***16*** *Cod. de Transad.* Quare etiamsi nullum praecedens ius sibi praesto fuisset ad huiusmodi praestationem exigendam, transactionem hanc satis futuram. Nec obesse instrumenta noviter reperta; textum namque occurrere expressum in *L. sub praetextu* ***19*** *Cod. de Transad,* quo statuitur « *Sub praetextu instrumenti post reperti, transactionem bona fide finitam rescindi iura non patiuntur* » cui consonat *L. sub praetextu* ***29*** *Cod. eod. tit.* quae habet a *Sub praetextu specierum post repertarum, generali transactione finita rescindi prohibent iura » et Cap. Sicut grave L. de transad.*

His accedere in facto eum ipsum Parochum S. Nicolai qui modo praestationem inficiatur, syngrapha propria manu exarata Parochi S. Donati iura recognovisse anno 1872. In hac enim syngrapha actualem S. Nicolai Parochum primo loco se debitorem profiteri erga Parochum S. Donati ob tributum non solutum, deinde nuncium mittere cuilibet in contrarium exceptioni, ac demum eidem Parocho S. Donati iura reservare pro currentis anni praestatione. Neminem vero latere quanti in iudiciis facienda sit rei conventi confessio, contra quam non licet insurgere, nisi evidentissimis argumentis ostendatur magnum ac invincibilem facti errorem confitentis mentem possedisse.

Sed etiamsi haec argumenta nutarent, sibi sufficere, quod etsi Parocho S. Nicolai aliqua ratio faveret, ea tamen praescriptione perempta ac sublata dici debeat. Id

adversarium vidisse, ideoque totum esse ut praescriptionem declinet ex actuum frequentiae, temporis diuturnitatis, ac iusti tituli defectu. Ast actuum frequentiam ostendi ex eo quod singulis annis praestatio pacifice persoluta est, eamque confirmare vel ipsam controversiam anni 1840, qua non de iure ad praestationem exigendam, sed de ipsius praestationis quantitate certatum est. Ad temporis diuturnitatem spatium sufficere annorum quadraginta quo res vel immobiles Ecclesiarum praescribuntur, iis exceptis, quae ad Ecclesiam Romanam pertinent : *Cap. de quarta 4 Cap. ad aures 6, Cap. illud autem 8 et Cap. quia iudicante 9 de Praescriptionibus.* Iamvero ab anno 1712 ad nostra usque tempora centum sexaginta tres annos numerari, qui longissimi temporis praescriptionem exhibent.

Hoc diuturnissimae solutionis factum et iustam tituli existentiam demonstrare: intelligi enim nequiret quomodo a dismembrationis tempore Parochus S. Nicolai tributum annuum constanter exhibuerit, nisi titulus et obligatio aliqua admittatur. Sed his opus non esse cum longissimi temporis praescriptio meliorem de mundo titulum suppleat.

Contra haec nihil facere argumentum ex decreto dismembrationis anni 1712 ex adverso desumptum : scilicet ex eo quod populo V. impositum fuerit ut cereum quotannis Ecclesiae matrici offerret: ac insuper Parocho, S. Donati tunc temporis Thomae Petroni, quoad viveret, scutata annua duodecim rependeret, et nihil de annua frumenti praestatione dictum et dispositum fuerit. Etenim se annua scutata duodecim minime repetere, quae Parocho Petroni vita functo cessare reapse debuerunt: sed frumentum, quod quotannis, constanter, nemine contradicente solutum est. Quamobrem incassum dismembrationis decretum ex adverso proferri.

ARGUMENTA PAROCHI S. NICOLAI. Aiebat ipse, in peragenda dismembratione Ecclesiae S. Nicolai ab Ecclesia S. Donati, apposito decreto utriusque entis iura formiter definita fuisse. Ex decreto erui duplex filiali Ecclesiae onus fuisse adiectum : alterum temporaneum, scilicet scutatorum duodecim praestationem quoad Parochus Petroni viveret; perpetuum alterum, hoc est oblationem cerei unius librae quotannis in festo S. Donati explendam. His exceptis oneribus reliqua omnia bona, reditus et emolumenta Ecclesiae S. Nicolai, ad eiusdem Ecclesiae Parochum pertinere. Ergo annuam frumenti praestationem quam Parochus S. Donati sibi debitam contendit, commentitiam esse recensendam. Etenim si adversa sententia admitteretur, triplex onus filiali Ecclesiae fuisset impositum; hoc autem neque iuri neque facto consonare.

Iuris demonstrationem aggrediens, afferebat ea quae tradit *Ferraris Verbo dismembrationis Num. 21.* In dis-
<(membratione Ecclesiae Parochialis reservandus est ca-
ii non, seu recognitio aliqua facienda Ecclesiae matrici
<(v. g. quod illi solvatur census annuus moderate arbitrio
« Episcopi taxandus, vel celebratio Missae solemnis can-
« tandae in Ecclesia noviter erecta a Rectore matricis in
« die Sancti Titularis, vel quod Curati pro tempore una
« cum Parochianis novae Parochiae semel in anno acce-
« dant ad Ecclesiam Matricem, et Cereum offerant ». Ex hoc autem arguebat unam vel alteram ex his recognitionibus favore Matricis Ecclesiae constitui solere, non triplex onus et quidem grave atque immodicum. Ergo tenendum esse vel Archiepiscopum triplicem praestationem imponere noluisse, vel etiamsi voluerit, potestatis suae limites excessisse.

Huiusmodi argumentum factis confirmari. Notum namque esse post dismembrationem Ecclesiae V. ab eadem S. Donati oppidum fuisse pariter dismembratum : et quamvis haec avulsio, utpote posterior, gravius Matrici

vulnus intulisset, candelae unius librae oblatio tantum praescripta est. Itaque ex analogiae legibus excludi methodum diversam onera imponendi.

Iamvero similem oneris impositionem, et ab Ecclesiae S. Donati conditione ostendi: quae, cum florentissima semper fuerit, haud egebat copiosa praestatione Ecclesiae dismembratae, cuius reditus vix honestae Parochi sustentationi sufficerent.

Ex his cum constaret in actu dismembrationis de frumenti praestatione nec mentionem incidisse, prosequebatur, videndum esse num ea quae posterius inducta fuerunt, primitivam dismembrationis legem immutare potuerint. Atqui nihil solemnius vel antiquius esse quam dimetiri onera beneficiorum ex legibus et instrumentis fundationum : neque Episcopis licere etiam in actu S. Visitationis, leges beneficiorum aliquo modo variare Fagnan. *in Cap. concurrente num. 24 et seqq. de Cler. non resid.;* Barbosa *ad Conc. Trid, Sess.* ***25,*** *Cap.* ***5,*** *num.* ***7;*** Garz, *de benef par. 7, Cap.* ***1,*** *num.* ***12;*** Riccius *in prax. Iur Eccl. par. 4, resp.* ***462,*** *num.* ***2;*** Monacali. *Formul Tom.* ***2,*** *tit.* ***15,*** *ad form.* ***1,*** *num.* ***29;*** *S. C. C. in Verulana 12 sept.* ***1760*** *et in Reatina* ***14*** *aprilis* ***1832.***

Nec plus valere transactionem ex adverso prolatam quae anno 1840 inter utrumque Parochum intercessit. Etenim fundationis leges partium placitis immutari non posse patet ex *Comaclen. il iulii* ***1818*** et ex *Mutinen.* ***23*** *novembris* ***1833.***

Itaque huiusmodi quaestionem nec proponendam esse, statim ac decretum dismembrationis legesque in eo appositae quae ignorabantur omnino, in lucem prodierunt. Praeterea praescriptionem excludi, tum quia deest temporis diuturnitas quae innititur verbis in causam propriam scriptis anno 1817 a Plebano S. Donati : tum etiam quia deest iustus titulus. Excepto namque dismembrationis actu, nullus alius titulus posteriori qui pariter in

casu desideratur iustus esse valet : tum denique deest scientia Parochi S. Nicolai. Pro certo enim teneri posse, quod si Parochi S. Nicolai dismembrationis decretum novissent, nunquam frumenti praestationem persolvissent. Quanti autem in huiusmodi quaestionibus facienda sit ignorantia erui ex Reiffenst. ***1*** *Decret, tit. 4,* ***§ 5,*** *num.* ***25;*** S. C. C. *in Interamnen. Optionis 14 augusti* ***1824*** et in *Verulana Stalli* ***20*** *decembris* ***1823,*** *§ Negant.* « Consuetudo « ex errore promanans nullius est roboris, quia errantis « nullus est consensus ».

Hisce argumentis utrimque expositis, sequens oblatum est dirimendum.

Dubium.

An constet de iure annuae praestationis favore Plebani S. Donati in casu.

RESOLUTIO. S. Congregatio causa cognita, die 24 aprilis 1875 respondere censuit: *Affirmative.*

Novae audientiae beneficium a Parocho S. Nicolai imploratomi est, et causa iterum proposita die 5 februarii 1.875 rescriptum prodiit : *In decisis et amplius.*

EXINDE INFERRE LICEBIT :

I. Cum in possessorio de re aliqua disputatur, sufficere ut de facto demonstretur possessionem rei penes possidentem reapse existere.

II. Transactio formalis bona fide finita nullo pacto rescindi potest.

III. Transactio sustinetur etiamsi postea instrumentum reperiatur, quod si antea notum fuisset, transactionem locum non habituram fuisse pro certo teneri potest.

IURIS SUFFRAGANDI.

Die 11 decembris 1875.

Ordinarius A. supplici libello diei 24 februarii praedicti anni S. Congregationi exposuit :

« Capitulum hoc meum vi iurispatronatus activi col-
ie laturum est duo canonicalia beneficia per votationem
« faciendam super quotquot, schedarum methodo, propo-
<(nantur. Quum unus e Canonicis vocem activam haben-
« tibus expetat unum e dictis Canonicatibus, mente et
((consilio convertendae in meliorem angustae conditionis
<(Canonicatus, quo hodie fruitur, ipseque iam ab aliquibus
« Capitularibus ad hoc ipsum proponatur per memoratas
i< Schedas, dubium exurgit, utrum ipse dum se abstinebit
((a dando suffragio, quando votatio seipsum respexerit,
<(teneatur abstinere etiam toties quoties alii votationi
« subiiciuntur ». Ut omnia igitur rite, legitimeque procedant ad tramites sacrorum Canonum in hac perficienda electione, EE. PP. exorantur ut propositum dubium diluere dignentur.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE IURI VOTATIONIS FAVENT. EX officio imprimis observatum est solutionem eiusmodi controversiae pendere potuisse vel a Constitutionibus Capitularibus, vel a consuetudine, vel tandem a iuris communis dispositione. Attamen a Constitutionibus Capituli nil erui posse, dum ipsae de hac re silere videantur. Duplici de causa inutiliter recurri ad observantiam : tum quia de ipsa duo tantum a contradictoribus adducerentur exempla ; tum quia pugnare ipsa visa est cum aperta iuris dispositione, ideoque esset transgressio. Rota *coram Falconerio decis. 58, n. 15 vers, tum etiam quia tit. de iurepatr.*

Quoad ius commune autem certum esse atque in illo receptum, provisos de Canonicatibus, eo ipso quo illorum possessionem assequuti sunt, habere intentionem in ipso iure fundatam votandi in electionibus, aliisque actibus capitularibus. Etenim cum sint veluti *domini fructuum,* consequenter etiam domini iuris eligendi, quod in eorum fructu est, ad tradita per text. in cap. *In Genesi, de elect. vers, nec praemissa* et in cap. *Pro illorum* in fine *de Praebenda* Gloss, in cap. *Cum M. de constit,* in verb. *recepe-runt* et in verb. *ultra numerum<;* Fagnan. in cap. *Cum M.* recit. *num* ***9,*** Lotter. *de re benef. lib.* ***1,*** *q.* ***15,*** *num.* ***25;*** Barbosa *de Canon. cap.* ***37,*** *n. i; S. C. Congr. in Senen. Vocis in Capitulo* 27 februarii 1708, et in *Pisana electionis* 29 septembris 1818 § *Porro.* Quam iuris assistentiam generaliter procedentem in omnibus, et quibuscumque actibus capitularibus, limitari haud potuisse in themate, prohibendo Canonico ad vacantem praebendam a sociis praesentato, ut abstineat a suffragio ferendo, toties quoties alii concurrentes votationi subiiciantur. Cum id nulla lege, sive speciali, sive generali sit prohibitum, ideoque visum est admittendum fuisse; quia in materia prohibitiva illud censetur permissum quod non est expresse prohibitum iuxta dispositionem textus in lege *Necnon § Quod vis ff. ex quib. caus. maior.;* Gloss, in cap. *Ex litteris de Iurepatr.* et in cap. *Inter corporalia de translat. Episc.;* Lambertini *de lurep. lib.* ***2,1,*** *q.* ***3,*** *art.* ***12,*** *num.* ***10,*** *vers. Hanc quaestionem.*

Nullius autem fore valoris suspicionem probabilem, quod Canonicus ad suum suffragium ferendum moveri possit potius ex suipsius affectione, quam ex iustitia, proindeque a capitularibus comitiis arceri debeat; siquidem in iis quae iuris publici sunt, praesumi unumquemque moveri magis ex bono publico, quam ex causa privata, uti post Gloss, in cap. *Illud* vers, *ratio autem* huius legis docet Piton, *m discept. Eccles.* ***137,*** *num.* ***12.*** Hinc fit quod

ex iuris dispositione, Canonistarumque sententia pater non prohibetur praesentare filium ad Beneficium Iurispatronatus, seu votare pro illo in universitate ad quam pertinet ius praesentandi, ceu post Gloss, in cap. *Quia Cleric.* verb. *filii,* et in cap. 6 *Consuluit* verb. *propria auctoritate de iurepatr.;* tenent Lambert, *loc. citat.;* Vivian, *de iurepatr. lib.* ***6,*** *cap.* ***8,*** *n.* ***23;*** Piton, *loc. cit. num.* ***16.*** Itemque Canonicum in electionibus ratione naturalis affectionis haud prohiberi suffragium ferre pro fratre, ad tradita per Lambert, *loc. cit. q.* ***4,*** *art.* ***17,*** *num.* ***1;*** Pignat. *cons.* ***53,*** *num.* ***6,*** *tom.* ***6;*** S. Congr. Concilii in *Pisana* récit, et pariter Coadiutorem votare posse in Capitulis favore sui Coadiuti Innoc, in cap. finali *de Procurat.* Garz, *de Benef.* 4, cap, 5, n. 105. Ventriglia in *Praxi* p. 2, annot. 13, § unico, num. 60. Quapropter potiori ratione videri dicendum esse Canonicum in casu de quo agitur suffragium ferre posse quando alii concurrentes ad canonicatum, ad quem ipse fuit praesentatus, votationi subiiciantur. Etenim agitur de personis extraneis, agitur de voto, quod ex conscientia ferre debet, ac proinde praesumendum esse ipsum magis respicere velle bonum Ecclesiae, quam privatum interesse; praesertim si attendatur electionem non a suo voto pendere, sed ab electione capitulari, in qua omnes Canonici pari suffragio eligere debent.

Huic argumento maius accedere videri robur, si intrinsece perpendatur Capitularem, qui se videt eligi et nominari per alios, citra vitium ambitionis, in sui electionem consentire posse, accedendo aliorum votis, ac eorum numerum augere iuxta text. in cap. *Cum in iure, de elect.* - ibi: « Cum in iure peritus existas, *et infra.* « Primus tuae consultationis articulus continebat quod <(cuiusdam Ecclesiae decano defuncto, eiusdem loci ca-**ie** pitulum sub hac forma in septem ex ipsis Canonicis « compromisit: ut illum, quem ex se vel aliis de gremio « ipsius Ecclesiae omnes pariter, vel maior eorum pars

<(nominaret, idem Capitulum reciperet in Decanum. Unde <(cum unus ex illis septem a tribus ipsorum : et alius qui « non erat de numero eorumdem, a tribus aliis in deca- ((num fuerint nominati: requisisti uter eorum assumi de- « beat in Decanum. Super quo taliter respondemus, quod <(is qui de numero septem a tribus eorum dignoscitur « nominatus, iuxta compromissi tenorem, debet in Deca- <(num assumi, dummodo electioni de se factae consentiat, « et aliquod canonicum impedimentum non obsistat ». Ergo si nullimode a iure denegatur potestas Capitulari, ab aliis praesentato, votandi in sui favorem, a fortiori de- neganda non videretur facultas votandi in scrutinio alio- rum concurrentium ad idem beneficium.

EA QUAE CONTRA IUS VOTATIONIS PROSTARE VIDENTUR. At- tamen contra quae hucusque prolata fuere non defuisse plura rationum momenta observatum fuit. Etsi enim de iure communi nemo canonicorum privari possit iure fe- rendi suffragii, quod proprium est *canoniae,* id tamen ita intelligendum esse ut ius illud canonicis penitus auferri non liceat, secus autem ex parte tantum, nempe ut certis limitibus circumscribi possit ob probabilem causam, vel saltem ob suspicionem a iure non improbatam teste Pi- tonio *Discept. Eccl.* recit. *num. 30* ex Rota in *Hispalen. Iuris votandi* 26 iunii 1591, coram Orano, et decis. 20, p. 3, num. 2 *recent.* Nil vetat enim quempiam esse totius Capi- tuli membrum, et quibusdam tamen in casibus capitulari voce non frui, uti docent Garcías *de benef. p. 3, cap. 2, num. 372;* Lauren. *for. ben. vol. 1, quaest. 405, num. 4-* Hinc optimo iure a S. C. Congr. decretum fuisse, testatur Gavantus, Canonicos teneri ad se retrahendum a Capi- tulo, quando in ipso agatur de proprio ipsorum interesse. Audiatur sane Scarfant. *in lib. 4, tit. 4, num. 23* - ibi : ((Similiter Canonici de quorum speciali interesse in Ca- **ce** pitulo est agendum, proposito negotio debent se a loco « capitulari retrahere donec res fuerit discussa, ita fuit

« decretum a S. C. Congr. teste Gavanto ». Atqui in themate in comperto esse videtur omnino agi de speciali interesse canonici, qui quamvis a sociis sit praesentatus, tamen una cum aliis ad vacantem optat Canonicatum. Ergo arcendus esse videretur a Capitulo donec res discussa fuerit, etiam quoad alios concurrentes, ideoque a suffragio ferendo. Quod et recta ratio, et non pauca exempla suadere videntur. Monet enim illa iniquum esse in re propria iudicare, unde vulgare adagium : nemo iudex in causa propria. Sed* canonicus in casu de quo agitur concurrendo proprio voto in scrutinio aliorum, qui ad eumdem canonicatum, ad quem ipse optat, fuerunt praesentati, ut iudicium efformet, comparationem absque dubio inter se et alios instituere debet, et ita iudicium ferre in causa propria contra iuris dispositionem firmata in *L.* ***10,*** *ff. de iurisd., omn. iudic.* Ergo a suffragio ferendo repellenda esse videretur.

Urgent praeterea exempla. Sane si familiares et commensales Episcopi, quin imo et ipse Vicarius Generalis, quando causa respicit privatum, et particulare interesse ipsius Episcopi abstinere debeant a suffragio ferendo in Capitulo S. C. Concilii in *Mediolanen, ianuarii* ***1587*** et in *Pharen. Residentiae* ***28*** *aprilis* ***1674;*** Rota in *Hispalen. iuris votandi* ***4*** *februarii* ***1697*** coram Caprara, potiore iure excludendus esse videretur Canonicus in themate a iure ferendi suffragia, praesertim cum agatur de praesentatione suipsius ad beneficium ecclesiasticum. Haud recolere omittendum insuper est S. Pium V sua Constitutione quae incipit *Quanta* prohibuisse Episcopis ne Beneficia in eorum manibus resignata suis consanguineis aut familiaribus conferrent : facile enim contingere poterat, ut nimia affectio vel ex sanguine, vel ex familiaritate causam daret fraudibus in huiusmodi resignationibus, quae pararent viam minus rectae Beneficiorum collationi. Iam vero si id pro casibus illis fuit statutum, quanto magis

in praesenti controversia decernendum foret, cum Canonicus suo suffragio concurreret ad alios praesentatos excludendos et praesens adstaret in Capitulo? Profecto verendum esset ne ambitio fraudibus et circumventionibus daret locum, suo suffragio impedire posset ne rectum inter praesentatos iudicium efformare tur; quinimo alios suo voto excludendo sibi ipsi votum augeret, et ita suipsius praesentationem Quodammodo peragere videretur contra SS. Canonum statuta, praesertim in cap. *per nostras, de Iurepatr.*

Quibus omnibus accedere observantiam in comperto est; nam a morte fundatoris usque in praesens in duabus vacationibus quae contigerunt, quempiam e Capitularibus ad vacantem Canonicatum optantem vel abstinuisse a suffragio ferendo etiam in scrutinio aliorum concurrentium, vel ab interveniendo capitularibus comitiis; quam observantiam, quippe quae secundum ius visa fuerit, quanti ponderis fuisse neminem latere.

His rationum momentis nil subtrahere visum est argumentum deductum ex cap. *Cum in iure, de elect.* Docent enim DD. teste Pirhing in *Ius Canon.* lib. 1, tit. 6, § 3, num. 181, dispositionem huius capitis procedere, quando scrutinium fit *palam,* non vero quando electio fit per scrutinium secretum. Ad rem Rota *coram Clem. XIII loc. cit. num.* **9** *et seq.* « Nec adversari Dominis visa est di-
ce spositio text. in cap. *Cum in iure de elect.* praeseferens
e< quod vox electi quandoque augeat numerum eligentium;
« quandoquidem id procedit ubi electio fit per compro-
ee missum sive alio simili modo palam et per publica vota;
ee secus vero ubi electio fit per scrutinium secretum. In
e< primo siquidem casu, quando capitularis se videt eligi,
e< ac nominari per alios, quia non vocatur a seipso, sed a
ee sociis, citra vitium ambitionis suae electioni valet con-
ce sentire iuxta dispositionem dicti textus in *cap. cum in*
ee *iure.* Secus vero in secundo casu, quia tunc nemo sei-

« psum in sua schedula potest nominare, ac eligere. Cum « enim scire nequeat an alii capitulares in eum concur- « rant, id non esset consentire electioni aliorum, sed sei- « psum ambitiöse eligere, nec ideo eius votum computa- ((tur, ut distinguendo docet *Gloss, in dicto cap. Cumana* ».

Frustra pariter obiectam fuisse putatum fuit resolutionem S. C. C. anni 1649 in causa Matheranen, et Acheruntina editam, et quam retulit Card. de Luca in *disc. 26 de Canonicis,* in qua declaratur valida electio Vicarii Capitularis in persona electi, qui ex 32 votantibus 17 retulerat, computato proprio voto. Primo quia inibi agebatur de secundo Scrutinio, in quo, uti docet recitatus auctor, qui videt se eligi, et per alios nominari, potest citra ambitionis votum suae electioni consentire. Secundo quia in casu non agebatur nec de vera electione, nec de praesentatione ad beneficium, sed de simplici deputatione ex notatis per eumdem; auctorem *loc. cit., sub n.* ***10*** - ibi: « Quo « vero ad secundum punctum procedebatur pariter cum « aequivoco magis claro adhibendo terminos *text. in cap. «Avaritiae de praeben. in sexto.* Licet enim reiecta opi- « nione Gemin. et Lambertin. receptum sit, sequendo opi- ((nionem Archidiaconi et Franchi, ac aliorum, ut dictae « decretalis dispositio procedat, nedum in Praelaturis, sed « etiam in inferioribus Beneficiis iuxta *decis. 6* Crescent. *« de Iurepatr.* Mantic. *decis.* ***231,*** *n.* ***3,*** *decis.* ***184,*** *n.* ***2,*** *p.* ***10*** ***u*** *recent,* cum aliis per Lotter. *lib.* ***1,*** *q.* ***13,*** *a n.* ***1*** *ad* ***13;*** « attamen id procedit quando agitur de actu, qui exigat « ad eius perfectionem auctoritatem superioris, ut est in « casu electionis, quae indiget confirmatione iuxta ea quae « habentur infra in *Monasterien Coadiutoriae disc. seq.* « Vel ubi agitur de praesentatione seu nominatione ad be- « neficium, unde necessaria sit institutio, seu provisio su- « perioris, et in his terminis loquuntur omnes auctoritates « quas desuper habemus. Secus autem in hac subiecta ma- -< teria in qua non agitur nec de vera electione, nec de

« praesentatione, sed agitur de simplici deputatione so-
ci nante in mandatum ».

Hisce ex utraque parte animadversis EE. Cardinalium prudentiae ac sapientiae decernere remissum fuit quonam responso esset dimittendum sequens

Dubium.

An Canonicus ad vacantem praebendam canonicalem a sociis praesentatus, dum se abstinet a dando suffragio, quando votatio ipsum respicit, teneatur etiam abstinere a ferendo suffragio in Capitulo toties quoties alii concurrentes votationi subiiciuntur in casu.

RESOLUTIO. S. Concilii Congr. die 11 decembris 1875, causa cognita, respondere censuit :

Affirmative.

EXINDE COLLIGES :

I. Ex iure communi indubium esse Canonicos haud privari posse iure ferendi suffragia, cum id proprium *canoniae* sit.

II. Quod tamen ex DD. ita esse intelligendum ut non liceat Canonicos eiusmodi iure totaliter despoliare ; quamvis fas sit ob aliquam suspicionem a iure non improbatam ius illud circumscribere intra certos limites, et quibusdam in casibus etiam voce capitulari frui nequeant Canonici.

III. Quapropter optimo iure alias a S. Concilii Congregatione decretum fuisse, canonicos, de quorum speciali negotio agebatur, se retrahere a loco capitulari debere, donec res discussa fuisset.

IV. Haud ambigi posse videtur in themate agi de peculiari interesse Canonici; quia ad vacantem praebendam una cum aliis praesentatis optat.

V. Praeter exempla analoga quae in canonica iurisprudentia habentur et quae adsertum confirmare videntur, id etiam rectam suadere rationem; quae iniquum esse dictitat ut quis iudex fiat in causa propria.

IV. Dubitari pariter non posse videtur id verificari in themate; dum Canonicus proprio voto in scrutinio aliorum (qui ad eamdem praebendam praesentati fuerunt) concurrens, comparationem inter se et alios instituat et iudicium efformet.

VII. Ex canonica iurisprudentia, inter alia exempla, colligi posse, familiares, commensales et Vicarium Generalem Episcopi abstineri debere a ferendo suffragio in causa quae peculiare eiusdem Episcopi interesse pertingat.

VIII. Pariter ex Constitutione *Quanta* S. Pii V Ordinarios nequire consanguineis et familiaribus suis conferre beneficia in suis manibus resignata, ne sanguis aut niamia affectio minus rectae collationis causam praebeant.

IX. Quapropter videri canonicum suffragia ferre posse in publica electione, quia se conspiciens per alios nominari, suae electioni accedere potest citra vitium ambitionis.

X. Id vero eidem denegari in electione *secreta:* quia cum ignoret an alii canonici in eram concurrant, videretur potius seipsum ambitiöse eligere, quam aliorum electioni consentire.

EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

EXEMPTIONIS [1]

Die 4 februarii 1876.

Compendium facti. Conservatorium in quadam Hetruriae nobili civitate extat, quod ad plurimarum e conspicuis familiis puellarum animum excolendum, apertum est. Eiusmodi moderantur Institutum foeminae *Oblatae,* quae etsi habitum induant religiosum, haud obstringun-

[1] **Recole causam** *Iurium parochialium* **relatam, Vol. VIII, p.** 5S8.

tur *clausura,* neque votorum solemnium professione. Anno 1829 ope et munificentia Serenissimi Principis eiusmodi aedificium exstructum fuit in Monasterio quod olim S. Benedicti filiae incolebant. Statim Conservatorii Moderatrices Regulamentum obtinuerunt, iuxta, quamdam legem civilem concinnatum; quae lex (cui nescitur an Apostolica confirmatio accesserit) *Conservatoriis* eiusmodi permulta tribuebat privilegia clausurae asceteriorum propria. Ordinario ipsi nulla inest iurisdictio super religiosa familia praeter Confessarii concessionem quolibet triennio. Summa rerum potitur laicus a civili auctoritate ad id deputatus. Inter Confessarium et Parochum S. Catharinae, intra cuius paroeciae limites Pius educationis locus erectus est, fortis exarsit quaestio quoad iura parochialia. Quaestio sic nata est. Confessarius aegro ferens animo quod Parochus longo temporis spatio in Conservatorio moratus, *A nimarum statum* perficeret et in maiori hebdomada aquam daret benedictam, ingrediens in interiorem partem eiusdem pii Loci, id impedire voluit. Proindeque moderatricibus imposuit, ut Parocho aquam daturo benedictam, haud ostium aperiretur, ceu factum est. Ex quo praevidens Ordinarius scandala oritura petiit instanter a S. C. E. et R. huius quaestionis resolutionem.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE IN SUI FAVOREM CONFESSARIUS PRODUXIT. Confessarius sua protuens iura super Conservatorum, autumavit illud eximi ab auctoritate parochi eo quia extractum fuerat a Principe et sub eius esset protectione iuxta Tridentinum *Sess. 22, cap. 8 de Reform. Episcopi etiam tamquam Sedis Apostolicae Delegati in casibus a iure concessis omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate quam inter vivos sint executor es: habeant ius visitandi hospitalia, collegia quaecumque ac confraternitates laicorum, etiam quas scholas, sive quocumque alio*

nomine vocant, NON TAMEN QUAE SUB REGUM IMMEDIATA PROTECTIONE SUNT. Insuper observavit Confessarius eiusmodi Conservatorium confundi nequire cum aliis mere laicalibus; sed aequiparandum esse aliis Conservatoriis, in quibus oleum infirmorum asservatur, et quibus Parochus est solus Confessarius ordinarius iuxta Ferraris V. *Monialis art. l, n. 61: Confessarius enim Monialium licet non vocetur parochus, cum ex officio curam habeat animarum, aeque ac si esset Parochus respectu saecularium.* Quoniam autem et confessarius pro religiosa illa familia ad triennium datur, ceu datur monasteriis strictae clausurae, ideo deduxit confessarium pro tempore esse debere illius Conservatorii parochum sicuti evenit in monialium professarum monasteriis. Argumenta eiusmodi fulcire conatus est generalibus regulis quae Hetruriae Conservatoria moderantur. Statuebatur enim in quadam lege, solum Confessarium uti parochum Conservatorii haberi debere, qui diebus festis et Dominicis Sancti Evangelii explicationem et post prandium catechismum perficeret; cui omnes adesse deberent.

Haec omnia a lege civili praestituta fuisse negari nequit, ait ille; verum apostolicam sanctionem eidem legi videtur accessisse ex facto Summorum Pontificum Pii VIII, et Gregorii XVI. Isti enim nil contra legem dixerunt quum, appositis Brevibus, concédèrent eidem Conservatorio perpetuum confessarium.

Haud esse arbitrariam legem istam, ex eo collegisse quod Conservatoriis cunctis illis regionis communis esset. Et id testimoniis virorum fide dignorum evincere adnisus est. Ut caetera omittamus, Vicarius Generalis Archidioecesis F. de sua sententia rogatus quoad duo Conservatoria eiusdem generis inibi existentia respondit, semper censuisse, Confessarium in omnibus Conservatoriis iurisdictione pollere parochiali, *exceptis matrimoniis et educandorum funeribus* ex Hetruriae consuetudine. Ex

quo Confessarius deduxit Parochum S. Catharinae abusive duas explevisse functiones mere parochiales, quum animarum statum perfecisset, et aquam dedisset benedictam.

Praeter autem generalem consuetudinem tradit in sui favorem praxim loci illius; eoquod eius praedecessores omnes adimpleverint parochiales functiones. Explanat enim Confessarius in Conservatorio Catechismum et Evangelium, admittit puellas educandas ad primam communionem, administrat Sacramenta confessionis, communionis, et olei sancti, et agonizantibus adsistit. Officium tandem exercet suum in Ecclesia publica in qua S. Chrismatis vas asservatur, quod directe accipitur ab Ecclesia Cathedrali.

Ex quo conclusit aspersionem aquae benedictae, et animarum statum vel non esse recensenda inter functiones parochiales, aut sibi vindicandum ius illa adimplendi; eoquod ceteras alias functiones parochiales impleat, ex adagio *plus in se continet quod est minus.*

Ad infirmandam consuetudinem quadragenariam in contrarium rem explicavit dicens id principium habuisse quando Vice-parochus S. Catharinae anno 1818 fuit etiam Conservatorii Confessarius. Ex quo tempore, cum confessarii, ut plurimum, essent etiam Cathedralis Dignitates, reliquerunt Parocho graves functiones benedicendi innumera cubicula, et scribendi centum puellarum nomina in parochialibus regestis. Ex aequivoco tamen legem destrui non posse. Sibi insuper haud nocere putavit nonnulla iura quae Parochus adhuc exercet, ut est ius peragendi proclamationes, et funerandi: quoad primum enim observavit puellas dimitti statim ac sponsalia contraxerint: quoad secundum autem dixit parocho tantum esse ius recipiendi cadavera ante portam Ecclesiae, neque posse in habitu parochiali ingredi in eandem Ecclesiam. Evincere tandem nisus est confessarius, Conservatorum

eiusmodi aequiparandum omnino esse Monasteriis in quibus vota solemnia habentur cum clausura.

EA QUAE PAROCHUS IN SUI DEFENSIONEM PRODUXIT. Parochus ex adverso sibi vindicavit in Conservatorio integram parochialem iurisdictionem; eoquod intra limites suae paroeciae comprehendatur. Cuique enim notum esse ait iurisprudentiae canonicum principium extare, quod Parochus certam habeat iurisdictionem, et propria iura parochialia super omnes habitantes intra suae paroeciae fines. *Decret, cap. i. Fraternitatem, de Sepult. Clementina Dudum § Verum eod. tit.* Barbosa *de officio Parochi par.* **3,** *cap.* **26,** *n.* **66.**

Quam iurisdictionem Parochi cessare posse tantum his in casibus vel si Institutum aliquod suapte natura aut per singulare exemptionis privilegium vel per consuetudinem centenariam ab ea subtrahatur, sed omnia concludenter probanda. Exemptionem eiusmodi tamen concessam fuisse tantum favore Ordinum Monasticorum a Gregorio Magno et ab eodem ita moderatam ut illi non subtraherentur omnino ab Episcoporum auctoritate. Berardi *Comment, in Ius Eccl. univ.* cap. V. *de auctoritate Episcoporum in Monachos aliosque Regulares: « Primus Gregorius Magnus qui in adolescentia monasticam vitam professus est, Episcoporum iurisdictionem in Monasteria amplissimam coercere coepit, non quidem illa ab eadem eximens, sed tantum cavens ne Episcopi potestatem suam ita exercerent ut solitariam Monachorum vitam turbarent. Siquidem cum nonnulli Episcopi frequens ad Monasteria ut plurimum extra urbes, et in sylvis sita accederent, sacra ibidem celebraturi, non sine magno Cleri, et populi conventu, unde Monachi a quieta oratione distrahebantur, salubriter constituit ne sacra solemnia per Episcopos apud Monachos celebrarentur can.* **3, 5, 6** *caus.* **18,** *qu.* **2** ». Progressu temporis exemptionem eamdem nedum sanctionem, sed et amplificationem recepisse elucet ex Triden-

tino *Sess. 24, cap. XI, de reform,* favore Ordinum strictae clausurae, qui etiam tria vota solemnia profiteantur, et approbata fuerint a Sede Apostolica, uti docet Gonzalez m cap. *ne nimia, de religiosis domibus* quoad iurium parochialium tutelam: « Ne in praeiudicium Parochialium <(Ecclesiarum nova construantur Monasteria cautum fuit « ne nova monasteria aedificentur, antiquave alias trans- « ferantur sine Romani Pontificis licentia ». Navarrum *Consult. 6, de Regular,* ostendere, iuxta Canonistarum theorias, censeri haud posse stricte regulares, ita ut ratione sui status frui exemptione queant, qui tria substantialia vota non emittant; ibi: *Iuris autem est quod nulla est, nec potest vere monacha et sanctimonialis, nisi quae tria substantialia vota in religione aliqua approbata a S. Sede Apostolica in manibus superioris ad id potestatem habentis emiserit. At multae sunt Oblatae monasteriis, quae praedicta tria vota non emittunt, et consequenter aliae mulieres sunt oblatae, aliae, Monachae.* Ex Auctore citato colligere fas esse magis quam diversitatem nominum sive monacharum sive Oblatarum, attendendam esse praedictorum requisitorum observantiam; ita ut, uno vel altero deficiente, exemptio cesset, et Episcopalis, nec non parochialis ordinaria iurisdictio subingrediatur. Berardi equidem docere cit. cap. strictam peragendam esse interpretationem Tridentini quoad eiusmodi exemptiones. *In Concilio Tridentino eam capiendam esse interpretationem, quae facile Episcopis faveat, ob facilem uniuscuiusque rei ad sua principia regressum.* Sacram C. Congregationem in *Anglonen. die 25 ianuarii 1874 § haec* sic oblatorum exemptionem limitasse, ibi : *Haec respiciunt exemptionem oblatorum a Iudice laico, sed in eo quod attinet ad eorum exemptionem a iurisdictione Dioecesani ponderanda est dispositio S. Concilii Tridentini Sess. 24, cap. 11, de Reform, et hac attenta aut in oblatis deest aliquod ex requisitis supra recensitis, aut*

omnia requisita concurrunt. Si deest aliquod ex requisitis oblati non assumunt privilegia Religionis, et sic non eximuntur a iurisdictione Ordinarii, etc.

Ex quibus exsurgere, liis applicatis maximis casui nostro, Conservatorum! de quo agitur, frui non posse exemptione, quae Ordinibus regularibus competit. Nam sola auctoritate civili Conservatoria illa originem habuisse, protegi et administrari; neque constare accessisse Apostolicam approbationem ad effectum ea eximendi a iurisdictione Ecclesiastica.

Haud unum vel alterum ex dictis requisitis sed omnia in themate deesse. Scitum est enim oblatas illas haud tribus obstringi votis, castitatis nempe paupertatis et obedentiae, ita ut earum status propior sit statui laicali, quam monachali; dum si vellent connubium inire possent etiam absque dispensatione. Insuper etsi vota quoque simplicia et temporanea, sive perpetua et solemnia nuncuparent, inutilia forent, quia clausura deest. Quamvis deinde dici possit clausura haud opus esse pro religiosa professione, tamen eam a SS. Canonibus imponi uti conditionem *sine qua non;* Bonifacius VIII *cap.* ***1*** *De statu Regul. in* ***6*** in sua constitutione *Periculoso* a Tridentino citata *Sess.* ***25,*** *cap. de Regularibus.* Superfluum insuper adiungere videri absque clausura nulla esse vota ipsa solemnia quae illam virtualiter supponunt. Ferraris, v. Moniales art. III, n. 6: *Quamvis clausura non contineatur formaliter in regula cuiuscumque Monialis, continetur tamen virtualiter sub tribus votis; S. Congr. Episcopor. in Zamoren.* ***7*** *februar.* ***1592*** *et signanter sub voto obedientiae. Eine Moniales profitentes hac conditione ut clausurae non obligentur, non sunt verae professae quia S. Pius V in Constit, incip. Circa pastoralis officii, dictas professiones irritat.*

Proindeque si Conservatorio egredi possunt oblatae istae sine auctoritatis ecclesiasticae licentia, si admini-

strator laicus et quivis alius ingredi possit, inferendum esse, institutum eiusmodi neque indolem aut characterem habere familiae religiosae, ita ut exemptione frui possit, quae Ordinibus monasticis conceditur, qui omnia possident requisita a sacris canonibus praestituta. Id autem familiae religiosae, de qua sermo est, haud competit suae conditionis natura, neque competere posse vi privilegii; dum ostendi nequeat ullum Breve Apostolicum id concedens. Neque dicere prodesse Conservatorum istud frui posse per extensionem privilegiis concessis aliis piis Institutis eiusdem generis : nam privilegia stricte interpretantur, et nominatim conceduntur. Emus Bizzarri in sua Collectanea pag. 478 in nota advertit in materia huic affini privilegia haud amplius concedi solere ad *instar* et per *communicationem: quia saepius contingit privilegia quae alicui instituto utilia sunt, aliis communicari ob peculiaria rerum adiuncta minime expediat.*

Haud tandem prodesse oblatis consuetudinem, aut praescriptionem allatam contra parochi iura; qui fundatam habet intentionem in Canonica iurisprudentia. Et omissis ceteris, certum est parochum S. Catharinae per quinquaginta annorum spatium duas implevisse functiones parochiales in interiori parte Instituti. Quod factum per se solum interrumpere quamlibet consuetudinem nedum centenariam, verum etiam immemorabilem ; quae ita clara et pacifica esse debet *ut nihil unquam contra eamdem actum, visum vel auditum fuerit in contrarium. Ad illam quippe destruendam sufficit unicus actus, etiam minimus et rumor in contrarium* (Constantin. *Vota Decis.* ***352,*** *n.* ***18*** *etc.).* Neque utiliter probari posse benedictionem domorum in Sabbato sancto, et animarum status compilationem haud privative pertinere ad parochum; nam id esset contra Canonistarum opinionem, quorum maximam pro praxi colligit Monac. *Form. prot. legale t. X, formul.* ***18,*** *n. 4, p.* ***299,*** ubi haec habet, quae sequuntur:

Verum hodie functiones privativae, quae ad parochos spectant, et quae in viridi observantia sunt ad pauca reducuntur: Funeralibus, S. Congr. Rituum apud Pignatel. *Consult.* ***73,*** *n.* ***110,*** *t.* ***8.*** *S. Congr. Concil, in Ebrodunen.* ***25*** *iunii* ***1695.*** Secundo *ad Benedictionem domorum in Sabbato Sancto.* Barbosa *de Parochis etc.* Tertio *ad perceptionem Decimarum, cap. Cum contingat, cap. Quoniam nobis, de Decim.* Quarto *ad administrationem Sacramenti Eucharistiae tempore Paschali Cap. Omnis utriusque Sexus, de poenit. et remiss.; et tempore infirmitatis etiam Canonicis Ecclesiae Cathedralis. S. C. Concil, in Narnièn.* ***26*** *sept.* ***1699.*** Quinto *ad retentionem clavis tabernaculi, et rerum quae ad eandem pertinent cap.* ***1,*** *de Cust. Euch.* Sexto *ad Benedictionem sponsarum, et Cadaverum defunctorum, antequam e domo caventur.* Cesana *op. mor. t.* ***2,*** *et verb. Benedictio n.* ***18.*** Septimo *ad publicationem matrimoniorum, excommunicationum, et Indulgentiarum. S. Congr. Episc, in Firmana* ***3*** *iulii* ***1615*** *in resp. ad* ***8.*** Ex quo colligere fas esse benedictionem domorum *privative* pertinere ad Parochum, et *implicite* definitum fuisse animarum statum a Parocho perfici debere, ceu medium quo cognoscere possit an fideles sibi commissi paschale praeceptum impleant nec ne. Concesso itaque parochum S. Catharinae duas exercuisse functiones, uti innuimus, cum his praeservare liquet etiam alia iurisdictionis parochialis propria.

Id non aliter evenire quum ei relinquatur *quarta funeraria* quia ista ratione recognoscitur uti verus et proprius Parochus defuncti etiam quoad alia iura parochialia.

His praestitutis, ius Parochi S. Catharinae tutum esse concludi; quia Conservatorium nec sua natura, neque ex Apostolico indulto exemptione fruitur. Proindeque ad eumdem omnia pertinere, minime vero ad Confessarium, ne parochialis iurisdictio imminutionem patiatur

ceu SS. Canones liquido innuunt. Decret. Can. 1, caus. 13. *Unumquemque ius proprium habere statuimus, ita videlicet ut nullus alterius paroeciae terminos, aut ius invadat, sed sit unusquisque suis terminis contentus.*

Praenotatis his, aliisque pro utraque parte, proposita fuere dirimenda infrascripta Dubia:

I. *An Oblatae Conservatomi S. Catharinae participent omnia privilegia monialium e clausura et ex votis solemnibus in casu.*

II. *An abusiva vocari possit et quatenus talis eliminari, favore Parochi S. Catharinae, consuetudo perficiendi status animarum et dandi aquam benedictam in Instituto occasione Paschatis in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Congr. Ep. et Reg. die 4 februarii anni 1870, causa cognita, respondere censuit:

Ad primum negative. Ad secundum nihil innovandum.

EXINDE COLLIGES :

I. Ex SS. Canonum iurisprudentia erui parochum ex iure communi certam habere iurisdictionem et propria iura super illos omnes qui intra limites suae paroeciae habitant.

II. Eximi tamen a iurisdictione parochi Ordines Monasticos per privilegium ipsis a SS. Canonibus concessum.

III. Haud tamen frui ex iure eiusmodi exemptionis privilegio omnes Ordines indiscriminatim; sed illos tantum qui tria nuncupant vota solemnia, clausura obstringuntur, et a S. Sede Apostolica approbationem consequuti fuerint.

IV. Ideoque uno vel altero ex his requisitis deficiente exemptionem deesse ex stricta Tridentini interpretatione quam super hoc negotio sequi oportet; ut res omnes

ad sua principia regressum habeant et Parochi et Episcopi plenam obtineant iurisdictionem in omnes subditos.

V. Religiosam familiam exemptione eiusmodi potiri vel suapte natura [1] vel per singulare privilegium a S. Sede Apostolica obtentum, vel per consuetudinem immemorabilem concludenter probatam.

VI. Oblatas, de quibus in themate, exemptionis privilegio haud frui posse videtur; quia omnibus destituuntur requisitis : cum vota solemnia non emittant, clausura non obstringantur, neque Apostolica approbatio intercesserit.

VII. Duabus functionibus, quas in Conservatorio exercuit Parochus, videri sibi praeservasse integram parochialem iudisdictionem ; eodem modo quo quis recognoscitur uti Parochus defuncti etiam quoad iura parochialia, cum eidem relinquatur *quarta funeraria.*

Quum nobis auctoritas semper veneranda sit; ideo, libenti animo, ad eius nutum declaramus S. Congregationem EE. et RR. haud suam facere doctrinam per nos relatam in deductionibus et notis pag. 53, 55 et 56, huius Vol. IX *(Ephemeridis moderatores).*

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM.

Feria II. die ***6*** *martii* ***1876.***

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdem-

[1] **Religiosa familia dici potest suapte natura esse exempta a paroeciali iurisdictione si subiaceat Religiosis virorum Ordinibus, et sub eadem regula vivat illorum qui eiusmodi gaudent privilegio, Certum est enim et illam frui posse dicta exemptione ob privilegiorum** *communicationem.*

que proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Eepublica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio apostolico vaticano die 6 martii 1876 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera.

Le Concile du Vatican, son histoire et ses conséquences politiques et religieuses, par E. DE PRESSENSÉ. - Paris 1872. Opus praedamnatum ex Regula II Indicis Trid.

La Genèse de l'humanité, par Louis JACOLLIOT. - Paris 1875.

O Brazil mystiftcando na questâo religiosa. Latine : *Brasilia in religiosa quaestione illusa.* - Rio de Janeiro 1875.

Der Cölibatszwang und dessen Aufhebung gewürdigt von Dr. JOH. FRIEDRICH von SCHULTE. Latine : *De coelibatu coacto et eius abrogatione, disceptatio;* Auctore D. IOANNE FRIDERICO DE SCHULTE. - Bonnae 1876. Opus praedamnatum ex Regula II Indicis Trid.

Der Mechanismus der vatikanischen Religion, von Dr. F. FRIEDRICH. Zweite Auflage. Latine: *Mechanisma religionis Vaticanae:* Auctore D. F. FRIEDRICH. 2 editio. - Bonnae 1876.

Dei doveri della donna. Pensieri di ADALGISA COSTA di Milano. - Roma, Cotta e compagno. Tipografia del Senato del Regno. - Decr. S. Off. die 16 febr. 1876.

Auctor Operis cui titulus: *Vanima Santissima di Gesù Cristo mostrata nella sua vera origine e grandezza. Contemplazioni dedicate agli amanti della medesima per* GIOVANNI BATTISTA PRITONI (Minore osservante e chiamato P. Pio da Bologna) prohib. Decr. 6 dec. 1875, laudabiliter se subiecit et Opus reprobavit.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco,

et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitori bus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus Sanctissimo D. N. PIO PAPAE IX per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, Sanctitas sua Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae, die 7 martii 1876.

ANTONIUS Card. DE LUCA, *Praef.*

Fr. HIERONYMUS PIUS SACCHERI, Ord. Praed.
S. Ind. Congreg, a Secretis.

L. © S.

Die 10 martii 1876 ego infrascriptus magister Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Philippus Ossani, *Mag. Cur s.*

EX 3. CONGREGATIONE SS. RITUUM

RIPANA. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Fr. Simeonis PMlippovich Sacerdotis professi Ordinis Minorum Sancti Francisci de observantia.

DECRETUM.

Instante R. Patre Fr. Bernardino a Cryptis Castri, Sacerdote Professo et Postulatore Generali Causarum Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantia, Emus et Rmus D. Card. Thomas Martinelli Ponens Causae Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Simonis Philippovich

praefati, sequens proposuit Dubium in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis, hodierna die ad Vaticanum habitis : *An sententia lata a Rmo Domino Episcopo Ripano super Cultu praefato Ven. Servo Dei nunquam exhibito, sive super paritione Decretis sa. me. Urbani Papae VIII sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?* Emi porro ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore, rescribere censuerunt : *Satis constare de paritione Decretis sa. me: Urbani Papae VIII.* Die 22 ianuarii 1876.

Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro PIO Papae IX per infrascriptum Sacrorum Rituum Congregationis Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis in omnibus ratum habere et confirmare dignata est. Die 27 iisdem mense et anno.

C. Card. PATRIZI, Ep. Ostien. et Velitern
S. R. C. Praefectus.

L-©S.

Placidus Ralli, *S. R. C. Secretarius.*

DECRETUM.

NEAPOLITANA. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Januarii Mariae Sarnelli Sacerdotis e Congregatione Sanctissimi Redemptoris.

Instante Rmo P. Brictio Queloz Procuratore Generali Congregationis Sanctissimi Redemptoris et huius Causae Postulatore, Emus et Rmus D. Cardinalis Aloisius Bilio Causae Ponens sequens proposuit Dubium in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis. *An sententia Iudicis ab Emo et Rmo D. Cardinali Archiepiscopo Neapolitano delegato super*

Cultu Ven. Servo Dei nunquam exhibito, seu super paritione Decretis sa. me. Urbani Papae VIII sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur. Emi porro ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore, rescribere censuerunt: *Affirmative seu sententiam esse confirmandam.* Die 22 ianuarii 1876.

Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX per infrascriptum Sacrorum Rituum Congregationis Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis in omnibus ratum habere ac confirmare dignità est. Die 27 iisdem mense et anno.

C. Card. PATRIZI, Ep. Ostien. et Velitern.
S. R. C. Praefectus.

Pro R. P. D. Placidus Ralli, *Secretario.*
Iosephus Ciccolini, *Substitutus.*

NEAPOLITANA. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Francisci Xaverii Mariae Bianchi Sacerdotis professi e Congregatione Clericorum Regularium Sancti Pauli BarnaMtarum.

Quum agi deberet in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria de validitate Processus in Curia Ecclesiastica Neapolitana constructi super Miraculo quod a Deo Optimo Maximo patratum ferebatur Ven. Servo Dei Francisco Xaverio Maria Bianchi praefato intercedente, Emus et Rmus D. Card. Aloisius Bilio huius Causae Ponens sequens Dubium proposuit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis. *An constet de validitate novissimi Processus Apostolici Neapoli constructi super Miraculo, Testes sint rite*

ac recte examinati et iura producta legitime compulsata in casu et ad effectum de quo agitur? Emi porro ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi omnibus accurate perpensis auditoque scripto et voce R. P. D. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore rescribere rati sunt « *Affirmative seu constare* ». Die 22 ianuarii 1876.

Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX per infrascriptum Sacrorum Rituum Congregationis Secretarium relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit die 27 iisdem mense et anno.

C. Card. PATRIZI, Ep. Ostien. et Velitern.
S. R. C. Praefectus.

L. ©S.

Pro R. P. D. Placidus Ralli, *Secretario.*
Iosephus Ciccolini, *Substitutus.*

EX VATICANO

Eminentissimo Archiepiscopo Bononiensi Breve, quo indulgentiae quaedam a Sanctissimo conceduntur.

PIUS PP. IX.

VENERABILIS FRATER, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Qui vel a teneris annis singulari obsequio, intimoque cordis affectu sanctam Dei Genitricem Mariam coluimus, eiusque laudem et gloriam omni studio promovendam iugiter curavimus, libenti alacrique animo ea, quae in eiusdem Matris Nostrae dulcissimae honorem a Nobis postulantur, concedimus et largimur. Iam vero dilectus filius Archangelus Maria Gatti Abbas Visitator generalis

Regularium Canonicorum Lateranensium exponendum curavit Nobis, sibi, pro sua erga Immaculatam Deiparam Virginem pietate, in votis admodum esse ut vetustissima portentisque inclyta Beatae Mariae Virginis cum Divino puero Iesu imago, quam a Victoria dictam in suum Abbatiale Templum Bononiae SS. Salvatoris dicatum translatant singulari cultu et frequentia fideles venerantur, aureo diademate per Te, venerabilis Frater, tamquam Delegatum Nostrum, augeatur. Nos igitur huiusmodi votis libentissime obsecundantes, Tibi, Venerabilis Frater, facultatem, hisce Litteris, Apostolica Auctoritate Nostra facimus, ut hoc vertente anno, die decimaquinta mensis Augusti, indicta prius solemni supplicatione, memoratae Beatae Mariae a Victoria cum puero Iesu imagini Bononiae in Abbatiali Templo SS. Salvatoris sitae auream coronam Nostro nomine imponere libere ac licite possis et valeas. Quo vero fideles et vehementiori pietatis affectu Sanctam Dei Matrem adprecentur, ut luctuosissimis hisce temporibus plebem suam velit sospitare, et vel ex hac solemnitate praesidium sibi ad aeternam beatitatem parent, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui praefatam Ecclesiam Abbatialem SS. Salvatoris, et ibi sitam Sanctae Mariae a Victoria imaginem supradicto cognationis die, aut uno ex septem diebus continuis immediate sequentibus uniuscuiusque Christifidelis arbitrio sibi deligendo, itemque singulis annis die eiusdem coronationis anniversario vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem, quae etiam Animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari poterit, misericorditer in Domino

concedimus. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo piscatoris, die 16 iulii 1875. Pontificatus nostri anno trigesimo.

F. Card. ASQUINIUS.

Sanctissimi D. N. Pii VI Breve, quo variae indulgentiae conceduntur recitantibus Hymnum: *Veni Creator* K

PIUS PP. VI.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Salvator Noster Iesus Christus Coelum ascendens, ne relinqueret Nos orphanos, Patrem rogavit, ut nobis daret alium Paraclitum, qui in aeternum manendo Nobiscum mentes nostras visitaret, supernâque gratia corda impleret, ut hostem repellere, pacemque veram quaerere, ac eo ductore omne noxium vitare possemus. Cum igitur hisce praesertim calamitosissimis Nostris temporibus, in quibus gubernacula Ecclesiae non nostris meritis, sed Dei misericordia tenemus, impia novitas insurrexerit, quae

[1] In operibus quae mentionem faciunt de Indulgentiis annexis eiusmodi hymni recitationi haud semper traduntur requisita ad illas lucrandas. Ideoque inutilem haud fore censemus sequentis Brevis publicationem, in quo clare prostant dicta requisita. - *N. B.*

pacem evertere, mentes peregrinis et variis doctrinis obfuscare, Nosque liberos, libertate, qua Christus Dominus Nos donavit, nova captivare praesumit; Nos quibus summopere incumbit, ne Christifideles novis et variis doctrinis abducantur, sed tantum veritatis lumen in simplicitate cordis et unitate fidei aspiciant, coelestes Ecclesiae thesauros, quorum concredita est Nostrae fidei dispensatio, libenter reserare studemus, ut Christifideles hisce illecti ad hunc Divinum Paraclitum toto corde confugiant, ipsum invocent, ut mentes illuminet, corda inflammet, animasque -nostras sui roris intima aspersione fecundet, et sic lumine charitatis suae faciem terrae renovare dignetur. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi; omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus ac sacra communione refectis, qui semel aut pluries in die Hymnum *Veni Creator Spiritus mentes,* etc., ac etiam quocumque alio idiomate flexis genibus devote recitaverint, et pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam in uno die cuiuslibet mensis dumtaxat per unumquemque Christifidelem ad sui libitum eligendo lucrifaciendam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et poenitentiarum remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper eisdem Christifidelibus contritis dictum Hymnum Dominica Pentecostes, singulisque diebus intra illius octavam ut supra recitantibus et, ut praefertur, orantibus tercentum dies ; in quolibet vero ex reliquis diebus totius anni, quoties id egerint, centum dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium Literarum transumptis seu exemplis etiam

impressis manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo piscatoris, die xxvi aprilis MDCCXCVI, Pontificatus nostri vigesimo secundo.

R. Card. BRASCRTUS DE HONESTIS.

Concordat cum Originali quod asservatur in Tabulario Secretariae Brevium.

Pro D. Card. ASQUINIO
DOMINICUS IACOBINI, *Substitutus.*

EX ACTIS AD INSTAR CONSISTORIALIUM

EX PROPOSITIONIBUS CONSISTORIALIBUS.

Die 3 Aprilis 1876.

Sanctitas Pii Papae IX hoc mane in Palatio Apostolico Vaticano, quum Emus Card. Bartolini dimisisset Diaconiam S. Nicolai ad Carceres, atque optavisset Titulum S. Marci, transiens ad ultimum locum Eminentissimorum ex Ordine Presbyterorum; et postquam, de more, os clausisset Emo Cardinali G-uffrido Brossais Saint Marc creato atque publicato die 17 septembris 1875, sequentes proposuit Ecclesias :

METROPOLITANAM ECCLESIAM VIENNEN, in Austria vacan, per obitum clar. me. Iosephi Othmari S. R. E. dum viveret Presbyteri Cardinalis Rauscher postremi illius Archipraesul extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus ad recensitam Ecclesiam ad nominationem Sacrae Caesareae Maiestatis Francisci Iosephi,Primi Austriae Impera-

toris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici transtulit R. P. D. Ioannem Baptistam Kutschker, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, cum de mense Aprilis 1862 Carrhensi Ecclesiae praefectus fuit. Qui consecrationis munere suscepto, licet ad Ecclesiam sibi creditam accedere nequiverit, tamen qua Vindobonensis archidioeceseos Auxiliaris, et Vicarius Generalis, eiusque metropolitanae Ecclesiae Praepositus pontificalia solemniter celebravit, sacras exegit ordinationes, confirmationis sacramentum administravit, caeteraque pastoralia munia laudabiliter obivit.

Vienna, seu Vindobona, perantiqua ac notissima civitas et caput Austriaci Imperii ad Danubium posita, duodecim fere mille continet domos, ac ultra quingentos septuaginta mille habitatores romano-catholicae Eeelesiae addictos sub temporali dominio praefati Serenissimi Imperatoris ac Regis.

Metropolitana Ecclesia, ampla, pulcherrima, gothicaeque structurae, S.Stephani Protomartyris titulo gloriatur; reparationem, quibus indiget, ad praesens peraguntur, ac duo eidem suffragantur Episcopi.

Eius Capitulum quinque enumerat dignitates, quarum post pontificalem, prima Praepositum, tredecim cum theologo ac poenitentiario Canonicos, et quatuordecim alios Sacerdotes, qui cum clericis seminarii servitio addicti sunt divino.

Magister curiae Archiepiscopalis ac tredecim Presbyteri animarum curam ipsamet exercent in Metropolitana, ubi fons adest baptismalis et plures praesto sunt insignes Sanctorum reliquiae in thesauro S. Stephani religiosissime adservatae.

Praeter metropolitanam triginta tres recensentur Vindobonae eiusque suburbiis paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, Collegiata ad S. Petrum, quindecim pro viris, ac decem pro mulieribus monasteria, plures laicorum sodalitates, nonnulla hospitalia, mons pietatis ac duplex seminarium.

Archidioeceseos ambitus satis late patet, plurimasque sub se complectitur paroecias.

ARCHIEPISCOPALEM ECCLESIAM CAIETAN, vacan, per obitum bo. me. Philippi Cammarota ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus promovit ad relatam Ecclesiam R. D. Nicolaum Contieri, in saeculo Franciscum Xaverium, ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Barensi in urbe progenitum et in quadragesimo nono aetatis suae anno constitutum. In Ordine S. Basilii apud Monasterium Cryptae Ferratae solemnia vota professus,

ibique Sacerdotio initiatus, in ecclesiasticis functionibus obeundis, praesertim utriusque sexus ac etiam monialium sacramentales confessiones excipiendo, naviter incubuit. Lector philosophiae ac theologiae declaratus, facultates ipsas sui Ordinis alumnis scite tradens, sacrae theologiae magisterium assequutus est. Eiusdem monasterii Cryptae Ferratae Oeconomus Curatus prius, hucusque autem Abbas renunciatus est.

In Campaniae Felicis provincia agri Neapolitani ad montis declivium Caietae civitas aedificata, in suo duorum fere cum dimidio milliarum ambitu una cum suburbio bis mille et quingentas domos, atque octodecim circiter mille continet incolas.

Archiepiscopalis Ecclesia Assumptionis Bmae semperque Virginis Mariae titulo gloriatur, nullus eidem suffragatur Episcopus et Apostolicae Sanctae Sedi est immediate subiecta.

Eius Capitulum quatuor recenset dignitates, quarum post pontificalem, prima Archipresbyteratus, septemdecim Canonicos cum theologo ac poenitentiario, decem Capellanos Hebdomadarios nuncupatos, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Penes Capitulum extat habitualis cura animarum, eaque per alterum ex praefatis Canonicis exercetur eadem in Ecclesia, quae praeter baptismalem fontem, munita est nonnullis Sanctorum reliquiis, quas inter corpora SS. Erasmi ac Marciani eiusdem civitatis Patronorum, decenter adservatis, atque coemeterio extra urbis moenia.

Septem aliae praeterea Caietana in civitate, eiusque suburbio paroeciales extant Ecclesiae, quarum aliquot baptismali fonte munitae, duo insuper virorum monasteria, conservatorium, plura laicorum sodalitia, bina hospitalia, binaque pro pueris, puellisque instituendis loca pia, mons pietatis et seminarium.

Dioeceseos ambitus ad fere viginti quinque milliaria extenditur, et plura sub se complectitur oppida.

METROPOLITANAM ECCLESIAM LEOPOLIEN. Ritus Armeno-Catholici vacan, per obitum bo. me. Gregorii Michaelis Szymonowicz ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti: Sanctissimus ad eamdem Ecclesiam ad nominationem Sacrae Caesareae Maiestatis Francisci Iosephi Primi Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici promovit R. D. Gregorium Iosephum Romaszckan ex legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus armeni ritus in civitate Kutensi archidioeceseos Leopoliensis progenitum ac sexagesimum septimum aetatis suae annum supergressum. Sacro Presbyteratus ordine dudum donatus, in ecclesiasticis obeundis functionibus

exercitam duxit vitam. Leopoliensis Capituli armeni ritus Canonicus ad praesens usque renunciatus, Assessoris Consistorii, archi dioecesani Examinatoris ex hermeneutica et sacra exegesi, atque Directoris montis pietatis munere perfunctus est. Leopoliensi sede armeni ritus vacante Vicarius Capitularis hucusque adlectus est.

Leopolis urbs et caput Galiciae plano in loco montibus circumdato aedificata ultra termille una cum septem suburbiis continet domos, eamque centum fere mille incolunt cives sub temporali dominio praefati Serenissimi Imperatoris ac Regis.

Metropolitana Ecclesia ritus Armeno-catholici, Apostolicae Sanctae Sedi immediate subiecta, Bmae Virginis Mariae in coelum Assumptae titulo gloriatur, satis ampla est, solideque extructa, nullius eget reparationis, nullusque eidem suffragatur Episcopus.

Eius Capitulum octo recenset Presbyteros inibi divinis inservientes, ex quibus dignitas, post pontificalem, princeps est Praelatorum, et quatuor alii Canonici.

Canonici et Presbyteri armeni ritus animarum curam ipsamet exercent in metropolitana, ubi fons adest baptismalis et nonnullae praesto sunt Sanctorum reliquiae decenter adservatae.

Archidioeceseos ambitus complectitur catholicos ármenos utriusque provinciae Galiciae et Bucovinae, continetque sub se novem parochias et unam capellaniam.

AD CATHEDRALES ECCLESIAS FABRIANEN. et **MATHILICEN**. invicem perpetuo canonice unitas vacan, per obitum bo. me. Antonii Mariae Valenziani ultimi illarum Episcopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus ad recensitas Ecclesias transtulit R. P. D. Leopoldum Angelum Santanché, ordinis Minorum Reformatorum S. Francisci, ab Aquasancta Asculanae dioeceseos. Cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, cum de mense Maio **1871** Acridanus Archiepiscopus renunciatus fuit. Qui consecrationis munere suscepto, licet ad Ecclesiam illam, utpote ab infidelibus detentam, accedere nequiverit, tamen qua Delegatus Apostolicus in ditionibus de Haiti, S. Dominici, de Venezuela, et in patriarchatu Constantinopolitano, sacras exegit ordinationes, pontificalia celebravit, confirmationis contulit sacramentum, caeteraque pastoralia munia laudabiliter obivit, et inter Consultores Congregationum de Propaganda Fide, ac pro ecclesiasticis negociis extraordinariis adscitus est.

Fabrianum et Mathilica sunt urbes Picoeni, quarum prima plano in loco sita, ac trium fere milliarium ambitus, mille et quingentas continet domos, et a septem millibus inhabitatur incolis: secunda

vero ad radices Apennini in planitie posita, in suo unius milliarii ambitu octingentis referta est domibus, eamque ultra termille incolunt cives.

Cathedralis Ecclesia Fabriani S. Venantii Martyris; Mathilicensis autem S. Mariae de Platea, ac S. Bartholomaei titulis gloriatur.

Utrumque Capitulum unica pollet dignitate, quae Fabriani Prioratus, Mathilicae vero Archipresbyteratus nuncupatur; tredecim insuper Canonicis cum utraque praebenda, octo Beneficiatis, seu Capellanis in primo, ac nonnullis in secundo, aliisque tandem Presbyteris et Clericis divino servitio addictis.

Per respectivos Parochos animarum cura ipsis exercetur in Cathedralibus, ubi praeter baptismalem fontem, plures praesto sunt Sanctorum reliquiae, quas inter Fabriani Caput B. Constantii Concivis et Ordinis Praedicatorum, et Mathilicae Brachium S. Hadriani Martyris civitatis Patroni, decenter adservatae.

Tres aliae recensentur Fabriani paroeciales Ecclesiae, quarum una baptismali fonte destituta, et altera N. Nicolao Barensi dicata est etiam Collegiata, quaedam insuper virorum, et quatuor mulierum monasteria, orphanotrophium, brephotrophium, plura laicorum sodalitia, mons pietatis, et pro utraque dioecesi seminarium. Mathilicae item altera tantum Curionalis extat Ecclesia, tria pro viris, ac duo pro monialibus monasteria, orphanotrophium, nonnullae sodalitates laicorum, hospitale, ac mons pietatis.

CATHEDRALEM ECCLESIAM GROSSETAN. vacan, per obitum bo. me. Anselmi Fauli ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti ; Sanctissimus ad recensitam Ecclesiam transtulit R. P. D. Ioannem Baptistam Bagalà Blasini. Cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, cum de mense Maio 1868 Cydoniensi Ecclesiae praefectus fuit. Qui consecrationis munere suscepto, licet ad Ecclesiam illam, utpote ab infidelibus detentam accedere nequiverit, tamen qua Liburnensis Ecclesiae Canonicus Iubilatus, et dum illa sedes vacabat Vicarius etiam Capitularis, pontificalia solemniter celebravit, sacras exegit ordinationes, confirmationis contulit sacramentum, dioecesanam obivit visitationem ex praedefuncti Episcopi Administratoris delegatione, caeteraque pastoralia munia explevit.

Grossetum vel Rosetum Hetruriae civitas ad dexteram oram Umbronis fluminis plano in loco aedificata in suo unius circiter milliarii ambitu quingentas fere continet domos.

Cathedralis Ecclesia Sancti Laurentii Levitae et Martyris titulo gloriatur, atque Archiepiscopo Senensi suffragatur.

Eius Capitulum una tantum constat Praepositurae dignitate, et undecim cum theologo ac poenitentiario Canonicis, Sacrista, octo Capellanis, aliisque Presbyteris et Clericis divinis inservientibus.

Per ipsum Praepositum animarum cura exercetur in dicta Cathedrali, ubi fons adest baptismalis, unicus in civitate, ac plura Sanctorum pignora, signanter corpora Sanctorum Martyrum Hadriani, et Feliciani decenter adservata.

Praeter Cathedralem nulla alia reperitur Grosseti paroecialis Ecclesia, nec virorum aut mulierum monasterium, aut mons pietatis, neque seminarium, sed tria tantum insunt laicorum sodalitia, et hospitale.

Dioecesis ambitus ad sexaginta circiter milliaria protenditur, et plures sub se-continet paroecias.

CATHEDRALEM ECCLESIAM EPERIESSIEN. ritus Graeco-Catholici vacan, per obitum bo. me. Iosephi Gaganecz ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti ; Sanctissimus, ad nominationem Sacrae Caesareae Maiestatis Francisci Iosephi Primi Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici, ad recensitam Ecclesiam evexit R. D. Nicolaum Toth ex legitimis, graco-catholicis, honestisque parentibus Munkacsini progenitum, et in tertio supra quadragesimum aetatis suae anno constitutum. Presbyteratus ordine et in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, in ecclesiasticis functionibus exercendis solertem applicuit animum. Curae animarum aliquando addictus, in seminario Ungvariensi Director spiritualis, indeque Professor adlectus est. Ad cathedram theologiae moralis penes Hungaricam universitatem evectus, tum seminarii Munkacsiensis Rector, tum illius Cathedralis Canonicus hucusque renunciatus est. Vir doctrina, gravitate, prudentia, morum honestate, rerumque usu praeditus.

Eperiae una e praecipuis urbibus Hungariae Septemtrionalis in Comitatu Sarosiensi ad Taraczam fluvium sita, satis amplae est magnitudinis, mille fere conflatur domibus, eamque circiter decem mille incolunt Christifideles, quorum mille ac biscentum ritus graeco-catholici, sub temporali dominio praefati Serenissimi Imperatoris ac Regis.

Cathedralis Ecclesia graeci ritus catholicorum, structurae solidae, ac nuper splendide renovata, S. Ioannis Baptistae titulo gloriatur, atque Strigoniensi Arhiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum sex enumerat Canonicos reales, et quatuor honorarios. E primis alter est Praepositus, scilicet dignitas maior post pontificalem, et alter Scholasticus seu theologus.

Per Canonicum iuniorem animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis.

Una tantum reperitur Eperiessensi in urbe Ecclesia paroecialis graeci ritus catholicorum ac societas S. Ioannis Baptistae; nulla Collegiata, nec ullum monasterium eiusdem ritus, aut mons pietatis, neque seminarium: ast clerici dioecesani aluntur in seminariis Vindobonensi, Budapestiensi, et Ungvariensi, vel Munkacsiensi.

Dioeceseos ambitus diffunditur per septem Hungariae regni Comitatus superiores, ac praeter centum octoginta septem paroecias complectitur sub se mille biscentum viginti octo filiales.

EPISCOPALEM ECCLESIAM TINNINIEN. vacan, per obitum bo. me. Ioannis Baptistae Nehiba ultimi illius Epscopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus, ad nominationem Sacrae Caesareae Maiestatis Erancisci Iosephi Primi Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Eegis Apostolici ad memoratam Ecclesiam evexit R. P. D. Michaelem Kubinszky ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in oppido ***Duna-Pataj*** archidioeceseos Colocensis progenitum, et in quinquagesimo secundo aetatis suae anno constitutum. Presbyteratus ordine et in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, in ecclesiasticis adimplendis functionibus, etiam qua in cura animarum Capellanus, et archidioecesani seminarii Director spiritualis, naviter emicuit. Inspector superior scholarum catholicarum, ac Director effectus sive lycei archiepiscopalis, sive scholae monialium sororum de Domina Nostra, theologiae Professor ac Rector illius seminarii adlectus, ac ad centrale seminarium Pestinense regendum, praepositus est. Inter prosynodales Examinatores adscitus, Capellanus Aulicus ad honores et Praepositus Beatae Mariae Virginis de Hatvan constitutus est. Metropolitanae Colocensis Canonicus theologus, ac successive Canonicus Lector ad praesens usque renunciatus, eiusmodi exhibuit doctrinae, gravitatis, prudentiae, morum probitatis, rerumque usu praestantiae specimina, ut a SSmo Domino Nostro Pio divina providentia Papa IX inter suos Praelatos Domesticos adnumerari meruerit.

Civitas Tinninii, ***Arduba*** olim nuncupata, est in provincia Croatiae ad litium flumen sita sub temporali dominio laudati Serenissimi Imperatoris ac Regis; et licet a Turcis occupata, plures tamen in ea, eiusque dioecesi numerantur Christifideles.

Conspiciuntur etiamnum rudera veteris Ecclesiae Cathedralis in honorem S. Ioannis Evangelistae iam erectae, et Colocensis Archiepiscopi suffraganeae.

Episcopus caret propria domo, et reditibus, qui a Turcis occupantur.

CATHEDRALEM ECCLESIAM ORANEN. vacan, per obitum bo. me. Ioannis Baptistae Callot ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus ad nominationem perillustris Viri Mauritii de Mac-Mahon Ducis Magentae Gallicae Reipublicae 'Praesidis, ad recensitam Ecclesiam evexit R. D. Angelum Vigne ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, qui ***Grignan*** vulgo nuncupatur, Valentinensis dioeceseos progenitum et quinquagesimum aetatis suae annum agentem. Sacro Presbyteratus ordine dudum insignitus, in ecclesiasticis functionibus obeundis, praesertim fidelium confessiones sacramentales excipiendo, naviter emicuit. In parvo Valentinensi seminario rheto-rices Professoris, in animarum cura Vicarii, atque Capellani perfunctus muneribus, Vicarius in spiritualibus Generalis pro dioecesi Valentinensi hucusque renunciatus est.

Oranum urbs Algeriensis provinciae ad litus maris mediterranei partim in plano, ac partim in colle sita, moeniis munita, arce et portu gaudet, ac triginta circiter mille continet incolas, quorum fere media pars catholicam religionem profitetur sub temporali gallico dominio.

Templum Cathedrale S. Ludovici titulo gloriatur, atque Iuliae Caesareae Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum ad normam aliorum Galliae Capitulorum erigendum quatuor hodiedum Canonicos enumerat, quorum primus Praepositi titulum gerit; ac insuper Ecclesiae servitio nonnulli addicti sunt Vicarii ac etiam alumni magni seminarii solemnioribus festis.

Per Parochum ac praedictos Vicarios animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis, et nonnullae praesto sunt Sanctorum reliquiae decenter adservatae.

Altera insuper Ecclesia recensetur Oram S. Andreae dicata, quaedam pro viris ac mulieribus religiosae domus, seminarium, non autem mons pietatis.

Dioeceseos ambitus totam complectitur Orani civilem provinciam et plura sub se continet loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM SEGOBIEN. vacan, per obitum bo. me. Ruderici Echeverría et Briones ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti ; Sanctissimus ad praesentationem Serenissimi Regis Catholici promovit ad recensitam Ecclesiam R. D. Antonium Garcia et Fernandez ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco,, qui ***Medina de Pomar*** vulgo dicitur, archidioeceseos Burgensis progenitum, et in quadragesimo secundo aetatis suae anno constitutum.

Presbyteratus ordine, ac tum in sacra theologia doctorali laurea, tum in sacris canonibus licentiae gradu donatus, in ecclesiasticis exercendis functionibus, signanter qua Parochus ad S. Stephanum Vallisoletana in urbe, sedulo incubuit. Illo in seminario sacrae theologiae Cathedraticus adlectus, atque Salmaticensis etiam seminarii Cancellarii ac Rectoris munere perfunctus, eadem in Cathedrali Canonicus Magistralis hactenus renunciatus est.

Segovia, vel Segobia, eiusdem nominis provinciae caput et Castellae veteris civitas a mille et octingentis familiis, seu ab ultra septem millibus inhabitator incolis sub temporali dominio praefati Serenissimi Regis Catholici.

Cathedralis Ecclesia magnificae, gothicaeque structurae Bmae Virginis Mariae de Pace titulo gloriatur, atque iuxta Apostolicas Literas « ***Ad Vicariam*** » datas nonis Septembris 1851 Vallisoletano Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum ex praecitatis Literis Apostolicis quinque adnumerat dignitates, ex quibus post pontificalem maior Decanatus, quatuor cum theologo ac poenitentiario Canonicos ***de oficio,*** septem ***de gracia,*** ac duodecim Beneficatos.

Per Oeconomum ab Episcopo electum animarum cura exercetur ipsamet in Cathedrali, ubi nedum fons adest baptismalis, verum et plures praesto sunt Sanctorum reliquiae, quas inter corpus S. Fructuosi dioeceseos Patroni, decenter adservatae.

Septemdecim enumerantur Segoviae Curionales Ecclesiae baptismali fonte munitae, septem mulierum monasteria, quaedam laicorum sodalitates, hospitale et seminarium; deest autem mons pietatis.

Dioeceseos ambitus ad duas supra sexaginta leucas extenditur, **S.** Ildefonsi Collegiatam et plura sub se complectitur loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM SEGOBRICEN. vacan, per obitum bo. me. Iosephi Ludovici Montagut ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus ad praesentationem Serenissimi Regis Catholici promovit ad recensitam Ecclesiam R. D. Marianum Miguel Gómez ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, qui ***Cernera de Rio-Pisuerga*** vulgo dicitur, Legionensis dioeceseos progenitum, ac sexagesimum secundum aetatis suae annum supergressum. Presbyteratus ordine et in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, in ecclesiasticis obeundis functionibus, signanter Dei verbum praedicando, fideliumque excipiendo sacramentales confessiones, sese laudabiliter exercuit. Canonicatu Lectorali Segobiensi in Cathedrali prius, et hucusque Vallisoletano seminario sacrae scripturae,

institutionis oratoriae ac liturgicas Professor, insimulque Eector effectus est. Inter arehidioecesanos Examinatores ac synodales Iudices cooptatus, atque beneficentiae domo addictis Vocalis renunciatus est.

Segorbia, vel Segobriga urbs regni Valentiae in Hispania Tarraconense ac praecise in provincia Castilionensi de Plana ad Turulim fluvium sita, a millibus ac sexcentum inhabitator familiis sub temporali dominio praefati Serenissimi Regis Catholici.

Cathedralis Ecclesia, satis ampli aedificii, Assumptionis Bmae Virginis Mariae titulo gloriatur, atque Valentino Archiepiscopo suffragatur.

Verum Sedes Episcopalis Segobricensis transferetur Castilionem iuxta Literas Apostolicas « ***Ad Vicariam*** » datas Nonis Septembris 1851, quarun>sanctionibus eius Capitulum quinque adnumerat dignitates, ex quibus post pontificalem maior Decanatus, quatuor cum theologo ac poenitentiario Canonicos ***de oficio,*** septem ***de gracia*** ac duodecim Beneficiatus.

Animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis, et nonnullae praesto sunt insignes Sanctorum reliquiae decenter adservatae.

Nulla alia praeter Cathedralem reperitur Segorbiae paroecialis, vel Collegiata Ecclesia, nec mons pietatis, sed duo tantum adsunt mulierum monasteria, atque seminarium.

Dioeceseos ambitus ad sexdecim circiter leucas in latitudinem, ad septem in longitudinem protenditur, et plures sub se complectitur paroecias et oppida.

EPISCOPALEM ECCLESIAM TROADEN, sub Archiepiscopo Cyziceno in partibus infidelium vacan, per successionem R. P. D. Francisci Mariae Granado ad Cathedralem Sedem Cochabambensem; Sanctissimus promovit ad eamdem Ecclesiam R. P. D. Odoardum Agnelli ex legitimis, catholicis honestisque parentibus Cryptis ad Mare dioeceseos Ripanae progenitum et sexagesimum tertium aetatis suae annum agentem. Sacro Presbyteratus ordine dudum insignitus, ac penes Romanam Universitatem iuris utriusque lauream ad praemium assequutus, in ecclesiasticis functionibus obeundis navam impendit operam. Apud sacras Concilii ac Episcoporum et Regularium Congregationes studiis addictus, hodierni Emi Firmani Archipraesulis Auditoris Generalis cum facultatibus Vicarii Generalis, eiusdemque Curiae Iudicis, ac Synodalis Examinatoris perfunctus muneribus, archidioecesim ipsa aliquando administra vit. Inter Sanctitatis suae Praelatos Domesticos et Protonotarios Apostolicos suprannumerarios adscitus,

tum Beneventanae provinciae Delegatus Apostolicus effectus, tum Romae pro causis ecclesiasticis civili in tribunali Iudex, ibique pro secunda sectione Praeses constitutus est. Apud Patriarchalem Basilicam S. Mariae Maioris Canonicus hucusque adlectus, quibusdam Urbis monasteriis etiam qua Visitator Apostolicus deputatus, ac novissime Praeses Pontificiae Academiae nobilium ecclesiasticorum renunciatus est.

Troas Alexandri urbes Asiae minoris in Phrygia, ab Alexandro magno extructa, in ora litorali maris Aegaei, adhuc infidelium iugo miserrime subest ; quocirca status eius infandus silentio praeteritur.

EPISCOPALEM ECCLESIAM TRIPOLITAN. sub Archiepiscopo Tyrensi in partibus infidelium vacan, per translationem R. P. D. Philippi Manetti ad Archiepiscopalem Ecclesiam Sardianam; Sanctissimus evexit ad recensitam Ecclesiam Tripolitanam et in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Alexandri Pauli Spoglia Antistis Comaclensis deputavit R. D. Alexandrum Grossi ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Pisauri progenitum, et in quadragesimo quarto aetatis suae anno constitutum. Presbyteratus ordine, ac tum in sacra theologia baccalaureatu, tum in utroque iure dudum doctorali laurea donatus, in ecclesiasticis obeundis officiis, signanter sacramentales fidelium confessiones excipiendo, naviter emicuit. Archidiaconatu Pisaurensi in Cathedrali hucusque honestatus, ac inter pro-Synodales Examinatores adscitus, illius Curiae ecclesiasticae Iudicis, Patriarchalis Archibasilicae Lateranensis Vicarii, ac Pisaurensis seminarii Rectoris munere ad praesens usque perfunctus est. Pisaurensis dioeceseos Pro-Vicarius in spiritualibus Generalis renunciatus est.

Tripolis civitas Episcopalis Phoeniciae ad fluvium Xantum sita adhuc ab infidelibus detinetur; quocirca miserrimus eius status non est referendus.

Comaclum autem vel Comacula urbs Romandiolae Ferrariam inter et Ravennam prope Adriaticum mare inter paludes et in planitie posita trium circiter milliarium est ambitus, mille ac biscentum continet domos, eamque ultra septem mille incolunt cives.

Cathedralis Ecclesia satis amplae, recentis ac optimae structurae S. Cassiani Martyris titulo gloriatur, atque Ravennatensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum duas recenset dignitates, quarum post pontificalem prima Archipresb}^teratus, octodecim cum theologo ac poenitentiario Canonicos, tres Mansionarios, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Per Archipresbyterum a tribus adiutum Capellanis amovibilibus ad nutum animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis, unicus in civitate, et plures praesto sunt Sanctorum reliquiae, praesertim ipsius S. Cassiam civitatis Patroni.

EPISCOPALEM ECCLESIAM CANOPEN. sub Patriarcha Alexandrino in partibus infidelium vacan, per obitum bo. me. Ludovici Besi ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus ad eamdem Canopen. Ecclesiam, et in Coadiutorem R. P. D. Philippi Mincione Antistitis Melitensis cum futura successione deputavit R. D. Carolum de Caprio ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in pago Casanovae archidioeceseos Capuanae progenitum et in sexagesimo quarto aetatis suae anno constitutum. Presbyteratus ordine, dudum in sacra, theologia doctorali laurea donatus, ac theologorum Collegio penes Neapolitanam universitatem ad honorem adscriptus, in functionibus ecclesiasticis obeundis, signanter Dei verbum etiam in sacris missionibus praedicando, sacramentales utriusque sexus, atque monialium confessiones excipiendo, sedulo incubuit. Curatus in pago Bellonae effectus et in seminario archidioecesano humaniorum literarum, philosophiae, ac theologiae tum dogmaticae, tum moralis Lectoris, et hucusque Moderatoris munere perfunctus est. Inter Examinatores prosynodales cooptatus et apud Capuanum Capitulum Canonicatu ac successive secunda Archidiaconatus dignitate ad praesens usque honestatus est.

Canopus urbs Aegypti ad ostium occidentale fluminis Nili adhuc sub infidelium potestate miserrime ingemiscit; quocirca status eius infandus silentio praeteritur.

Miletus autem civitas Brutiorum in Calabria uteriori secunda plano in loco aedificata reperitur, quae in suo unius circiter cum dimidio milliarii ambitu quingentas continet domos, atque ab ultra bismille inhabitator incolis.

Cathedralis Ecclesia S. Nicolao Myrensi Episcopo dicata et aliquando terraemotibus concussa novo aedificio splendidior assurgit, sed quoddam adhuc complementum expostulat, et Apostolicae S. Sedi est immediate subiecta.

Eius Capitulum quinque constat dignitatibus, ex quibus post pontificalem maior Archidiaconatus, tredecim cum theologo ac poenitentiario Canonicis, octo Beneficiatis, Capellanis Choralibus nuncupatis, caeterisque Presbyteris et Clericis divinis inservientibus.

Per Archipresbyterum, quintam Capituli dignitatem, animarum

cura exercetur in eadem Cathedrali, ubi fons adest baptismalis et plura Sanctorum pignora, inter quae corpus S. Fortunati Martyris, decenter adservata.

EPISCOPALEM ECCLESIAM TEIEN. sub Archiepiscopo Ephesino in partibus infidelium vacan, per obitum bo. me. Mariani Ortiz Urrueta ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus promovit ad eamdem Teien. Ecclesiam et in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Nicolai de Martino Antistis Venusini deputavit R. P. Fr. Hieronymum Volpe, in saeculo Paschalem ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Neapoli progenitum, et in quinquagesimo secundo aetatis suae anno constitutum. Ordinem S. Hieronymi Congregationis B. Petri de Pisis solemniter professus, ibique ad Presbyteratum assumptus ac dudum in sacra theologia licentiae lectoratus ac magisterii gradum assequutus, in ecclesiasticis obeundis functionibus, signanter Dei verbum praedicando, atque sacramentales fidelium confessiones excipiendo, navam impendit operam. Inter cleri Abellinensis Examinatores, et archidioeceseos Neapolitanae Convisitatores adscitus, Prioris et hucusque in suo Neapoli Ordine Provincialis munere perfunctus est.

Teia civitas Ioniae regionis ad litus maris in Asia minori adhuc sub tyrannide iacet infidelium; quocirca miserrimus eius status silentio praeteritur.

Venusia autem vel Venusium urbs Apuliae Peucetiae in confinio Lucaniae agri Neapolitani, ad radices Apennini montis amoena, fertilique in planitie aedificata conspicitur, quae in suo quatuor circiter milliarium ambitu mille fere domos, et ultra octo mille complectitur incolas.

Cathedralis Ecclesia veteris aedificii S. Andreae Apostoli titulo gloriatur, et Archiepiscopo Acheruntino et M^ateranensi suffragatur.

Eius Capitulum, quatuor constat dignitatibus, ex. quibus post pontificalem maior est Archidiaconatus, viginti cum theologo ac poenitentiario Canonicis, duodecim Mansionariis seu Beneficiatis, aliisque Presbyteris et clericis divinis inservientibus.

Animarum cura in sex aliis eiusdem civitatis paroeciis ab earum respective Rectoribus exercetur, non autem in Cathedrali, ubi tamen fons adest baptismalis, unicus in civitate, et plures Sanctorum reliquiae decenter adservantur.

Praeter Cathedralem, et sex praefatas paroeciales Ecclesias unum extat in civitate virorum coenobium, et duo mulierum monasteria,

unum conservatorium, nonnulla sodalitia laicorum, hospitale, mons pietatis, et nondum expletum seminarium.

Dioecesis ambitus ad triginta circiter milliaria protenditur, et quotuor sub se loca complectitur.

Per Breve pontificium Ecclesia Cathedralis Fernensis collata fuit R. D. Michaeli Waren Hibernensi in illa Cathadrali Poenitentiario.

Deinde eadem Sanctitas Sua creavit atque publicavit Cardinales Sanctae Romanae Ecclesiae :

Ex Ordine Presbyterorum R. P. D. Bartholomaeum d'Avanzo Episcopus Calven, et Theanen.

R. P. Ioannem Baptistam Pranzelin e Societate Iesu.

Aperuit autem Sanctissimus os, iuxta morem, Emo Cardinali Brossais Saint Marc.

Postulatio S. Pallii etiam facta est pro Ecclesia Metropolitana Viennae, et pro Ecclesiis Archiepiscopalibus Caietana et Leopoliensi ex ritu Armeno.

Tandem eadem Sanctitas annulo cardinalitio donavit Emum Cardinalem Brossais Saint Marc tribuens eidem titulum presbyteralem S. Mariae Victoriae.

Die 7 Aprilis.

Sanctissimus Pater hac mane, quum os clausisset, de more, Cardinali Miecislao Ledochowski, creato et publicato die 15 martii 1875, atque Emis Bartholomaeo dAvanzo et Ioanni Baptistae Franzelin creatis atque publicatis die 3 eiusdem mensis, proposuit sequentes Ecclesias :

CATHEDRALEM ECCLESIAM SIBENICEN. vacan, per translationem R. **P.** D. Ioannis Zaffron ad Sedem Ragusinam; Sanctissimus ad nominationem Sacrae Caesareae Maiestatis Francisci Iosephi primi Austriae Imperatoris, Bohemiae, et Hungariae Regis Apostolici, vigore indulti Apostolici, evexit ad recensitam Ecclesiam R. P. D. Antonium, Innocentem, Iosephum Fosco ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Sibenici progenitum et quinquagesimum aetatis suae annum

supergressum. Sacro Presbyteratus ordine dudum insignitus, in functionibus obeundis ecclesiasticis, praesertim in Dei verbo italice ac illyrice praedicando, sese laudabiliter exercuit. Inspector et ecclesiasticus Consiliarius scholasticus districtualis effectus, et pro beneficentia publica commissionis socius adlectus, Examinatoris ac Iudicis pro-synodalis, ac in tribunali matrimoniali Defensoris Consiliari munere perfunctus est. Inter **SANCTITATIS SUAE** Cubicularios secretos supranumerarios prius, ac dein Praelatos Domesticos cooptatus, Sibenicensi in Cathedrali Canonicus, insimulque Parochus et Vicarius Foraneus primi districtualis Decanatus ad praesens usque renunciatus est.

Sibenicum, vel Sebenicum, urbs in provincia Dalmatiae ad montis radices aspero, praeruptoque in loco sita prope flumen Titium, vulgo ***Kerka,*** in ora maris Adriaci, unius circiter cum dimidio milliarii est ambitus, ultra mille et sexaginta continet domos, eamque sex circiter mille incolunt catholici sub temporali dominio praefati Serenissimi Imperatoris ac Regis.

Cathedralis Ecclesia, solidae, elegantis ac satis amplae structurae, S. Iacobi Maioris Apostoli titulo gloriatur.

Eius Capitulum binas recenset dignitates, quarum post pontificalem prima Praepositura, quatuor cum theologo ac poenitentiario Canonicos titulares, ac totidem honorarios, quatuor Vicarios chorales, aliosque Presbyteros et Clericos rei divinae addictos.

Per Canonicum-Parochum ab ipsis Vicariis adiutum animarum cura ipsamet exercetur in Cathadrali, ubi fons adest baptismalis, unicus in civitate, et plures praesto sunt, signanter femur et crus S. Christophori Martyris civitatis Patroni, Sanctorum reliquiae decenter adservatae.

Praeter Cathedralis paroeciam binae aliae reperiuntur in suburbiis maritimo, ac mediterraneo Curionales Ecclesiae baptismali fonte munitae, tria pro viris, et unum pro mulieribus monasteria, undecim laicorum sodalitates, atque hospitale; ast seminarium et mons pietatis desiderantur.

Dioeceseos ambitus ad sexaginta milliaria in longitudinem ad septuaginta in latitudinem, protenditur, ac centum quinquaginta sub se continet loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM PHAREN, vaican. per obitum bo. me. Georgii Dubocowich ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti ; Sanctissimus ad nominationem Sacrae Caesareae Maiestatis Francisci Iosephi Primi Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae

Regis Apostolici, vigore indulti Apostolici, ad recensitam Ecclesiam evexit R. D. Andream Illich ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in Civitate Nova Pharensis dioeceseos progenitum et quadragesimum sextum aetatis suae annum supergressum. Presbyteratus ordine et in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, in ecclesiasticis officiis exercendis laudabilem impendit operam. In seminario theologico centrali Iadrensi theologiae moralis ac dogmaticae Professoris, penes archidioecesanum Tribunal pro causis matrimonialibus Consiliarii, Examinatoris ac Iudicis pro-Synoralis, nec non pro appellationis causis in foro ecclesiastico Consultoris perfunctus muneribus, in Metropolitana Iadrensi Canonicus hucusque renunciatus est.

Pharos et Pharia, ***Lesina*** insula Illyrici, urbem habet cognominem quae in occidentali parte insulae aedificata, tercentas fere continet domos, et ab ultra bis mille inhabitatur incolis sub temporali dominio praefati Serenissimi Imperatoris ac Regis.

Cathedralis Ecclesia satis ampla ac recenter instaurata. S. Stephani Papae ac Martyris titulo gloriatur, atque Iadrensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum binas recenset dignitates, quarum, post pontificalem, prima Archipresbyteratus, et quatuor cum theologo atque poenitentiario Canonicos, quibus nonnulli Presbyteri et Clerici auxilium praebent pro divino servitio.

Per Archipresbyterum animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis, et plures praesto sunt Sanctorum reliquiae, praesertim corpus S. Prosperi Martyris insulae Compatroni.

Nulla alia reperitur Pharensi in urbe Paroecialis, vel Collegiata Ecclesia, non seminarium, noe mons pietatis, sed quaedam pro viris, ac unum pro mulieribus monasterium, laicorum sodalitas, atque hospitale.

Dioeceseos ambitus ad leucas centum octoginta circiter protenditur, ac tres sub se complectitur insulas.

CATHEDRALEM ECCLESIAM FOROIULIEN. vacan, per dimissionem a R. P. D. Antonio Iosepho Henrico de Jordany in manibus **SANCTITATIS SUAE** libere ac sponte peractam, ab Eademque admissam: Sanctissimus ad nominationem perillustris Viri Mauritii de Mac-Mahon Ducis Magentae, Gallicae Reipublicae Praesidis, promovit ad relatam Ecclesiam R. D. Iosephum, Sebastianum, Ferdinandum Terris ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in paroecia, cui vulgo nomen ***Bonnieux,*** Avenionensis archidioeceseos progenitum, et in quinquagesimo secundo aetatis suae anno constitutum. Sacro Presbyteratus ordine

dudum insignitus, in ecclesiasticis functionibus exercendis sedulam impendit operam. Vicarii parochialis Avenionensi in civitate munere perfunctus, ac prius in urbe ***Cavaillon,*** hucusque autem Parochus Decanus in civitate Oarpentorati renunciatus est.

Foroiulium civitas provinciae Vari prope mediterraneum mare in planitie posita, optimo fruitur aere, atque a sex fere millibus inhabitator incolis sub temporali dominio Gallico.

Cathedralis Ecclesia mixtae, et non satis amplae structurae, Bmae Virginis Mariae ac S. Leontii primi Episcopi Foroiuliensis titulo gloriatur, atque Archiepiscopo Aquensi suffragatur.

Eius Capitulum novem recenset Canonicos titulares, quos inter theologum, atque poenitentiarium, nonnullos item Vicarios, qui cum alumnis seminarii et pueris de choro divinis inserviunt officiis.

Per Canonicum Parochum a tribus Vicariis adiutum animarum cura exercetur praedicta in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis, et plures praesto sunt Sanctorum reliquiae decenter adservatae.

Nulla alia praeterea reperitur Foroiulii paroecialis, aut Collegiata Ecclesia, sed unum virorum, ac duo mulierum monasteria, aliquot laicorum sodalitates, hospitale magnum ac duo parva seminaria; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus ad triginta leucas longitudinis, ad viginti latitudinis protenditur, et plura sub se complectitur loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM £>E CHILAPA in ditione Mexicana Americae Septentrionalis vacan, per obitum bo. me. Ambrosii Serrano ultimi llius Episcopi extra romanam curiam defuncti : Sanctissimus evexit ad recensitam Ecclesiam R. D. Thomam Baron et Morales ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in paroecia, quam vulgo de ***Halzapan*** vocant archidioeceseos Mexicanae progenitum et in quadragesimo septimo aetatis suae anno constitutum. Presbyteratus ordine et in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, in ecclesiasticis functionibus peragendis sedulo incubuit. Paroeciam de Cuernavaca assequutus, ibique Iudicis ecclesiastici ac Vicarii foranei perfunctus muneribus, metropolitanae Mexicanae Canonicus hucusque, eiusdemque archiepiscopatus a Secretis renunciatus est.

Chilapa civitas gubernii de Guerrero in Mexicana ditione sita temperato gaudet aere, per quartam leucae partem sese extendit, ultra sexcentum continet domos, eamque sex fere mille incolunt cives.

Templum Cathedrale Purissimo Cordi Bmae Virginis Mariae dicatum satis amplum est ac decens, et Archiepiscopo Mexicano suffragatur.

Eius Capitulum, deficientia Sacerdotum nondum constitutum, quinque saltem habere debet Canonicos, quorum, post pontificalem dignitatem, primus Archidiaconus, et quatuor Mansionarios seu Beneficiatus.

Per Presbyterum, aut eius Coadiutorem animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis et nonnullae praesto sunt Sanctorum reliquiae decenter adservatae.

Nulla alia paroecialis aut collegiata Ecclesia reperitur in urbe de Chilapa, nullum monasterium, nec mons pietatis, sed quaedam laicorum sodalitates atque seminarium.

Dioeceseos ambitus per totum gubernium de Guerrero sese extendit, complectiturque sub se novem Vicarias foráneas, ac sexaginta quinque paroecias.

CATHEDRALEM ECCLESIAM CORDUBEN. in America Meridionali vacan, per obitum bo. me. Iosephi Vincentii Ramirez de Arellano ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus evexit ad memoratam Ecclesiam R. D. Eduardum Emmanuelem Alvarez ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Cordubae progenitum, et in sexagesimo aetatis suae anno constitutum. Presbyteratus ordine et in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, in ecclesiasticis obeundis functionibus navam impendit operam. Archidiaconatus dignitate Cordubensi in Cathedrali ad praesens usque honestatus fuit.

Nova Corduba Tucumaniae civitas et caput eiusdem nominis provinciae in ditione Argentina Americae Meridionalis fertili in loco aedificata cernitur, eamque fere quadraginta incolunt animarum millia.

Cathedralis Ecclesia satis amplae, magnificaeque structurae S. Petri Apostolorum Principis titulo gloriatur, atque Archiepiscopo SSmae Trinitatis de Buenos Aires suffragatur.

Eius Capitulum quatuor recenset dignitates, quarum, post pontificalem, prima Decanatus, duos Canonicos absque theologo ac poenitentiario, duos ***rationerios,*** seu integrae praebendae, ac totidem dimidiae, aliosque Presyteros et Clericos divinis inservientes.

Per duos Parochos animarum cura exercetur ipsamet in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis, et plures praesto sunt Sanctorum reliquiae decenter adservatae.

Nulla alia reperitur Cordubae Curionalis, aut Collegiata Ecclesia, sed tria virorum, ac duo mulierum monasteria, domus pro puellis

educandis, laicorum sodalitas, hospitale, ac seminarium, non autem mons pietatis.

Satis ampla est dioecesis, pluraque sub se complectitur loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM MEDELLEN. ditionis Statuum foederatorum Columbiae in America Meridionali vacan, per obitum bo. me. Iosephi Isaza ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti ; Sanctissimus promovit ad memoratam Ecclesiam R. D. Iosephum Ignatium Montoya ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in civitate Medellensi progenitum et in sexagesimo aetatis suae anno constitutum. Sacro Presbyteratus ordine dudum donatus, in functionibus ecclesiasticis adimplendis, praesertim Parochi officia omnia in Itagui obeundo, sese laudabiliter exercuit. Decanus Cathedralis Medellen., pro ipsa civitate ac dioecesis Vicarius in spiritualibus Generalis, eiusque seminarii Rector ad praesens usque renuntiatus est.

Civitas Medellensis in provincia, cui vulgo nomen ***Condina/marca*** ditionis Neogranatensis vel Statuum foederatorum Columbiae in America Meridionali, amoeno ac salubri in loco aedificata ab ultra quattuordecim millibus inhabitator catholicis incolis.

Cathedrali templo Bmae Virgini Mariae a Purificatione dicato aliud satis commodum decens ac novum substituendum erit sub invocatione Immaculatae Conceptionis eiusdem Bmae Virginis; et Archiepiscopo Sanctae Fidei de Bogota suffragatur.

Eius Capitulum, quod duabus constare debet dignitatibus, Decano scilicet ac Thesaurario, duobus item Canonicis de gratia, quatuor cum theologo ac poenitentiario de officio, ac tandem duobus portionariis ac totidem semiportionariis, ad praesens duas recenset dignitates, ex quibus maior, post pontificalem, Decanatus, duos Canonicos de gratia ac totidem Portionarios.

Parochus Cathedralis, qui curam gerit animarum, suum explet officium ipsamet in Ecclesia Cathedrali, ubi fons adest baptismalis et nonnullae praesto sunt Sanctorum reliquiae decenter adservatae.

Nulla alia reperitur Medellensi in urbe paroecialis Ecclesia, nec mons pietatis, sed mulierum religiosa domus, aliquot laicorum sodalitates, hospitale atque seminarium.

EPISCOPALEM ECCLESIAM MAXIMOPOLITAN. sub Archiepiscopo Bostrensi in partibus infidelium vacan, per obitum bo. me. Pauli Carnevali ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus evexit ad eamdem Ecclesiam et in Auxiliarem R. P. D. Vincentii Arbelaes Archipraesulis de Bogota deputavit R. D. Moysem Higuera ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in archidioe-

cesi S- Fidei de Bogota progenitum ac in tricesimo quarto aetatis suae anno constitutum. Sacro Presbyteratus ordine dudum insignitus in ecclesiasticis obeundis functionibus, praesertim in Dei verbo praedicando, inque fidelium confessionibus excipiendis, laudabiliter emicuit, atque paroeciam de Succursu in archidioecesi Sanctae Fidei de Bogota hucusque assequutus est.

Maximopolis urbs Arabiae petreae adhuc sub infidelium iacet potestate; quare miserrimus eius status silentio praeteritum

Sanctissimus dein os aperuit, iuxta morem, Emis DD. Cardinalibus Ledochowski, d'Avanzo et Franzelin. Posuit insuper praedictis Emis annulum cardinalitium, assignans Titulum presbyterale S. Mariae in Aracoeli Emo Ledochowski, Titulum S. Susannae Emo d'Avanzo et Titulum SS. Bonifacii et Alexii Emo Franzelin.

EX 8. CONGREGATIONE CONCILII

LACERATIONIS

Nihil transeat.

Die 2é Iulii 1875.

Antonius G. presbyter e Dioecesi R. nuncupativo testamento diei 4 iulii 1728 publicis actis tradito, haeredem usufructuarium vita durante instituit sacerdotem Petrum, unum ex suis nepotibus. Ipso elato, voluit ut eius haereditas, seu nonnulla praedia cum domo in civitate R. sita, sacrum patrimonium constituerent pauperis et morigerati sacerdotis; quatenus non adessent filii legitimi suorum nepotum Stephani et Iosephi qui studiis incumberent. Reliquit etiam facultatem haeredi usufructuario patrimonium praedictum assignandi personae idoneae, quae requisita ab ipso constituenda haberet.

Praevidens autem casum quo sacerdos Petrus e vivis migraret, quin praedictum patrimonium alicui adsignasset, et filii nepotum Stephani et Iosephi minime operam darent studiis litterisque tunc voluit ut Archidiaconus, Praepositus, Camerarius, et tres alii Canonici antiquiores, modo et forma ab ipso praescripta patrimonium elargiantur. Quod si existèrent filii e legitimo matrimonio nati ex Stephano et Iosepho qui ad studia incumberent post mortem sacerdotis Petri G., iussit ut isti succédèrent haeredes usufructuarii super terras et domum quae ad dictum patrimonium spectabant usque ad aetatem annorum 21. Casu quo plures essent eiusmodi filii, tunc usumfructum divisum voluit pro aequali, et si inter eos exurgeret aliqua quaestio, eam dirimet Canonicus Camerarius. Noluit ut illi qui 21 annos excederent in habitu saeculari frui possent usufructu praedicto. Tamen voluit ut incapax et idoneus esset, qui scandalum dedisset, aut fuisset inquisitus civiliter aut criminaliter, quamvis descenderet a supracitatis nepotibus.

Praeter omnia haec decrevit vacare patrimonium, non solum morte rectoris, sed etiam si ipse fuerit provisus beneficio sufficienti; ab hac autem regula excepit sacerdotes, qui a Stephano et Iosepho eius nepotibus per lineam masculinam derivarent. Denique prohibuit arbores recidi, nisi prius eas observasset Canonicus Camerarius pro tempore, sub scutatorum decem, et caducitatis poena ex parte descendentium.

Itaque quum testator mortuus fuisset, sacerdos Petrus G. patrimonio potitus est; post obitum istius patrimonio perfruitus est Rinaldus G. qui privilegio utens ex testamento promanante patrimonium dictum retinuit etsi postea beneficio parochiali fuerit donatus. Post hunc possessionem patrimonii nactus est alter Sacerdos Antonius G. qui anno 1796 sub Gallorum regimine, vi legum ab his latarum sibi adscivit, uti domino, dotem patrimo-

mi, et unam domum in civitate R. positam adsignavit nepoti sacerdoti Iosepho G. titulo patrimonii sacri, et ultimo suae voluntatis elogio totum relinquebat patrimonium dividendum uti rem propriam inter filios fratris et sororum. Proinde isti praedia vendiderunt, et pretium inter sese diviserunt. Domus vero remansit favore Iosephi sacerdotis qui post divisionem haereditatis perceptae a palmo sacerdote Antonio uti rem suam considerabat; propterea decedens sub die 25 Novembris 1833 de ea disposuit in suo testamento favore sororis Albae.

Attamen illius temporis subcollector spoliorum protestatus est, comminans se velle adire haereditatem uti spectantem piae causae ; Alba vero leges opponebat gallicas. Ut lis itaque dirimeretur, pro qua profecto ingentes expensae erant obeundae, nec non habito respectu ad paupertatem Albae, transactio quaedam inita fuit, utraque parte assentiente, sequentibus pactis et conditionibus; videlicet quod Revmum Capitulum concederet Albae G. 1° usumf metum praedictae domus sua vita durante, a die stipulationis transactionis illius; 2° quod Alba G. onus sibi imponeret restaurandi domum eamdem modo convenienti, idque non peragens assentita est posse coarctari iudicialiter ; 3.° quod poct Albae G. obitum domus ipso iure cederet in dominium Capituli, quod possit ac debeat iuxta praestitutas formulas eligere clericum, qui ea fruatur ecclesiastici patrimonii titulo.

Quum anno 1855 Alba e vivis excederet conventio eiusmodi suum sortita est effectum ; nam Capitulum iure suo utens ad Patrimonium nominavit sacerdotem M. requisita constituta habentem; eoque mortuo anno 1857 patrimonium contulit alii sacerdoti. Illo etiam demortuo, paucos post annos istius haeredes Indultum pontificium obtinuerunt, assentiente Capitulo, vi cuius ad triennium eis concedebatur ususfructus domus ob restaurationes in ea a Sacerdote peractas.

Per italicas leges (vulgo di demaniazione) Capitulum, auctoritate pontificia interveniente, domus pretium excepit. Anno 1873 dum Capitulum esset collaturum dictum patrimonium, aliqui de familia testatoris descendentes et alibi morantes, habita notitia de patrimonii vacatione, ius super re adfirmarunt. Capitulares vero, qui ad nominationem Rectoris patrimonii vocabantur ab institutore beneficii, perpenso testamento et dicta conventione, omne ius favore praetendentium reiecerunt, et patrimonium contulerunt sacerdoti Ioanni B. requisitis omnibus a testatore constitutis pollenti. Hinc Ioannes G. in Curia Ecclesiastica R. impedimentum, quod audit *nihil transeat,* opposuit praesentans suum filium sex annorum.

Quapropter his in adiunctis, supplex S. C. Congregationi libellus porrectus fuit ut quaestionem dirimere dignaretur.

Disceptatio synoptiea.

EA QUAE CAPITULUM PRODUXIT IN SUI FAVOREM. EX triplici capite reiiciendas esse preces Ioannis G. contendit Capituli defensio : 1.° scilicet ex eo quod descendentes G. iuspatronatus in themate amiserint; 2.° Ex conventione inita a Capitulo cum Alba G.; 3.° Quia in asserto descendente G. non verificantur extrema ab Institutore volita in tabulis testamentarius.

Quod iuspatronatus amiserint indubium esse edixit; nam fratres G. vi iniquarum legum Gallicae Reipublicae bona pro patrimonio constituta, uti bona propria vendiderunt, quod a nemine impugnatur. Ast explorati iuris est, patronos, qui bona iurispatronatus usurpant, vendunt, atque aliénant, dicto iure privari. Ita ex Conc. Trid. *Sess.* ***25,*** *cap.* ***6*** *de reform. Sess.* ***22,*** *cap. Ii.* Quapropter patet iuspatronatus favore descendentium G. amplius non existere, ideoque preces in casu reiiciendas esse. Et id innuere satis superque fuisse, quia deficiente iurepa-

tronatus inutile ac superfluum est inquirere cuinam illud competat.

Verumtamen facta hypothesi quod descendentes G, haud amiserunt huiusmodi iuspatronatus, profecto conventio inita a Capitulo cum Alba G. impedimento fuit quominus oratoris vota exciperentur. Siquidem Ioseph G. uti rei propriae moderator, et arbiter suae voluntatis elogio diei 28 augusti 1830 haeredem instituit sororem Albam G. Inter bona haereditatis domus aderat a Iosepho in suam partem accepta, dum Gallus miles imperaret. Exorta deinde lite inter Capitulum et Albam G. quoad eiusmodi domum, ad amicam devenerant conventionem uti dictum est.

Vi itaque istiusmodi conventionis private initae sub die 15 februarii 1837 Alba G. dictae domus reditu potita est usque ad annum 1865, quo diem obivit supremum,, quin unquam reclamatimi fuerit. Ab hoc tempore usque ad annum 1873 Capitulum ius ab inita conventione collatum pacifice exercuit. Ideoque palam fieri, vi conventionis huius nullo iure potiri descendentes G.

Hodie de ipsius validitate atque efficacia ambigi nequit ob defectum beneplaciti Ecclesiasticae potestatis: 1.° quia post lapsum tanti temporis illud praesumi legitime potest; 2.° quia silentium familiae G. per quadraginta fere annos servatum ab inita transactione, omnem illis abstulit actionem, quin ignorantia eis patrocinan valeat cum lex vigilantibus non dormientibus adsistat.

Verum quamvis descendentes G. iuspatronatus haud amiserint, quamvis inita conventio nullius fuisset roboris atque efficaciae, et Capitulum nullius praescriptionis praesidio iuvari valeat, nil tamen descendentes G. proficere putavit Capituli defensio, quia in themate non verificantur extrema a pio Institutore volita in testamento. Siquidem ex tabulis testamenti, ex verbis a testatore adhibitis manifestum apparere ait, voluntatem testatoris

fuisse, ut patrimonio ab ipso constituto ille sive descendens, sive extraneus fuerit, perfrueretur, qui aut sacerdotio *actu* praeditus esset, aut proximus foret ad sacros ordines suscipiendos. Porro filius Ioannis G. neque sacerdotio *actu* praelucebat, neque sacros ordines mox erat suscepturus, puer enim tunc erat septem vel octo annos natus. Ideoque quum requisitis a testatore volitis haud polieret hodiernus filius G. descendens, consequi illum obtinere non potuisse dictum patrimonium, ideoque preces in themate reiiciendas esse conclusit.

EA QUAE PRODUXIT IOANNES G. AD SUA IURA PROTUENDA. Ad tabulas testamentarias illico confugit iste pro se tuendo. Ex illis enim clare patet, ait ille, pium testatorem duas instituisse vocationem sedes pro patrimonii fruitione : 1.° enim vocavit, prae omnibus, masculos legitimos qui nascerentur ex duobus suis nepotibus Stephano et Iosepho; 2.° nisi adfuerint isti facultatem dedit sex Canonicis Capituli R. ducendi sorte, intra sex pauperes presbyteros, unum qui frui patrimonio deberet.

Esse autem regulam omni exceptione carentem tum ex sacris Canonibus, tum ex iure civili atque ex iurisprudentia haud posse ad secundam vocatorum sedem transiri nisi concludenter probatum fuerit primam vocatorum sedem transiri nisi concludenter probatum fuerit primam omnino exhaustam fuisse.

Existere adhuc primam vocatorum sedem evincere conatus est demonstrans sese Aliumque suum Antonium descendere per lineam rectam agnatitiam ab uno ex duobus nepotibus quos testator nominaverat; et quia in iure certum est in favorabilibus sub filiorum nomine comprehendi etiam nepotes et istorum filios *L filii L. Iusta L. Liberorum ff. de V. S. Donnell ad Tit. 28, Lib.* 4 *ad S. C. Maced, in L. Si filius.*

Iuridicam eiusmodi interpretationem confirmari testatoris voluntate : qui loquens de indignis voluit ut ex-

cluderentur etiamsi descenderent a praecitatis nepotibus. Ideoque pro testatore filii et nepotes idem erant.

Eiusmodi voluntatem testatoris colligi etiam posse ex modo quo provideri voluit pro casibus vacationis diversis; eo quod semper praeferri cupivit descendentes masculos ex duobus nepotibus. Quinimo de secunda vocatorum sede loquens semper adiunxerit: dummodo abiuerint descendentes G.

Insuper quum Institutor proposuisset sibi vacationis casum aut per mortem, aut per aliam ecclesiasticam provisionem, aut per damna fundis beneficii irrogata, vocavit ad patrimonium presbyterum si adfuerit inter descendentes, dein filios masculos ex duobus nepotibus; et iis deficientibus concessit nominationem sex Canonicis. Attamen nunquam descendentes exclusit in concursu extraneorum etiam presbyterorum.

Sic usque ad annum 1855 actum fuisse constat; quo tempore tantum pro prima vice nominatus fuit presbyter extraneus, eo quod, ut ex actis constat, putatum fuit extinctam fuisse lineam descendentium G. Quapropter conclusit, etiam observantiam fuisse in sui favorem; ideoque suas preces excipiendas fuisse.

Quibus rebus utrimque notatis EE. Cardinalium iudicio dirimendum suppositum fuit.

Dubium.

An sit locus lacerationi nihil transeat in casu.

RESOLUTIO. Sacra Concilii Congr. die 24: Iulii 1875, causa cognita, ad propositum dubium respondere censuit:

Affirmative et amplius, et ad mentem; mens est quod nominatio sacerdotis B. non sustinetur, dum iam provisus sit.

EX QUIBUS COLLIGES :

L Concilium Trid. anathemati subiicere illos omnes, qui quocumque quaesito colore bona, res, iura aut reditus alicuius Ecclesiae occupaverint, aut impedire praesumpserint ne ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur.

II. Eiusmodi usurpatores tandiu anathemati subiacere quandiu bona, res et iura praedictae Ecclesiae aut eius administratoribus integre restituantur, ac deinde a R. Pontifice absolutionem obtinuerint.

III. Patronos vero alicuius Ecclesiae, qui omnia haec facere praesumpserint, ultra praedictas poenas, etiam iurepatronatus eo ipso privatos existere.

PENSIONIS.

Die 27 februarii 1875 et é martii 1876.

Compendium facti. Urbanus V Pontifex Maximus quatuor erexit Beneficia ecclesiastica in Cathedrali M.; quae Beneficia sub Clericatuum Capitularium nomine veniunt, et quorum provisio et collatio ad Episcopum pro tempore, de consensu tamen Capituli, spectat. Anno 1871 accidit ut ex illis unum vacaret, et Clericus B. idem Beneficium obtinuerit ab Ordinario, assentiente Capitulo; ea tamen sub conditione, ut Apostolicas litteras infra mensem, sub poena caducitatis consequeretur. Has iste opportuno tempore petiit. Verum quum Sacra Dataria in illis expediendis, instante Ordinario M. (qui tamen praefati Clerici consensum obtinuerat) pensionem 75 libellarum favore sacerdotis Z. reservavisset, praedictus clericus B. se gravatum reputans ad S. C. C. confugit ut ab onere sibi imposito liberaretur. Interea temporis in id consilii venit ut pensionem praescriptam minime praestaret. Quapropter etiam sacerdos Z. ad eamdem S. Con-

gregationem suam detulit causam enixe deprecans ut Apostolicarum Litterarum praescriptio executioni mandarent.

Disceptatio synoptica.

Praemonendum est in themate agi debuisse de pensione Litteris Apostolicis praescripta, quod fieri nequit sine venia; qua vero petita, Sanctissimus benigne annuit pro gratia ut causa proponeretur in generalibus S. Congregationis Comitiis, praevia dubii formula « *an intret arbitrium pro aperitione oris* ».

Eiusmodi arbitrium aperitionis oris intrare notandum est quoties vel falsitas suggesta fuerit, aut veritas in precibus reticita. Id evenisse in casu de quo agitur haud dubitari potuisse visum est; quia Ordinarius ipse fassus est se in errorem, quamvis involuntarium incidisse quoad redituum quantitatem, quum de ea S. Datariam certiorem redderet. Hinc ad textum in *Cap. Super Uteris de rescript, in 6,* arbitrium praedictum intrare videtur quum obreptio et subreptio adfuerit.

Attamen ex adverso quum neque falsitas suggesta, neque veritas reticita fuisset *dolose,* visum est haud locum fieri huiusmodi aperitioni oris. Siquidem clericus B. consensum praebuerit pro pensione imponenda haud ignorans redituum quantitatem ex dictis Clericatis derivantem, dum iamdiu ipse sacristae munere functus sit in Ecclesia eadem. Ideoque fraudem et dolum haud adfuisse dici potest. Verum quaestio discussa fuit in comitiis generalibus sub duobus dubiis in calce relatis.

EA QUAE CLERICUS B. PROTULIT. Ut onus pensionis huius a se proiiceret clericus B. suggessit: reditus sui beneficii ita esse tenues, ut deductis vectigalibus, scutata quadraginta vix aequarent; a quibus si libellae 75 pro pensione subtrahi deberent, superessent tantum 25 scutata, quam pecuniae vim neque ad honestam sustenta-

tionem, neque ad Ordinationis (quam proximam sibi ominabatur) titulum constituendum, parem fuisse neminem latere ait. Defectui eiusmodi haud prospici potuisse stipendio Sacristae muneri adnexo; dum stipendium quam parvum sit, et Sacrista ad Superioris nutum amovibilis extet, eo quod cuiuslibet praebendae expers sit. Minime ex adverso pensionis istius indigere sacerdotem Z. dum eius reditus ex duobus pinguibus beneficiis, ex Capellania parochiali, et ex alia pensione scutatorum decem, in unum confiati, summam constituant biscentorum vigintiquinque scutatorum. Ergo pecuniae cupiditatem, minime vero necessitatem ad honestam sustentationem ostendere presbyterum Z. ait dum parvam aucupetur pensionem. Ille enim etiam ex testimonio Capituli, praeter domesticum patrimonium ingenti summa libellarum 1259 ex bonis Ecclesiae fruitur: beneficium vero clerici B. non excedere vim libellarum 279.

Quapropter factorum historiam retexens clericus B. ostendit, se petiisse eiusmodi Beneficium, Capituli voto, ab Ordinario qui adpromisit illud. Affirmans autem Ordinarius beneficium concessum nonaginta scutata excedere, priusquam collationis Litteras expediret, consensum de pensione praestanda obtinuit. Cognito autem quod beneficium vix scutata quadraginta attingeret, clericum B. Ordinario patefecisse se minime illud accepturum tali gravatum onere. Attamen, post Collationis litteras, absque ulla conditione ab Ordinario datas, se recepisse ait clericus B. Apostolicas litteras quibus dicta pensione se gravatum vidit. Eisdem obtemperare renuisse sola impotentia adactum. Repetiit Ordinarius Apostolicas Litteras a clerico B.; quibus fretus presbyter Z. rapuit illum, quamvis inutiliter, apud laicum tribunal.

Ex quibus factis deduxit clericus B. plura ad suum ius protuendum; primo nempe se in errorem ductum fuisse ab Ordinario quoad beneficii reditus; ideoque nul-

Luis fuisse valoris suum consensum. Deinde cum preces, quas Episcopus Pontifici exhibuit pro reservatione pensionis obtinenda, falsa hypothesi niterentur, quoad fructus ipsius beneficii; hinc vitio nullitatis Pontificiam praescriptionem affici liquidum fuisse ait. Quod probare nisus est ex Episcopi relatione, qui candide fassus est se reapse in errorem, licet involuntarium, quoad redituum quantitatem, prolapsum fuisse. Tandem observavit, quod etiamsi valido niteretur fundamento ab initio pensio ista, nunc amplius ei locus non esset; quia concessa fuit presbytero Z. ((*-donec ipsi aliter provisum fuerit* » ceu Litterae Apostolicae sese habent. Presbyter ille Capellaniam Capitularem assequutus est; ergo ipso iure pensionem amisisse dicendum est.

EA QUAE PRESBYTER Z. IN SUI FAVOREM PROTULIT. Contra ea quae hucusque relata fuere sacerdos Z. notavit quod ab Ordinario vocatus fuit antequam clerico B. Clericatum Capitulare conferretur, sibique collatum fuisse beneficium illud. Cui praebendae nuncium misit, eo quod tunc temporis capellani ruralis munere fungebatur, sed hac sub conditione, ut ab illa aliqua pensio sibi redderetur. Quod Ordinarius concessit, conferens eiusmodi praebendam clerico B. a quo consensum obtinuit pro pensione illa imponenda. Arguit autem falsitatis clericum B. autumans Clericatus Capitularis reditus ascendere ad libellas 300; minime vero ad sola scutata 40. Asseruit etiam esse falsum se percipere 225 scutata ex cumulatis beneficiis; dum summa suorum redituum vix pertingat ad 83 scutata, detractis expensis et vectigalibus. Haud fuisse veram clerici B. inopiam eo quod bonis patrimonialibus, et duplici emolumento praebendae nempe Clericalis et Sacristae praeditus sit.

Pariter eidem non fuisse credendum in his quae a iure deducere praesumpsit. Etenim Ordinarium induxisse illum in errorem quoad praebendae reditus dici non po-

fuisse. Eo quod quum ille Sacristae munere in Cathedrali Ecclesia longum tempus perfunctum fuisset ignorare idem nequibat quales et quot essent reditus Clericatuum Capitularium, qui maiori ex parte ex mensa capitulari desumuntur. Insuper neque Litteras Apostolicas suam amittere vim potuisse, quippe quae haud nisae fuerint falsae Ordinarii informationi; dum isthaec informatio minime adfuerit. Quin imo ab ipsis Litteris contrarium evinci potuisse; siquidem in illis praebendae reditus ad 30 ducata auri de Camera reduci perhibentur non secundum Episcopi, sed secundum ipsius clerici B. enarrationem.

Ut aliquid probaret, ait, clericum B. evincere debuisse Pontificem in assignandis reditibus illius praebendae in errorem calculi prolapsum fuisse, ideoque praescriptam pensionem utpote fundamento destitutam in tenues auras abiisse. Sed frustra in id conatus esset; nam Pontifex fructus praebendae 30 ducata auri de Camera non excedere putavit; atque ita existimans pensione 75 libellarum Clericum gravandum duxit. Et ideo nullam autumavit presbyter Z. irrepsisse falsitatem in Apostolicas Litteras; dum ex confessione clerici B. praebendae reditus ascenderent ad summam circiter libellarum 300; et ex adverso 30 ducata auri de Camera multo inferiorem efforment summam. Quapropter si Pontifex verum praebendae fructum agnovit, ac super eo pensionem 75 libellarum imponendam censuit, eiusmodi onus excutiens Apostolicae praescriptioni refragari vellet. Plura retulit ut evinceret suos redditus esse pauciores quam quos pars adversa significavit illum habuisse; et complures ex illis effectos fuisse incertos ob intromissionem Civilis Gubernii in rebus Ecclesiae. Ex quibus adiunctis et deductionibus censuit clericum B. omnino teneri ad praestandam eiusmodi pensionem, revocans eidem in mentem gravissima illa quae in Litteris Apostolicis habentur verba. « Nulli

« ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae....
« voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.
« Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignatio-
« nem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apo-
ce stolorum eius se noverit incursurum ».

Praenotatis his, aliisque in utramque partem EE. CC. iudicio supposita fuere duo quae sequuntur

Dubia.

I. *An intret arbitrium pro aperitione oris in casu.*

Et quatenus *Affirmative.*

II. *An sustineatur impositio pensionis in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Concilii Congr. die 27 Februarii, causa cognita, respondere putavit.

Ad primum *Affirmative.*
Ad secundum *Negative.*

CAUSAE PROSEQUUTIO. Verum etsi victus, animo autem haud deiectus presbyter Z. novae audientiae beneficium expostulavit, votique compos factus fuit. Rediit itaque ad trutinam controversia cum duobus sequentibus

Dubiis.

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in primo dubio in casu.*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu.*

Sacra eadem Congregatio, causa iterum discussa, sub die 4 martii 1876, hanc protulit sententiam :

Ad primum et secundum in decisis et amplius.

EXINDE COLLIGERE LICEBIT :

I. Pensiones impositas per Litteras Apostolicas omnino praestari debere, ita ut si qnis, oppositionem faciens, haud illas solverit, gravissimas incurreret poenas.

II. Verumtamen evenire posse pensionem aliquam Litteris Apostolicis praescriptam fuisse, eo quod vel falsitas super redituum beneficii quantitatem suggesta fuerit aut veritas reticita.

III. Quo in casu pensione gravatos haud ab onere eiusmodi liberari posse, nisi S. Tribunal, ad quod recursus habeatur, veniam obtineat a Sanctissimo Patre ut quaestio disceptanda proponatur in generalibus Comitiis.

IV. Romanum Pontificem concedere solere aliquando eiusmodi veniam; nempe ut lis disceptetur plenis Comitiis ad obreptionem vel subreptionem detegendam, praevia tamen dubii formula, *an intret arbitrium aperitionis oris.*

REINTEGRATIONIS ET SOLUTIONIS HONORARII.

Die 11 decembris 1875.

Compendium facti. Sacerdotes C, D, B professores in Seminario, et Collegio quae in Dioecesi A. habentur, separatis libellis S. C. Congregationem adiverunt, ea quae sequuntur expostulantes : Nullam declarari eorum remotionem ab officio professorum his de momentis ; quia sine causa et ratione peracta fuit; et quia caruit remotio illa omni forma; dum facta fuerit absque consilio Deputatorum super disciplinam Seminarii : ideoque ordinari reintegrationem in cathedris respectivis, nec non honorariorum solutionem a tempore iniustae remotionis.

Episcopus de more requisitus retulit in propositum : professores D. et B. ab officio haud remotos fuisse, sed

sponte se dimisisse; professorem C. fuisse a Cathedra remotum eo quod pingui praebenda donatus fuit, ideoque, ex usu, cathedram dimittere debebat. Non audivisse Seminarii deputatos; eo quia professores D. et B. fuerunt voluntarii dimissionarii ; professorem vero C. fuisse theologiae lectorem in Collegio, quod nil commune cum Seminario habet ; ideoque haud opus fuisse audiri.

Disceptatio synoptica.

EA QTJAE PROFESSORUM FAVORE PROSTANT. Professorum patronus animadvertit magisteria Seminarii et Collegii Seminario *adiecti* esse *quidem mere Ecclesiastica* non *perpetua,* sed *temporanea et amovibilia ad nutum.* Verum haud concessit eiusmodi amovibilitatem ita esse intelligendam ut procedere possit temere pro arbitrio et quandoque ad Superioris vindictam. Eoquod ex Fagnano *Cap. Consultationibus de C 1er. aegrot.* neque Summo Pontifici competat absoluta facultas privandi clericos inferiores eorum Officiis *sine causa.* Et eo perduxit causae necessitatem, ut eam requireret etiam pro remotione ab officiis illis, quae collata fuerint cum clausulis *ad libitum, ad nutum.* Idque probare sategit auctoritate *Rice, collect, decis.* ***2011,*** *n.* ***7*** *et* ***8.*** Imo subiunxit S. C. Congregationem quasi praefinivisse muneris *perpetuitatem* in professoribus Seminarii, spectabilibus ; *ceu* Bened. XIV *in Synodi Dioec. lib. V, cap.* ***11*** refert. Instante enim Capitulo Salernitano Sacrae Congregationi C. dubium propositum fuit: *An duo Canonici electi ab Archiepiscopo ad constituendam educationem ptieromm Seminarii possint pro lubitu Archiepiscopi mutari.* Cui dubio responsum prodiisse : *Non posse amoveri nisi ex legitima causa.*

Verum in casu nullam adfuisse iustam causam putavit. Etenim etsi professor C. quadam donatus fuerit praebenda, tamen ea gravata fuit multis oneribus; et quam-

vis possessionem illius assequutus fuisset anno 1872 eius reditus solum obtinuit anno 1874.

Neque a consuetudine erui posse professorem C. dimittere debuisse cathedram illico postquam praebendam obtinuisset; eoquod illius praedecessor potiretur altera ex duabus illius aevi pinguioribus praebendis, et tamen adhuc fungebatur lectoris theologiae moralis munere in collegio, aetate etiam infirma. Pluraque id genus adduxit exempla : ex quibus erui posse ait magisterii dimissionem, obtenta praebenda, esse omnino voluntariam. Attamen ut in *voluntariis* et *facultativis* observantia constitui valeat non est opus aliquo facto, sed uniformi, et quod eidem accesserit contradictio et acquiescentia. Piton, *de controv. patron, allegat.* ***17,*** *n.* ***9.***

Quapropter quum neque canonicatus provisio, neque usus iustam exhibuerint causam ad remotionem ab officio professoris theologiae moralis; ideo fluere, veluti sponte sua, restitutioni et solutioni honorarii, a die remotionis, locum fieri.

Relate ad professorem B. evincere conatus est patronus nihil eidem obfuisse orientalium linguarum ignorantiam; eoquod ut magno cum successu sacras scripturas traderet, usus fuerit studiis commentatorum. Quod etiam exemplo aliorum professorum roboratur.

Ad remotionem professoris canonici D. quod attinet demonstravit patronus, Ordinarium talia eidem imposuisse onera quoad docendum in Seminario; ut ei opus fuerit vel scholae, vel distributionibus choralibus renunciare.

Edixit autem eiusmodi remotiones nedum iniustas ac rescindendas, verum illegitimas atque nullas ob pessumdatas praxeos formas, quae de iure servandae erant. Concilium enim Tridentinum *Sess.* ***23,*** *cap.* ***18*** *de Reform.* praecipere ait Ordinarium percontari debere Seminarii Deputatos in rebus eiusdem Seminarii administrationem

respicientibus. Et quamvis illorum iudicium haud sequi teneatur, pro matura tamen deliberatione eos consulere semper oportere, saltem in gravioribus, sub poena, si secus agat, nullitatis. Ita Ventriglia in *praxi fori eccles, tom.* ***2,*** *annoi.* ***29*** *de Seminario § unie, in fin.* Crispin, *de visit. part.* ***7, §31,*** *n.* ***6.*** Monacelli *form. iur. part. i, Tit.* ***12.*** Eligere autem ac removere magistros in Seminario constituere actum administrationis, id saepius tradidisse edixit S. C. C. in *Salernitana,* de qua in *lib. decret, pag.* ***22*** *et seq.* In *Fundana deputationis officialium Seminarii lib.* ***39*** *decret., pag.* ***129*** *et seq.* Verum in facto esse Ordinarium nunquam interpellasse Seminarii Deputatos pro remotione professorum de quibus agebatur. Proindeque nedum iniustas verum etiam illegitimas et nullas fuisse remotiones illas conclamavit patronus.

Nil valuisse obiicere canonicum C. fuisse professorem in Collegio, dum Tridentinum tantum loquatur de Seminariis ; in casu enim Collegium et Seminarium unum et idem sunt ex ipsius Collegii institutionibus. Nil pariter faciendum quod canonicus D. a schola abstinuerit; quia id peragens haud scholae renunciavit, sed tantum protestavit contra novum horarium sibi omnino infensum. Haud pariter hilum facienda fuisse testimonia domestica ab Ordinario prolata, dum ex iure canonico ipso improbantur in *cap. in litteris de testibus, « Non sunt testes idonei, quos actor de familia produxit* » tum ex iure civili *leg.* ***24*** *ff. de test. « Testes eos, quos accusator de domo produxerit, interrogari non placuit ».*

Tandem asseruit minime ambigendum esse Canonicum B. sponte sua cathedram neque dimisisse neque renunciasse. Eoquod prius a cathedra S. Scripturae, remotis Seminarii deputatis, eiectus fuerit; et post paucos dies ab illa historiae Ecclesiasticae; et eo ipso temporis momento, quo an haec sibi saltem relinqueretur poscere satagebat.

Quapropter quum istorum professorum remotio nulla

atque iniusta ex dictis reputanda sit, merito consequi censuit quod istorum quisquis in suo munere sit reintegrandus, et de toto honorario sarciendus tempore quo a schola quisquis abfuit ob impedimentum remotionis, quandoquidem « *imputan non debet ei per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum » cap. 42 de regul. iuris in 3.* Cardinal. De Luca *disc. 18, de tutor., n. 3.*

EA QUAE ORDINARII FAVORE PROSTANT. Praemisit Ordinarii defensor longe alia causa tres Canonicos professores ad inferendum Episcopo bellum notum fuisse ait non deficere illic presbyteros qui sanam doctrinam Ecclesiae corrumpere moliuntur, praesertim in instituenda iuventute. Tres professores canonicos quodammodo instituisse ait societatem ad Ordinarii labefactandam auctoritatem. Quod testimonio Capituli cathedralis ecclesiae et duorum parochorum constare fecit. Eosdem professores pariter noluisse, asseruit, sua nomina apponere, cum universus clerus dioecesis illius conclamaverit contra errores quos quidam de clero typis vulgavit. Quapropter isto facto nedum Ordinario sed ipsi Romanae Ecclesiae infensos se praebuisse canonicos illos, dum praestare obsequium renuerent tempore quo vulnus illa a schismaticis recepit. At historiam facti descendens Ordinarii defensor, enarravit Canonicum C. ea tantum de causa dimissum fuisse, quia maximum prae ceteris omnibus canonicatum obtinuerit, ceu fieri consuevit in aliis promofionibus. Canonicum vero D. neminem eiecisse; at Ordinarium eum invitasse ad legitimum horarium in lectione servandum; quod facere noluit, sed nunciavit se a munere discessurum. Tandem sacerdotem B. haud dimissum fuisse; sed cum duas lectiones traderet, atque alteram ex iis Episcopus ante Canonici B. nominationem a se peragendam quandoque dixisset; Praesul de facto hanc sibi praeservavit. Canonicus tamen duplex honorarium petiit pro una lectione, eoque recusato munus perferre detrectavit.

Antistitis orator autem descendens singillatim ad recitandas petitiones et argumenta demonstravit adversus Canonicum C. evinci ex deputatorum testimonio, atque ex codicibus beneficialium collationum tot fuisse resignationes, quot praeceptorum promotiones.

Attamen omnia haec fuisse extra causam asseruit; dum Canonicus C. debito tempore ab Ordinario de resignationis necessitate monitus responderit: *se mandatis obtemperare* paratum fuisse, et nihil aliud exposcere quam habitationem in Collegio unius anni spatio ; quam a Praesule, obtinuit. Atqui, posita resignatione, hanc ex intervallo, et rebus non integris revocari non posse tradit *cum* Parisio *de resign. lib. 1, qu. 12, n. i* - ibi : *Dummodo fuerit admissa resignatio per superiorem . . . . tunc praeiudicat, et incipit praeiudicare, et non potest résignons poenitere et revocare resignationem.* At res certe integrae dici nequeunt post octo mensium lapsum, post silentium, post alterius nominationem ac possessionem.

Quoad alias huius professoris assertiones retulit Episcopus, illum obtinuisse praebendae reditus ante sex menses quam scholam desereret ; eosdemque reditus pertingere quotannis ad 3566 libellas. Pro nihilo esse habenda, ait, quae a Canonico C. dicebantur quoad suffragii Deputatorum omissionem in eius dimissione ; et id duplici de causa. Nam forma haec pro Seminariis tantum a Tridentino praecipitur, minime vero pro aliis Collegiis quibuscumque; dein quia eiusmodi Collegium suos habeat deputatos, quos Ordinarius haud percontari omisit.

Gradum faciens ad Canonicum D. Episcopi patronus demonstravit plurimorum testimonio, illum nuncium dedisse magisterio quo fungebatur, eoquod Seminarii horarium a Capitulo ipso concinnatum, sequi noluerit. Ex his enim colligi fas est absonum reputandum fuisse de remotionam iure, causis et forma disputare in casu voluntariae abdicationis.

Quoad Canonicum B. observatum fuit ei duplicem cathedram fuisse traditam Sacrae Scripturae nempe et historiae ecclesiasticae. Ast in actu ipso nominationis monitus fuit Episcopum ipsum quandocumque Scripturae tradendae vacaturum. Biennio tamen duas Canonicus tradidit lectiones. Cognita sed vero eius imperitia Episcopus eum praemonuit, se lectionem alteram traditurum iuxta promissa. Paruit hic Ordinarii mandatis, sed duarum lectionum stipendium ut ante postulavit, aliter abdicaturus. Episcopus duplex dare renuit honorarium, atque ita dimissionem accepto habuit.

Quod si de remotione agi posset regulam sequendam praebere Lucidi *de visit. sacr. Um. vot.* ***2,*** *pag.* ***365*** **-** ibi: *Quare, ubi nonnisi ex iusta causa removeri lectores posse statuitur, praecaveri tantum videtur ne temere et ^ratio- nabiliter omnino ad eorum remotionem deveniatur.* In casu neque temere, neque irrationabiliter actum fuisse constat; tum propter lectoris imperitiam, tum quia Episcopus ante illius professoris nominationem sibi ipsis scripturae tradendae munus praeservaverat.

Haec dici poterat si agi potuisset de remotione. Verumtamen cum ipsis nominationis litteris Canonicus B. de futuro hoc eventu monitus fuisset, ab initio precarium officium accepit, serius, ocyusve dimittendum; et quod certe datum non fuerat, ablatum dici nequivit.

Ad nullitatis quaestionem propter omissum deputatorum suffragium deveniens ait: proponi inanem disceptationem, eoquod de remotione agi nequivit, et quia, posita rei iustitia, formae vitium, si aliquod adfuisset, verbo abstergeretur, teste eodem Lucidi *loc. cit. pag.* ***382,*** *n.* ***106*** **-** ibi : *Si rationes redditae fuerint coram Episcopo tantummodo, absque interventu deputatorum licet coeteroquin omnia rite processerint, actus validus dici certe non potest, et Sanatione Apostolica eum confirmare satius erit.*

Attamen neque vitii umbram adfuisse in casu ostendit defensio; quia Episcopus deputatos exquirere neque potuit, neque debuit. Haud enim potuit cum hodierni deputati infensissimi Ordinario sint; haud debuit quia praesentium deputatorum auctoritatem agnoscere delectavit; dum isti eiecerint e Seminario alios deputatos qui perpetui ex iure esse deberent.

Defensio tandem rem alio modoo confici posse credidit : recursum idest ad consuetudinem Dioecesis A. habens. Fretus enim Ordinarii patronus variis testimoniis evincere nisus est numquam in Dioecesi illa consuetudinem obtinuisse consilium Deputatorum exquirendi, nec in nominationibus, nec in remotionibus.

Hisce, hinc inde, in medium prolatis, proposita fuere enodanda

Dnbia.

A n dispositiones Episcopi A. quoad Professores C. D. B. sustineantur in casu.

Et quatenus *negative*

An sit locus reintegrationi et solutioni honorariorum praeteritorum in casu.

RESOLUTIO. Sacra Conc. Congregatio, die 11 Decembris 1875, causa discussa, sequenti modo respondere putavit :

Ad I. *Affirmative et amplius.*

Ad II. *Provisum in primo.*

Ex quibus erui posse videtur :

I. Ordinarios teneri ex sacrorum Canonum iurisprudentia Deputatorum Seminarii exquirere consilium, quoad administrationem eiusdem Seminarii [1]

[1] Ordinarii locorum tenentur ad formam decreti Concilii Tridentini, Sess. XXIII, cap. 18, eligere Seminariorum Deputatos: quorum consilium exquirere debent, licet sequi illud haud obstringantur, tam in constituendis regulis, quam in electione, admissione et expulsione puerorum, sicuti in deputatione magistrorum, visitatione et rerum temporalium administratione,

II. Attamen si Ordinarii locorum eiusmodi consilium quaerere debent; eosdem vero haud obstringi ad idem sequendum; quia Seminariorum Deputati habent votum consultivum, minime vero deliberativum.

III. Ex nonnullis S. C. Congregationis resolutionibus quoque erui electionem magistrorum in Seminariis constituere actum administrationis eiusmodi locorum.

IV. Ideoque pro electione et remotione magistrorum istorum, deputatos Seminarii esse audiendos, ut valide actum fuisse dici queat,

V. In themate videri aut defuisse eiusmodi deputatos, aut ita praeiudicatas et infensos Episcopo fuisse ut neque posset neque deberet illorum exposci consilium!.

VICARII CURATI PERPETUI.

Die 26 iunii 1875.

Ad S. Concilii Congregationem scripserat Archiepiscopus X quae sequuntur exponens. In parochiali S. Ioannis Ecclesia ab immemorabili clerus extabat qui saecularis et collegialis dicebatur, quin ob temporis diuturnitatem eius fundationem probare possibile fieret. Primicerium antiquitus habebat haec Ecclesia et Hebdomadarios tresdecim simplicibus beneficiis investitos, omnesque cu-

sicuti respondit S. C. Conc. in *Salernitana,* **quam refert Chrisp.,** *De visit.,* **par. % § 31, n. 6. Pariter in causa** *Fundana, Deputationis, Officialium Seminarii,* **26 Martii 1689 disceptatio sequenti articulo :** *An Episcopus potuerit et posset deputare Rectorem, aliosque Officiales Seminarii absque consilio deputatorum a Capitulo;* **responsum fuit:** *negative.* **Tandem in** *Nullius,* **an. 1595, lib. 8,** *decret,* **p. 97, ita legitur:** *S. Congregatio censuit omnes quatuor deputatos,* **de quibus agitur in cap. 18, sess. 23,** *adhibendos esse in consilio, in administratione rei Seminarii, praeterquam in compulsione ad portionem Seminario debitam, cuius facultas ad solum Episcopum spectat.*

Quod si deputatorum consilium haud exquirerent Ordinarii, facile suos actus nullitate inficerent; quia quando datur alicui potestas a lege et ab eadem adiicitur, quod faciat cum consilio alterius, illud de necessitate requiritur.

ram animarum exercentes. Anno 1692 per Bullam Innocentii XII sa. me. in Collegiatam Curatam erecta est, cum Capitulo, Choro, Stallo, Capitulari mensa, caeterisque aliis privilegiis quae Collegiatarum Ecclesiarum propria sunt. Constituit itaque Pontifex unicam primamque dignitatem, Primicerium : et cum eo Canonicos tresdecim, quorum favore privilegium servavit animarum curam exercendi inter se per turnum ; sed electione praemissa, et salvis electi examine ac adprobatione, Ordinario spectantibus.

Ast huiusmodi usum parochum ad *sex* menses eligendi, experientia docuit, modo animarum bono adversari potius quam prodesse : idque Archiepiscopis praedecessoribus et S. Congregationi notum fuit : illis namque sciscitantibus Sacram Congregationem respondisse ut curarent semestrem electionem facto ipso in eamdem quae digna fuerit personam cadere.

Ad omnia componenda Archiepiscopus instabat ut parochus inamovibilis in ea Ecclesia constitueretur, et quaedam proponebat tum circa eius institutionem tum circa praebendam ipsi assignandam. Et S. C. rescribebat: *Ponatur in folio et notificetur Archiepiscopo causam proponendam esse in pleno Emorum et Ttevmorum Patrum consessu, ideoque moneat Fiscalem Curiae Archiepiscopalis et Capitulum, eisque praefigat congruum terminum ad deducendum, quatenus velint, ulteriora iura sua coram S. Congr. et de resultantibus certioret *

Omnibus absolutis causa proposita est argumentis hinc inde allatis, quorum praecipua referet nostra

[1] Sacrarum Congregationum, et praesertim S. Concilii Congregationis haud peritis, quomodo decreta haec interlocutoria et a quo edantur ignotum rati, perutile censemus aliquid innuere de modo agendi in causis penes S. Congr. Concilii proponendis, quod per nos fiet in ***appendice*** proxime edenda.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE PRO ARCHIEPISCOPI PROPOSITIONE AFFEREBANTUR. Indubium esse, contendebatur, novam methodum de cura animarum canonicali praebendae perpetuo adnectenda, nedum veteri Ecclesiae disciplinae, nedum iuris dispositioni et Tridentini decretis congruere, sed etiam rationi. Quoad veterem Ecclesiae disciplinam testimonium afferebat Thomassinium *de V et. et Nov. Eccles, discept, part. i, lib.* ***2,*** *cap.* ***27,*** *n.* ***4,5, 6.*** Quoad Decretales in Corpore iuris clausas, eligebat *Cap. ad haec* ***3,*** *tit.* ***28,*** *lib.* ***1*** *et Cap.* ***1*** *de ceppell. Monach, in* ***6*** et *Cap. Extirpandae* ***30*** *de praebendis.* Demum quoad Tridentini Decreta recolebat *Cap.* ***13,*** *Sess.* ***21*** *de Reform,* et *Cap.* ***7,*** *Sess.* ***7*** *de Reform,* ubi disserens S. Synodus de animarum cura Cathedrali vel Collegiatae adamussim Ecclesiae adnexa, locorum Ordinarios hortatur ut per idoneos Vicarios etiam perpetuos animarum cura laudabiliter exerceatur.

Nec iuri scripto tantum sed et rationi repugnare amovibilitatem parochorum; quia Tridentinum Concilium ideo perpetuos parochos amovibilibus praefert, ut oves suas cognoscere valeant. Sunt enim pastores, et melius suas oves dignoscent si perpetui sint et non temporales. *S. Rota Romana* in *Decis.* ***53*** cor. Peutinger *n.* ***10*** *et seq.* Et S. C. C. hanc ipsam doctrinam saepius confirmasse praesertim in una *Nullius seu Montis Casini* ***25*** *Ian.* ***1726*** *et in Sarnen.* ***7*** *Iulii* ***1731*** et in aliis quampluribus.

Contra hanc iuris censuram non suffragari quamlibet adversam consuetudinem Gonzalez *ad Reg. Cancell. Gloss.* ***5, § 5,*** *n.* ***60;*** *Rota in Toletana Iuris Nominandi* ***29*** *novembris* ***1582*** *cor. Bianchetto.* Atque id tunc maxime obtinere, cum agitur de avertendis incommodis ab Archiepiscopo in facto demonstrans.

Proponebat itaque Archiepiscopus ut quam primum Canonicatus vacaret, Capitulum tres Sacerdotes praesen-

taret idoneos : sibique electio reservaretur, et electus examini quod caeteri Parochi subeunt et ipse subiiceretur. Electi idoneitate probata, hic parochus inamovibilis remaneret et canonicali institutus beneficio, quod semper parochi pro tempore personae unitum esset.

QUAE CAPITULUM RESPONDEBAT. Quidquid sit de veteri Ecclesiae disciplina (aiebat Capitulum) certum exploratumque haberi quod amovibilitas Vicarii Curati neque iuri communi, neque Concilio Tridentino, neque rationi repugnat. Textus namque ab Archiepiscopo allatos valde diversis in terminis loqui, scilicet de presbyteris Episcopo a monachis ut instituerentur praesentatis. Beneficia quae dantur in titulum et in quibus cadit institutio, perpetua vocari et esse. Illa e contra quae deputantur ad beneplacitum et in quibus nulla cadit institutio, sed simplex requiritur approbatio, curam non habere in titulum, sed nudum exercitium : ideoque absque ulla iuris reluctantia qui ea possident amovibiles esse.

Multo minus amovibilitatem Sanctae Tridentinae Synodi decretis adversari. In primis S. Synodum casus longe diversum considerare in *Cap.* ***IS,*** *Sess. 24 de Reform,* scilicet Parochiales Ecclesias certos quae fines non habent, et in quibus cura confuse ac promiscue administratur. Et etiam hoc in casu deputationem perpetui rectoris stricte non praescribere dummodo certus ille sit: sed alternativam proponere per verba « *aut utiliori modo prouti loci qualitas exegerit provideant* ».

Id magis confirmari ex dispositione *Cap. 7, Sess. 7 de Reform,* qua praecipitur 1.° animarum curam in beneficiis curatis quae Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis perpetuo unita et annexa reperiuntur pro certum et determinatum Vicarium exerceri debere, 2.° et Vicarium posse ab Episcopo decerni etiam perpetuum. Ex his erui haud adversari Tridentino Concilio amovibilitatem Vicariorum : et nonnisi * iuxta ac rationabili

causa concurrente fieri posse ut nova methodus inducatur, ubi iam existit antiqua. Huiusmodi theoriam et Pignatellium tradere *Tom.* ***3,*** *Consult.* ***143,*** *n. 14,* et confirmare *S. Rotam Decis.* ***1082*** coram Molines *n.* ***27*** *et* ***28.***

Quod autem haec punctim sit casui aptanda, patere ex qualitate Collegiatae S. Ioannis Maioris cui Vicarii perpetui constitutio repugnaret, cum ibi non per viam unionis et accessorie pertineat cura animarum Collegio seu Capitulo, bene vero principaliter et ex primaeva erectione; quo in casu apertam occurrere Canonistarum doctrinam. Ventriglia *Prax. rerum notab. part. I, adnot.* ***20,*** ***§ 2,*** *n. 4.* « In cura animarum spectante Capitulo, Colle- « gio, Beneficio, vel alteri pio loco, non per viam unionis, « sed ex primaeva erectione, vel alio modo non posset *de-* « putari Vicarius Perpetuus quia non esset secundum <(mentem Cap. Extirpandae et Concil. Trid. ac constit. « S. Pii V quae etiam loquitur in terminis unionum ».

Canonum et doctorum sententiam confirmare S. C. C. responsa in *Baren. Curae animarum* ***5*** *februarii et* ***27*** *augusti* ***1703,*** aliisque. Quamobrem nec rectae rationi convenire ut amovibilitas in casu supprimatur, cum recta ratio iubeat minime detrahi iis quae recte constituta sunt. Et recte constitutam fuisse amovibilitatem patere ex eo, quod nullum inconveniens deploratum fuerit in facto : immo bonum expectandum sit, quia Curati ob expulsionis timorem Ecclesiae accuratius inservient.

QUAE IN FISCALI VOTO TRADITA SUNT. Omnia accepto habebat fiscale votum et commendabat quae Archiepiscopus proposuerat. Et in primis monebat Concilium Tridentinum *Sess.* ***7,*** *Cap.* ***7*** *de Reform,* facultatem Episcopis concedere visitandi et sollicite providendi Beneficia Ecclesiastica Curata quae Cathedralibus, Collegiatis etc. unita et adnexa reperiuntur; verbaque citati capitis ita a Doctoribus explicari, ut appositio Vicarii sive temporalis sive perpetui ab Ordinariorum arbitrio pen-

deat ex circumstantiis dirigendo. Barbosa *iur. Eccles. Univ. lib.* ***3,*** *Cap.* ***3,*** *n.* ***12*** et in notis ad *Cap.* ***7,*** *Sess.* ***7*** *de Reform, n.* ***15, 31, 33.***

Afferebat etiam Constitutionem S. Pii V *Et si omnibus* 5 novembris 1571 qua *Motu proprio* undecim instituit Vicarias perpetuas in totidem Basilicis et ecclesiis Almae Urbis, cum assignatione portionum et obventionum pro singulis earum, ac praecipue insistebat rationi a Pontifice adductae novae ordinationis, quae est ut Vicarii perpetui animarum curam diligentius ac vigilantius gererent[1].

Fagnani auctoritatem invocabat qui *Cap.* ***6*** *ex part. de Off. Vicar. Num.* ***14*** *et seqq.* ostendit, utilius servitium Ecclesiis Parochialibus praestari a Vicariis perpetuis quam a temporalibus; et expedire ut Sedes Apostolica decernat, quod Capitula Cathedralium et Collegiatarum Ecclesiarum curam animarum habentium eamque per Vicarios temporales exercentium, cogantur ad deputandos Vicarios perpetuos qui curae incumbant.

Huius doctrinae (prosequebatur fiscale votum) aequitatem ac veritatem ostendere experientiam; quae docet Vicarii temporalis nominationem discordias et contentiones in Capitulis plerumque excitare ac fovere : e,t nonnumquam etiam sine causa, ob privatos affectus, eos amoveri qui immo Ecclesiae et Curae utiles essent. Praeterea, qui amovibiles sunt, Ecclesiam haud diligere, nec ovium sollicitam curam gerere, quas uti *suas* non respiciunt.

Quoniam vero Vicarii perpetui absque erectione tituli

[1] Verba Constitutionis *Et si omnibus* quae votum Fiscale invocaverat haec sunt: « Idcirco expediens duximus ut in singulis Basilicis et Ecclesiis « praedictis singuli Vicarii perpetui congrua fructuum portione, qua honeste « sustentari valeant, eis adsignata, prout in S. Concilio Tridentino et alias « a nobis per nostras literas statutum est, ponantur et deputentur ; qui « animarum curam huiusmodi eo diligentius gerant, quo magis eam proprie « ad se pertinere et sibi incumbere noverint ».

Vicariae institui nequeunt ex traditis per Barbos. *Collect. Doctor, in Conc. Trid. n.* ***17,*** ideo Archiepiscopum proponere, ut Vicarius in Ecclesia S. Ioannis Beneficio Canonicali sit investitus ; et ad normam Constitutionis S. Pii V *Ad exequendum* 1 novembris 1567 Canonicis eiusdem Ecclesiae Collegiatae ius tribuatur tres Sacerdotes praesentandi ad animarum curam exercendam idoneos, quos inter ab Episcopo electus non antea sit instituendus quam in examine habilis inventus et approbatus. His deductis propositum fuit

Dubium.

An et quomodo approbanda sit institutio Vicarii Curati in casu.

RESOLUTIO. S. C. C. die 26 Iunii 1875 rem censuit dirimendam per rescriptum :

Affirmative iuxta preces Archiepiscopi et iuxta regulas pro bonorum et obventionum administratione et perceptione a Capitulo proponendas et ab Ordinario approbandas.

Ex HIS QUI LEGIS ACCIPIES :

I. Ex SS. Canonum doctrina Vicarios perpetuos praeter amovibiles semper commendatos fuisse.

II. Post Concilii Tridentini decreta, amovibiles Vicarios obsolevisse, quia experientia docente, utiliores fidelium animis sunt Vicarii perpetui.

III. Nec melius commendari exercitium curae per turnum inter Canonicos Cathedralium Ecclesiarum vel Collegiatarum,

IV. In casu S. Congregationem ea quae bonorum et obventionum administrationem respiciunt, inter Capitulum et Ordinarium componenda, Capitulo quoad propositionem, Ordinario vero quoad approbationem remisisse.

EX S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

LEGATI PII SUPER DELETIONE HYPOTHECAE ET RESTITUTIONIS.

Die IO martii 1876.

Compendium facti. Vincentius L. supremis tabulis, quibus vitae suae curriculum implevit, quippe qui pius erat, sub die 28 iulii 1804 de rebus suis ita disposuit. Reliquit bonorum suorum proprietatem quibusdam sibi sanguine coniunctis (a quibus Carolus Philippus D. S. progenitus fuit); integrum eorumdem bonorum usumfructum suae consortis favore constituit; et instituit legatum scutatorum 200 pro Confraternitate Virginis SSmae Coronatae S. Ioannis, praestandum per haeredes proprietarios post praefatae obitum. Voluit ut legato onus duas celebrandi quotannis Missas inesset ad Altare SSmae Virginis in die Assumptionis; et iussit ut ex dictis scutatis 200 favore eiusdem Confraternitatis census constitueretur.

Vix e vivis excesserat testator Vincentius, quod socii Confraternitatis quemdam deputaverunt qui rationes iniret expensi et accepti a defuncto (qui eiusdem sodalitii administrator et depositarius fuerat), et obiectorum depositum reciperet. Ex quibus operationibus comperit deputatus defunctum Confraternitati debuisse scutata 614, 02, 5 praeter *triginta aureos monetae effectivae.* Quam pecuniae vim ab haeredibus statim solutam fuisse novo Depositario constat; ea tamen sub conditione ut expensi et accepti rationes novo examini subiicerentur. Id tamen variis de causis quum numquam peractam fuisset

anno 1821 ex hac vita usufructuaria vidua migravit; piumque Sodalitium scutatos 200 poposcit ut censum constitueret cum duarum Missarum onere. Heredes nuncium dantes iuri cuilibet contra Confraternitatem, obtinuerunt pro biennio petitam facultatem retinendi scutatos 200 ; solventes tamen scutatos decem pro quolibet anno in rationem quincuncem. Quum tamen per longissimum temporis spatium neque fundum praestarent haeredes, (quamvis iudiciis inceptis ad id pluries adigerentur) nec eius fructum conventum rependerent; anno 1857 Ordinarius iussit ut novo examini subiiceretur praedicta ratio expensi et accepti anno 1804 peracta. Noverat enim Ordinarius dubium super earumdem rationum veritatem causam praebuisse, qua haeredes solvere renuerent. Et revera ex illa nova investigatione constare visum est haereditatem pii testatoris debuisse Confraternitati tantum scutata 91, 17, 2, praeter scutata 50 aeneae monetae; et triginta aureos, et annuii aurei valorem in scutatis quinque; ita ut *totale* summam pertingeret scut. 211,17, 2. Ex quo comperi potuit haereditatem rependisse Confraternitati ingentem summam *indebitam.* Obiter praeterea notari debet, in cuiusdam muri ruina, duobus annis post testatoris obitum, repertas fuisse duas capsas parvas in quibus extabant, praeter varia religiosa insignia, plures annuii aurei atque argentei; ibi forsan a pio testatore abscondita, ut a quadam probabili rapina eriperentur.

Tempus enim erat quo Gallica seditio Italiam diripiebat. His noviter cognitis Carolus Philippus D. S. mense Februario 1874 recursum habens ad S. Sedem exposuit: secretum consilium Confraternitatis admisisse ceu novae liquidationis fundamentum, novi examinis *consequentiam.* Ex ea enim colligi potuisse haereditatem L. rependisse tale *indebitum* quo nedum plene compensata fuit 200 scutatorum nondum peracta solutio, sed etiam constitutum fuit creditum erga Sodalitium. Quapropter enixe

rogavit S. Sedem ut decerneret Sodalitium S. Ioannis suum praebere consensum ad omnigenas delendas hypothecas in propriis fundis inscriptas Sodalitii favore.

Ordinarius, de more, rogatus ut suam panderet sententiam, haec in proposito detulit; sese existimare ut comes N. (apud quem obiecta pretiosa deposita et amissa fuere) scutata 50, pretium eorumdem, solveret; de quo pretio pars cederet oratori Carolo Philippo D. S. pro delendis hypothecis, aliisque expensis; et pars reliqua daretur sodalitio, quod onus duarum Missarum in anno impleret, ei consensum praeberet ad omnes delendas hypothecas. Retulit insuper idem Ordinarius Sodalitii praesidem praeditum fuisse a sociis facultate subscribendi actum quo hypothecae delerentur; et (dummodo orator obiectorum pretio nuncium mitteret) Sodalitium duarum Missarum onus impleturum.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE ADVERSUS COMPENSATIONEM FACIUNT. Praenotandum venit quod eiusmodi controversia anno 1861 discussa fuit a S. C. E. et R. sub quatuor dubitandi formulis : in quarum prima petebatur an et quomodo *sententiae syndacatoriae* anni 1804 esset standum, vel novo examini esset subiicienda sententia illa. Praefata S. Congregatio respondere censuit : *Negative ad primam: affirmative ad secundam.* Ex quo inferre licuisse autumatum est: quod etiamsi admitteretur, eiusmodi novum rationum examen utriusque partis consensu perfectum fuisse, admittere etiam oporteret fructus indebitae summae solutae ab haeredibus decurrisse ab anno 1861 : eo quod solum hoc in casu Sodalitium debitor fieret erga haereditatem.

Ast admitti nequire compensationem ad effectum delendae hypothecae a Sodalitio renovatae; dum non liceat compensatio inter creditum liquidum et summam pecuniae illiquidam, quae creditam constituit *siccum* et ex se

haud fructiferum. Principium enim a canonica et civili iurisprudentia incontroversum adest, quo edicitur, *compensatio de liquido et illiquidum non admittitur.* De Luca *de Cred. disc. 48, n. 5;* ita ut etiam retentionis ius excludatur *ubi praetensio sit illiquida* cit. Auct. *De Comb. disc, n. 10.* Quinimo generaliter loquendo excluditur compensatio respectu crediti pecuniarii, si cum alio credito concurrat quod suapte natura, aut expressa conventione certum sit atque fructiferum. Ita De Luca *De Dote disc 161, n. 39,* in materia affine, quo tamen principales refert theorias, quae legitimae compensationis ius moderantur. « Satis
« tamen expedit inspicere an compensatio excludatur ex
« defectu voluntatis, vel ex defectu potestatis ; quia si so-
ci lus potestatis defectus consideratur ob tertii praeiudi-
« cium ut supra, tunc compensatio operatur suos effectus
<(in praeiudicium ipsius principalis compensare debentis,
<(ne ex. suo credito, quatenus de sua utilitate agatur, usu-
« ras consequatur, cum eas suo creditore ex alia causa,
<(saltem tamquam loco damni emergentis dimittere te-
« neatur; si vero defectus est voluntatis, tunc resultat ef-
« fectus in Curia Romana receptus, alibi vero nimis asper
« reputatus, quod nempe id si unum debitum est fructi-
« ferum, alterum vero pecuniarium adhuc concurrant ex
<(primo fructus ad favorem creditoris non obstante quod
« hic ex alia causa sit in aequivalenti sui debitoris debitor
« ob facultatem, quam eius creditor et respective debitor
« habebat urgendi ad solutionem debiti pecuniarii infru-
<(ctiferi, ut in specie decisum fuit in dicta Lovellen. CO-
CÍ ram Corrado, et clarius in eadem 26 maii 1653 cor. Peu-
c(ting. in qua vir obligatus erat ad restituendam dotem
cc filiis primi matrimonii, tamquam matris haeredibus,
cc ac erat eorumdem privignorum creditor in quibusdam
c< censibus, atque dicit Rota quod medio tempore, quo vir
cc dictam restitutionem facere omisit ad eius favorem
cc fructus census habuerunt suum cursum, e converso

« autem ipsius viri debitum, tamquam pecuniarium, mu-idas parturiit usuras ut habetur in dicta causa supra « Disc. 68 etc. ».

Quod legatum biscentum scutatorum esset vero fructiferum, clarum exurgit ex testatoris voluntate expressa, qui iussit ut ex illa pecuniae vi censum constitueretur favore Sodalitii. Est insuper iurisprudentiae regula, pium legatum ad onerum observantiam directum esse collocandum in re frugifera; quam maximam plures confirmant decisiones rotales, et praecipue Dec. 65 cor. Ansaldo *num.* ***29,*** *eLdec.* ***61,*** *cor.* Riminaldo *n.* ***8,*** *ibi* « Non enim « eius dispositio tam quoad usumfructum, quam quoad « Missarum celebrationem effectum habere poterat, nisi « dos ipsa collocaretur in re frugifera. Potissimum quia « ex decretis Sacrae Congr. Concilii praescriptum est *pe-« cuniam ob adiectum Missarum onus in bonis immobili-« bus esse collocandam.* Quantum ergo perspicuum est « Monasterium non esse adigendum, pensiones domus re-« stituere, tantumdem erit indeclinabile, quod rei con-« venti successores Ferrarii obstricti esse debeant fructus « Monasterio rependere ». Quapropter, etiam a re iudicata praescindendo, liquidum extat quoad legatum biscentum scutatorum, quod in censum converti oportebat, fructus rependi debere.

Ex adverso autem id non est ita certum quoad *indebiti* summam quae vi sua nil aliud est quam creditum siccum. Et quoad hoc perspicuae adstant canonicae iurisprudentiae dispositiones ad avarorum cupiditati froenum imponendum. Et Romani ipsi in sua naturali honestate si moderatam concédèrent usuram, constituebant istam in causa diversa a contractu pro sortis restitutione. Ita censuit Pomponius *I. usura* ***121*** *de verb. signifie. Usura pecuniae quam percipimus in fructu non est, quia non ex ipso corpore, sed ex alia causa est, idest ex nova obligatione,* quia, ut doctus hac super re advertit, usurae

haud ex moneta germinant ceu ex arbore poma, aut ex humo herbae. Et Cuiacius *Tom.* ***3,*** *col.* ***978,*** *tit.* ***2,*** *in lege Centum* ***8*** *De eo quod certo loco* notat: « *Hoc ostendit Africanus per comparationem obligationis usurarum, in qua duae sunt stipulationes una sortis et altera usurarum* ». Quapropter duo requirebantur contractus pro eo qui pecuniam mutuam daret; et primus contractus erat mutuus proprie dictus qui summam restituendam respiciebat; alter erat sive lucri cessantis sive damni emergentis. Ex his ergo inferre licet haud sodalitii consensum requiri aut attendi posse ad hypothecas delendas, dum id in praeiudicium loci pii verteret.

EA QUAE COMPENSATIONIS FAVORE PROSTANT. EX altera vero parte haud minoris ponderis fuisse rationum momenta favore Caroli Philippi D. S. pro compensatione admittenda ad effectum delendi vinculi hypothecarii. Et id praecipue erui si iuris principiis uniantur adiuncta facti, idest reiteratae protestationes contra rationum examen anno 1804 peractum, et confessio ipsius Sodalitii; *non datur enim maior probatio, quam proprii oris confessio.* Concesso enim quod heredes L. legatum biscentum scutatorum rependerint, ita ut etiam creditores fierent; videri illos ab anno 1804 relativos fructus exigere potuisse ; dum supponi nequeat voluisse relinquere infructiferam summam indebitam. Omnibus enim compertum compensationem esse *debiti et crediti inter se contributio I.* ***1,*** *ff. de compens.* et magis explicite *I. 4, fin. Cod. eod. tit.* « *compensatio est debiti ob aliud creditoris debitum extinctio ab eo tempore, quo utrumque existit ex communi mortalium effectu, auctoritate legis facta* ». Et Strickius pressius autumat compensationem haud esse partum iuris Romani, sed debitoris intentionem naturalem suo credito aliaextinguendi debita, si creditor fiat illius qui suum repetat debitum. *Diss.* ***22,*** *n.* ***16*** « *Est autem illud ipsum ius non mere romanum, sed haec potius cuiusvis debi-*

totis intentio, et votum est, ut ab eo tempore, quo creditor ipsi vicissim aliquid debet, liberari velit, quare leges romanae commune illud hominum desiderium saltem expresserunt et confirmarunt. Quod si factum non esset ipsa aequitas illud satis ostenderit. Non tamen ipsum ius aliter compensationem inducit, quam ex praesumpta voluntate eius, cuius interest ». Aequitati eidem respondent decisiones S. Rotae, quae maximam constituunt, qua innuitur fructus deberi titulo damni ab eo qui pecuniam retinet quae investiri debebat. Inter alias *recen. par. 17 Dec. 227 n. 8* « *Evidens* est iustitia sententiae condemnastis D. Du- « cem ad fructus decursus a die qua extraxit a Monte <(Pietatis Urbis scut. 2000, quae in dicto Monte relinquere « tenebatur, aequum est ut teneatur ad fructus ». Ex iis, aliisque auctoritatibus eruitar quod Confraternitas *ditior* effecta sit vi pecuniae indebite receptae; ita ut etiam bonae fidei respectu ad restitutionem adigeretur. Quoniam autem pecunia Piis Locis data secure et utiliter investienda est, ideo fructuum decursorum augmentum consequitur quoad summam solutam. Quod si theoria eiusmodi admitti posset ab anno 1804, eo fortius praevalere deberet ab anno 1861 ex quo S. Congregatio E. et R. novum censuit instituendum fuisse rationum examen. Eo quod aequitas ipsa suadeat haereditatem noluisse apud Sodalitium relinquere summam infructiferam ; cuius fructibus compensare potuisset proprium debitum. Et hic realiter, *aequitate inspecta,* locum habere videtur damni «mergentis theoria; quin recursum habeatur ad requisitos castrenses, qui magni ponderis esse nequeunt apud Ecclesiam, *quae est cultrix aequitatis et iustitiae.*

Quoad obiecta pretiosa post testatoris obitum inventa Sodalitium suam fulcivit actionem iuris atque facti praesumptionibus. 1.° Quia pius testator ceu Sodalitii depositarius apud se retinebat obiecta omnia ad Sodalitium pertinentia absque ulla distinctione, piarumque personarum

oblationes excipiebat. 2.° Secundum deducit argumentum ex natura et destinatione obiectorum votivorum; dum inverosimile visum sit testatorem ea empsisse pro se. 3.° Eorumdem multitudinem evincere ea obiecta destinata fuisse pro Ecclesia, minime vero in usum particularem familiae.

Carolus Philippus D. S. e contra asseruit obiecta controversa fuisse deposita apud Equitem N', eo consilio ut Sodalitium probaret an sibi pertinerent. Nam, absque probatione concludendi in contrarium, praesumi oportebat pertinuisse ad defunctum in cuius domo reperta fuere. Sacra eadem Congr. E. et R. innuit anno 1861 ut probationes coadiuvarentur; attamen Sodalitium nulla protulit ulteriora argumenta; proindeque locum habuit principium quo actor non probans actionem suam, reus conventus adstringi nequivit ad obiecta vel aequivalens in pecunia restituendum. Ita ut in iisdem casibus semper praevaleat liberatio ceu docet Averan. *Interp. Iur. lib. IV et VII : Quod minimum est sequi debemus, tum in stipulationibus, tum in legatis, tum etiam in sententiis: reatio est, quia propensiores esse debemus ad liberandum, quam ad obligandum L. Arianus 47, ff. de oblig. et action, eademque ratione faciliores ad minuendam, quam ad augendam obligationem; debitori enim magis quam creditori favere consentaneum est humanitati, atque innatae hominis erga hominem benevolentiae, ad L. 26 ff. de reb. dubiis.*

His aliisque praeiactis pro utraque parte, iustitiae, et sapientiae EE. CC. proposita fuere pro resolutione duo sequentia

Dubia.

I. *An et quomodo interponi debeat Apostolicum Beneplacitum ad concedendam deletionem hypothecariam super legatum scutatorum biscentum, et fructus respectivos in casu.*

II. *An, et quomodo et cuius personae favore restituenda sint obiecta pretiosa deposita in casu?*

RESOLUTIO. Sacra Congr. E. et R. die 10 Martii 1876, causa cognita, respondere credidit:

Ad primum : *Affirmative.*

Ad secundum : *iuxta votum Episcopi pro divisione in duas partes aequales et ad mentem; mens est: ut censeatur inter partes siluisse omnem accepti et expensi rationem; ut deletio fiat aere Caroli Philippi D. S. et Sodalitio inhaereat celebrandi Missas perpetuum onus, inscribendum in tabella onerum Sodalitii; et amplius.*

EXINDE INFERRE LICEBIT.

L Compensationem esse debiti et crediti inter se contributionem.

IT. Compensationem ex DD. haud esse Iuris Romani partum; sed debitoris votum et naturalem intentionem ut ab eo tempore, quo creditor ipsi vicissim aliquid debet, liberetur ab aliis debitis.

OT. Proindeque ius ipsum non aliter inducere compensationem quam ex praesumpta voluntate eius, cuius interest : exprimens ita et confirmans eiusmodi commune hominum desiderium.

IV. Ex S. Rotae decisionibus quoque erui maximam, qua constituitur : fructus deberi titulo damni ab eo qui pecuniam retinet, quae investienda esset.

V. In themate videri Confraternitatem *ditiorem* effectam fuisse vi fructuum pecuniae indebite receptae; ideoque ad restitutionem adigi etiam bonae fidei et aequitatis respectu.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

NUSCANA.

Sacerdos Raphael Vecchi Redactor Kalendarii in usum Nuscanae Dioecesis a Sacra Rituum Congregatione quae sequuntur Dubiorum declarationem enixe postulavit, nimirum:

Dubium I. Quum Aloisius Maria de Carpo in *Kalendario Perpetuo,* Capite V, *De Concurrentia,* num. II, tenet : Quod in concurrentia Festorum eiusdem ritus, sed diversae dignitatis praeferendum sit in Vesperis festum primarium iuxta posteriora decreta etiamsi secundarium habeat dignitatem obiectivam, exempli gratia : In Regno Neapolitano die 4 augusti Festum s. Dominici Conf. et Patroni minus principalis sub ritu duplicis maioris cum octava concurrit cum Festo s. Mariae ad Nives etiam duplicis maioris : Item in Dioecesi Festum Matris Divini Pastoris, adsignatum Dominica 4 oct., concurrit cum Festo s. Raphaelis Archang. Festum s. Ioachim Patris B. M. V., quando transfertur, concurrit cum Festo ss. Nominis B. M. V. et Festum Sacr. Cordis Domini Nostri Iesu Christi cum Festo s. Barnabae Apostoli. His positis quaeritur : in supradictis casibus Vesperae quomodo ordinandae sint, de s. Dominico, s. Raphaele, s. Ioachim, et s. Barnaba, uti Festis primariis, an de s. Maria ad Nives, Matre Divini Pastoris, ss. Nomine B. M. V. et Sacr. Cord. D. N. L C. uti dignitate praeditis, sed secundariis.

Dubium II. Festa B. M. V. Septem Dolorum Mensis Martii, et Septembris sunt ambo Festa primaria, an secundaria? et Festa primaria B. M. V. an sint solummodo septem Festivitates, nempe, Purificationis, Annunciationis, Visitationis. Assumptionis, Nativitatis, Praesentatio-

nis, et Conceptionis? dummodo aliqua Festa secundaria non gaudeant alicubi praerogativa Patroni principalis loci et Titularis Ecclesiae ?

Dubium III. In Dominica ultima Iulii pro hac Dioecesi adsignatum est Festum Patrocinii s. Amati Episc. Patroni principalis Dioecesis, quaeritur: quando occurrit cum festo s. Annae Matris B. M. V. eiusdem ritus duplicis maioris transferendum est Festum Patrocinii s. Amati, an s. Annae?

Dubium IV. In Kalendario cuiusdam Dioeceseos die secunda Novembris legitur praescripta in praecipuis Ecclesiis una Missa lecta in Altari maiori de die occurrente cum iuxta Rubricas solummodo praecipitur canenda in Cathedrali et Collegiatis. Quaeritur: praeter Cathedralem et Collegiatas potest ne dici in praecipuis Ecclesiis una Missa lecta in altari maiori de die occurrente? an vero omnes sint dicendae de *Requie* pro Defunctis?

Dubium V. Quum ex Brevi Apostolico die 22 octobris 1850 concessa fuit pro Regno utriusque Siciliae Vigilia Immaculatae Conceptionis tam in Officio, quam in Missa, considerandum ne est uti privilegium speciale cum incidat semper tempore Adventus ?

Dubium VI. Quum hoc anno in Civitate Montismarani Feria VI in Parasceve inciderit Festum duplicis praecepti s. Ioannis Ep. praecipui Patroni, quaeritur : An Parochus teneatur Missam applicare pro populo in die, quo transfertur, quamvis absque onere audiendi Missam, et abstinendi ab operibus servilibus?

Dubium VII. Ex Decreto generali sub die 27 maii 1826 prohibitum fuit sub quovis praetextu processionaliter circumferre Reliquias et Imagines Sanctorum sub Baldachino, seu Pallio, et iuxta sententiam vero Aloisii Gardellini ad Decr. 4570, penitus vetitum est circumferri, cum sit honor tantum SS. Eucharistiae debitus;

Quaeritur : an liceat circumferri processionaliter Bal-

daehinum saltem retro Reliquias, et simulacra Sanctorum uti pluribus in locis in praxi observari videtur? et si negative, an liceat saltem circumferri dum Episcopus ad Processionem intervenerit?

Dubium VIII. De Missis votivis quaeritur : ut piis fidelium votis fiat satis, an liceat in Missis votivis legi Missa propria de Monte Carmelo, et de SS. Rosario iuxta Aloisium de Carpo, quemadmodum in Missalibus notatur concessum pro Missis septem Dolorum B. M. V. et Immaculatae Conceptionis, an vero una de quinque Votivis B. M. V. iuxta temporis qualitatem ? Et quoniam ex Rubricis vetitum est legere Missas pro festivitatibus B. M. V. idest, de Purificatione, de Annunciatione, de Visitatione, de Assumptione, de Nativitate, et de Praesentatione, an saltem liceat legere Missas proprias sub praeclaris titulis de Gratia, de Mercede, de Bono Consilio, de Arco, de Succursu, et de Puritate etc.?

Dubium IX. Quando in Missa adiungitur de mandato Episcopi collecta extraordinaria pro Papa, *Deus omnium fidelium* etc., est ne derelinquenda, vel mutanda in alia Oratione, quando occurrit Anniversarium Consecrationis Episcopi Dioecesani?

Sacra porro eadem Congregatio, referente infrascripto Secretario, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis ac consideratis rescribere rata est :

Ad I. et II. *Ponatur il Folio* [1]

[1] Dubia quae sub numeris I et II comprehenduntur ita gravia esse credidit S. Rituum Congr. ut resolvi non possent de plano, et absque solerti studio.

Quapropter ad I et II quod attinet respondit: *Ponantur in folio.* Eiusmodi responso, sciendum est, S. R. Congregationem dimittere solere dubia, quae propter eorum gravitatem, disceptanda esse putavit coram S. Tribunali eiusdem Congregationis.

Attamen disceptatio haec locum haud habere solet, nisi vel postulator aut quivis alius de eius mandato, instet pro resolutione eiusmodi, et necessaria subiaceat expensis.

Ad III. *Tam in concurrentia quam in occurrentia praeferendum esse Festum sanctae Annae.*

Ad IV. *Servetur Rubrica Missalis die* ***11*** *Novembris.*

Ad V. *Servetur Rubrica ut in Vigilia s. Thomae Apostoli, scilicet in Officio nihil de Vigilia.*

Ad VI. *Recurrat ad Sacram Congregationem Concilii.*

Ad VII. *Negative in omnibus, et servetur Decretum Generale diei* ***27*** *maii* ***1826.***

Ad VIII. *Dentur Decreta in una Mexicana diei* ***12*** *martii* ***1678*** *ad VIII, et in una Ordinis Minorum sancti Francisci Capuccinorum die* ***30*** *septembris* ***1679.***

Ad IX. *In casu omitttur Collecta pro Papa.* Atque ita rescripsit, declaravit, ac servari mandavit. *Die* ***32*** *ianuarii* ***1876.***

C. Card PATRIZI,

Episc. Ostien. et Velitern., *S. R. C. Praef.*

Piae. Ralli, *S. R. C. Secretarius.*

DECRETA quae citantur in responsione ad Dubium VIII in una *Nuscana* diei 22 ianuarii 1876 ex Registris Secretariae Sacrorum Rituum Congregationis excerpta sunt quae sequuntur nimirum :

MEXICANA — ... 8. In multis Ecclesiis solent celebrari Missae de Festivitatibus Beatae Mariae Virginis cum solemnitate pro re gravi, et concursu populi;

Quaeritur: An quando celebratur Missa de Annuntiatione modo dicto, sit faciendum ad *Incarnatus,* quod fit in ipsa die Annunciationis ?

Et eadem Sacra Rituum Congregatio respondit...

<(Ad 8. Missas proprias de Festivitatibus Beatae Mariae Virginis non esse celebrandas, nisi diebus, in quibus dictae solemnitates occurrunt, et per eorum Octavas quas habent; caeteris temporibus earum locum celebrandam unam ex Votivis Beatae Mariae Virginis in fine Missalis

positis, iuxta distributionem temporis in eo factam cum intentione ad honorem Annunciationis, Assumptionis etc. *Hac die* ***12*** *martii* ***1678.***

ORDINIS MINORUM CAPUCCINORUM. Cum post ultimam approbationem a S. R. C. factam Kalendarii ad usum Fratrum Minorum Capuccinorum supervenerint nonnulla Sanctorum Officia, de mandato eiusdem S. C. in Breviario Romano apponenda; quapropter P. Procurator, et Commissarius Generalis Fratrum Minorum Capuccinorum (ad uniformem Divini Officii recitationem in sua Religione servandam) supplicavit pro assignatione sequentium dierum infrascriptis Sanctis prout eadem Sacra Congregatio assignavit pro sequentium Dubiorum declaratione, nempe....

I. An Missa assignata Festivitati Conceptionis Virginis Mariae pro Fratribus Minoribus, possit celebrari in Sabbatis, ut votiva?...

Ad supradict... dub... Sacra Congregatio respondit, ut sequitur :

Ad I. *Negative* etc. *Die* ***30*** *septembris* ***1679.***

In quorum fidem etc. Ex eadem Secretaria hac die 8 februarii 1876.

Piae. Ralli, *S. R. C. Secretarius.*

DECRETUM.

Y1ND0B0NEN. Beatificationis et Canonizationis Yen. Sem Dei Clementis Mariae Hofbauer Sacerdotis professi e Congregatione SS. Redemptoris super dubio: Án constet de Tirtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum et proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?

Coelestis Paterfamilias, qui vult omnes homines salvos fieri, ferventes identidem suscitat operarios, eosque in Ecclesiae suae vineam mittit ad evellendas gliscentium

vitiorum spinas et eradicanda errorum zizania, quae inimicus homo iugiter superseminare non cessat. Et hac etiam novissima hora ad laboriosum huiusmodi ministerii opus ineffabilis Dei providentia Ven. Clementem Mariam Hofbauer vocavit. Ortus hic in Moraviae Oppido Tasswitz anno MDCCLI ex parentibus pauperibus pueritiam, et iuventutem sobrie, iuste et pie transegit. Exploraturus vero qua melius ratione posset seipsum ad Christi exemplar informare, in solitudinem secessit, ubi post assiduas precationes et ieiunia ad Sacerdotium sese vocatum intellexit. Romam ideo alacriter contendit sacris disciplinis operam daturus, ac vix advenerat, miro prorsus modo in Ligorianum Institutum cooptatus est, in quo tum rigidae disciplinae observantia, tum virtutum omnium studio portendit quam fervens futurus esset novi Testamenti Minister. Sacerdotio quippe auctus a Sancta Sede ad evangelizandam plebem Dei in Poloniam mittitur. Varsaviam autem ut adventavit, nullam requiem habuit caro eius, sed omnem tribulationem passus, seipsum exhibuit Dei Ministrum in multa patientia, in angustiis, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in Spiritu sancto, in caritate, ut iis in regionibus Apostolico eiusdem zelo emendati fuerint mores, confirmata et aucta Catholica religio. Interea Operarius sane inconfusibilis pro Christo legatione fungens familiam Sancti Fundatoris, uti hic iam praenunciaverat, per Helvetiam, Daciam et Germaniam propagavit. Ast iniquitate temporum Polonia expulsus non despondit animo; indutus enim uti erat lorica iustitiae et calceatus in praeparatione Evangelii, sumens scutum fidei, et gladium spiritus, quod est verbum Dei, Vindobonam perrexit octavo huius saeculi anno. In perillustri autem illa civitate praebens exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate annunciavit quotidie testimonium Christi non in sublimitate sermonis, nec in humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et

virtutis, et in gratia Dei ita conversatus est, ut coelestis doctrinae pabulo fideles enutriens et assiduo ministerii opere plurimas Deo lucrifecerit animas, plurimas e saeculi et Diaboli laqueis exsolverit, et languescentem illius populi fidem excitaverit, sacramentorum usum et pietatis cultum promoverit. Donec laboribus penitus attritus, pluraque ad gloriam Dei et animarum salutem passus, acerbo est morbo correptus, eiusque cruciatibus patientissime toleratis, anno huius saeculi vigesimo Idibus Martii pretiosam in cospectu Domini et suorum mortem oppetiit.

Verum Sanctitas Fama, quam in universa Germania ac potissimum Vindobonae Ven. Clemens sibi conciliaverat tam virtutum quam indefessa ministerii exercitatione, post ipsius obitum adeo in dies aucta est, ut anno MDcccLxvni Sanctissimus Dominus N. Pius PP. IX decimo sexto Kal. Martii Commissionem Introductionis Causae Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei propria manu signaverit. Absolutis subinde actis in hisce Causis iuxta Apostolicas Constitutiones, servandis, heroicae virtutes Ven. Clementis Mariae discussae primo fuere in Congregatione Antepraeparatoria quinto Nonas Martii anno MDCCCLXXIV, in Aedibus Rmi Card. Aloisii Bilio Episcopi Sabinen. Causaeque Relatoris. Sequenti vero anno idem Dubium ad examen revocatum fuit in Vaticanis Aedibus septimo Kalendas Martias coram Rfhis Cardinalibus Sacris Ritibus tuendis praepositis. In generalibus tandem Comitiis nono Kalendas Decembris superioris anni coram SSmo Domino N. Pio PP. IX. in Vaticano Palatio coadunatis cum Rmus Card. Aloisius Bilio Causae Relator Dubium proposuisset: *An constet de Virtutibus Theologalibus et Cardinalibus earumque adnexis Ven. Servi Dei in gradu heroico, in casu et ad effectum, de quo agitur.* Tum Rmi Cardinales Sacrorum Rituum Congregationi praepositi, tum singuli Pa-

tres Consultores suum ex ordine suffragium pronunciarunt. Sanctissimus vero Dominus Noster antequam decretoriam ediceret sententiam in re gravissimi momenti hortatus omnes est ut spiritum consilii a Patre luminum enixis precibus implorarent.

Re autem mature secum perpensa, favente et inspirante Domino supremum tandem iudicium quarta hac Dominica post Paschalia festa proferre constituit. Eucharistico itaque Sacrificio pientissime oblato in privato Apostolici Palatii Vaticani Oratorio, nobiliorem Aulam petiit, ibique accitis Rmo Card. Constantino Patrizi, Episcopo Ostien. et Velitern. Sacri Collegii Decano, et Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto, ac Rmo Card. Aloisio Bilio Episcopo Sabinen. Causaeque Relator; una cum R. P. Laurentio Salvati S. Fidei Promotore, meque subscripto Sacr. Rit. Congregationis Secretario solemniter decrevit : *Constare de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum et Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia earumque adnexis Ven. Servi Dei Clementis Mariae Hofbauer Sacerdotis Professi e Congregatione SSmi Redemptoris in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri, et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri mandavit pridie Idus Maii anni MDCCCLXXVI.

C. Card. PATRIZI, «
Episc. Ostien. et Velitern., *S. R. C. Praef.*

L-SB S.

Piae. Balli, *S. R. C. Secretarius.*

Sanctissimi D. N. Pii Papae IX Breve, quo declaratur Ecclesiam S. Andreae in civitate Suolaci fuisse et esse Ecclesiam Cathedralem.

PIUS PP. IX.

AD PERPETUAM RET MEMORIAM.

Interest Ecclesiae germina praecidere quaestionum, earum maxime, quae in divini cultus detrimentum vergant, ac inter Clerum discordiam pariant. Cum itaque dilectus Filius Noster Raphael titulo Sanctae Crucis in Hierusalem Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis Monaco, ac Clerus populusque Abbatiae Sublacensis, quam Nobis regendam assumpsimus et reservavimus Litteris datis decimo tertio Kalendas Aprilis anni Domini 1872, cuiusque administrationem commisimus praefato Filio Nostro Raphaeli Monaco, postulaverit definiri, seu potius declarari an revera Insignis Ecclesia Sancti Andreae in principe Civitatis loco sita, ac insigne eiusdem Capitulum, uti Ecclesiae Cathedralis Nullius Dioecesis Sublacensis haberi debeant, ac de facto retineri pro quovis iuris effectu; Nos huiusmodi postulationibus inclinati, re mature perpensa, animadvertimus, quod etsi Ecclesia Sanctae Scholasticae a Civitate pro duo fere milliaria dissita, quamdam praeseferat honoris praeeminentiam uti vetus Abbatis regularis sedes, et quamvis Abbates commendatarii privatam quamdam possessionem in ea capere consueverint, et sive in publicis actis, sive etiam in Litteris Apostolicis Abbates nuncupentur Sanctorum Benedicti et Scholasticae ad conservandam primaevae erectionis Abbatiae memoriam, praerogativae tamen, qualitates, et requisita, quae propius Ecclesiae Cathedrali seu loco Cathedralis constitutae conveniunt, favore Ecclesiae praefatae Sancti Andreae, eiusque insignis Capituli plene confluunt, ac demonstrantur. Enim-

vero id primum occurrit a fel. me. Urbano VIII Praedecessore Nostro Abbatiam saecularem iam a Leone PP. X pariter Praedecessore Nostro separatam et distinctam a regulari, recognitam fuisse vere Nullius Dioecesis iurisdictione quasi Episcopali Abbatibus Commendatariis attributa; indeque iam ab eo tempore eosdem Abbates Commendatarios in eadem Sancti Andreae Ecclesia propriam quasi Episcopalem Cathedram fixam statuisse et iugiter retinuisse ac retinere, et Vicarios Generales pariter propriam in Choro sedem, et stallum inibi habere coepisse. Constat pariter in ea Abbates Commendatarios noviter deputatos, de universa Abbatia solemnem semper possessionem nactos fuisse, praestito formiter a Capitulo et Clero obedientiae obsequio, ac functiones omnes Episcopales cum universi Capituli, et Cleri adsistentia, constanter absque ulla intermissione explevisse ; cuiusmodi praesertim sunt sacrae Ordinationes, ac Sacramenti Confirmationis ministratio, Sacri Olei benedictio, quod in ipsa Ecclesia asservatur, atque ab ea cunctis tam saecularibus, quam regularibus Ecclesiis distribuitur, ac demum pastoralis Visitationis solemnis aperitio. Accedit quod publicae omnes supplicationes et generales processiones, queis interest Clerus tam saecularis quam regularis, ordinatae a Capitulo praefatae Ecclesiae ab ea inchoante* et ad eam terminantur; quod ab eadem in Sabato Maioris hebdomadae campanarum pulsatio initium ducat, et ducere debeat ex decreto sacrae Visitationis anni Domini 1744 ac quod eidem adnexum prostet Clericorum Seminarium, qui in divinis officiis inibi explendis iugiter interesse tenentur, et quod in eiusdem templi Sacrario Abbatum Commendatariorum Stegmata ac effigies per non interruptam seriem dispositae asservantur, quae a quovis vix electo Abbate Commendatario ed eam, minime vero ad alias Ecclesias transmitti consueverunt. Compertum denique pariter est Capitulum, et Canonicos

memoratae Ecclesiae ceu Senatum Abbatis Commendatarii perpetuo se gessisse ea omnia praestando, quae Cathedralis Canonici praestare debent ac solent, scilicet nedum praedictis, sed et aliis quibuscumque Pontificalibus functionibus per Abbates Commendatarios absolutis exclusive et formiter adsistendo, sive officium Examinatorum pro Synodalium et Deputatorum Seminarii explendo, sive in gravioribus negotiis consilium, et operam exhibendo, sive consensum formiter et capitulariter praebendo, quoties in electione Examinatorum pro Synodalium, vel in bonorum Ecclesiae alienationibus, vel in aliis similibus Capituli consensus a Sancta Sede fuerit requisitus. His igitur ac caeteris, quae perpendenda erant, perpensis ac inspectis definimus ac declaramus Ecclesiam Sancti Andreae in Civitate Sublaci, fuisse et esse Ecclesiam Cathedralem, seu loco Cathedralis Cardinalis Abbatis Commendatarii Nullius Dioecesis Sublacensis, et quatenus opus sit eam Cathedralem ponimus et constituimus, et uti talem ab omnibus habendam esse praecipimus. Adeoque Capitulum eiusdem Ecclesiae fuisse pariter et esse Capitulum Ecclesiae Cathedralis, seu loco Cathedralis, cui proinde omnia iura competunt, quae de iure vel consuetudine Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, vel loco Cathedralium tributa noscuntur. Per hanc autem Nostrae Constitutionis paginam non intendimus aliquid immutare quoad titulum Abbatis Commendatarii Nullius Dioecesis Sublacensis, qui et in futurum vocabitur Abbas Commendatarius Sanctorum Benedicti et Scholasticae Nullius Dioecesis Sublacensis, ad perennandam memoriam primaevae erectionis Abbatiae; nec pariter intendimus ullum inferre praeiudicium iuribus honorificis, vel aliis huiusmodi eorumdem Monasteriorum, quae sicut antea illaesa manere volumus. Nobis denique et Successoribus Nostris, Abbatiali Sede vacante, electionem seu nominationem reservamus Vicarii Capitularis, Vi-

carii Apostolici nuncupanda prout anteacto tempore ex speciali dispositione iugiter observatum fuit. Decernentes has Litteras Nostras firmas, validas et efficaces semper existere ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, atque illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, et Sanctae Ecclesiae Romanae Cardinales, etiam de latere Lagatos, vicedelegatos, Sanctaeque Sedis Nuntios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus, super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quatenus opus sit Nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, ac felicis recordationis Benedicti PP. XIV Praedecessoris Nostri super divisione materiarum aliisque Apostolicis ac in universalibus provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, aliisque, licet speciali atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 28 ianuarii 1876.

Pontificatus Nostri anno trigesimo.

F. Card. ASQUINITJS.

Sanctissimi D. N. Pii Papae IX Breve, quo Petri Balam aequitas in conscribenda historia commendatur.

PIUS PP. IX.

DILECTE FILI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Pervenerunt nuper ad Nos cum tuis litteris filiali affectu plenis duo prima volumina a Te edita historiam italicarum rerum complectentia quae in pignus tui obsequii Nobis obtulisti. Gaudemus Te hoc nobile atque utile opus suscepisse ea mente ut historiam ab erroribus, calumniis et mendaciis vindicares, quibus eam infesti Ecclesiae scriptores inficere non dubitarunt, ac ita praesertim iuvenibus consideres ut ex puris fontibus possent veram ac rectam gestarum rerum narrationem haurire. Ex corde commendantes, Dilecte Fili, hanc tuam egregiam voluntatem, non dubitamus quin finem tibi propositum feliciter sis assecutus, quemadmodum Nobis optima argumenta quae habemus tuae in Ecclesiam et in hanc Sanctam Sedem observantiae, tuaeque peritiae in hoc studiorum genere multis laboribus partae, plene pollicentur. Quapropter valde optamus ut ii qui historiam tamquam testem temporum et lucem veritatis intuuntur, tuorum laborum fructu utantur, ac etiam ut plures alii sint qui tibi in egregio quod habuisti consilio consortes, suas vires et ingenium in communem Ecclesiae et patriae utilitatem conferant. Interea Deum adprecantes ut Te sua gratia adiuvet, qua ea quae utiliter inchoasti ad exitum prospere perducere veleas, grati animi Nostri testificationem tibi per has litteras libenter tribuimus et apostolicam benedictionem in pignus paternae dilectionis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 1 aprilis an. 1876 Pontificatus Nostri anno tricesimo.

PIUS PP. IX.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

CIRCA FACULTATEM BINANDI [1]

Die 11 decembris 1875.

Compendium facti. Facultas binandi, qua temporibus anteactis, legebamus usos fuisse Ecclesiae presbyteros procul ut ita dicam et de ultimis terrae finibus ; nunc ab Italiae Antistibus a S. Sede enixe exposcitur. Eo nam rem perduxit temporum tristitia, ut locorum Ordinarii infelicis Peninsulae, presbyterorum penuria adacti, nesciant quomodo pastores suppeditent fidelibus populis. Et nisi concederetur a Romano Pontifice, ut saltem diebus Festis, nonnulli Sacerdotes duo litarent Missae Sacrificia, populi eorum sollicitudini commissi, spirituali carerent bono quod a Sacrificio Missae promanat.

Tres insimul Episcopi Italicae Regionis Romanum, his diebus, adiverunt Pontificem expostulantes facultatem eiusmodi. Aiebat istorum primus, quatuor in sua Dioecesi paroecias vacare, et ob penuriam, iugiter excrescentem, presbyterorum, se binas ex eis commisisse cuidam Cathedralis Canonico, et neosacerdoti, binas alteras vero commisisse duobus ex parochis vicinioribus. Hos vero in respectivis Ecclesiis Festo occurrente die nec Missae Sacrificium perlitare, nec Sacrosanctum Dei evangelium explanare posse, nisi binandi facultate augeantur.

Sacratissimum Principem adivit secundus haec referens; plures in sua Dioecesi adfuisse paroecias alpestribus, et dissitis in locis positas; quarum incolae maxima

[1] **Recole Vol. VI, pag.** 5. **ubi prostat Instructio** S. **Congregationis Fidei Propagandae praepositae super Missae iteratione.**

cum difficultate Ecclesiam paroecialem omnes insimul peterent. Adigerentur enim bona tuorumque habitationes absque custodia derelinquere, gravi cum periculo.

Tertius tandem Romano Pontifici exposuit; existere in sua Dioecesi paroeciam, numero habitantium conspicuam; et qui maximopere inter se distant; Parochum cui animarum cura commissa fuit, sacrum litare Sacrificium Missae solere in parva Ecclesia, sita in uno e quinque vicis, quibus populus ille constat. Proindeque exposcere ut Capellano unius vici ex praedictis, duas liceret dicere Missas, in commodum illorum habitantium. Sciendum est enim, ait ille, omnes insimul nequire Missae Sacrificio adsistere, dum plures eorum cogantur ad pascua ducere armenta, istorumque curam habere, dum alii ad Ecclesiam pergant.

Hisce a S. C. C. habitis libellis, rescriptum prodiit quoad omnes, « *Per summaria precum* ».

Disceptatio synoptica.

EA QUAE ADVERSUS INDULTI CONCESSIONEM FACIUNT. Primis Ecclesiae temporibus parvus Sacerdotum numerus pro fidelium copia exigebat ut idem presbyter plura eodem die litaret Missae Sacrificia, testibus Card. Bona *rer. liturg. lib.* **l,** *cap.* **18, § 5** *et seq.* Bened. XIV *de Synod. Dioeces, lib.* **5,** *cap.* **8, § 8.** Quae consuetudo sequentibus saeculis intacta remansit, Ecclesia permittente, quamvis Sacerdotum numerus haud esset ita exiguus ut antea. Verum, tractu temporis, quum nondum Missae, eadem die, iteratio esset severa lege prohibita, nonnulli ad solum finem eleemosynas captandi, saepius in die litabant Missae Sacrificia. Ex quo factum est ut Concilium Salegunstadiense, prae omnibus, decreverit saeculo undecimo: *ut unusquisque presbyter in die non amplius quam tres Missas celebrare praesumat.* Apud Thomasin. *de vet. et nov. Eccles. Discipl. part.* **3,** *I.* **1,** *cap.* **72, § 3.** Auctoque

deinde abusu statuit Leo IV *ut nullus presbyter plures Missas in die celebret, quam unam tantum, excepto dia Nativitatis Domini, et in Dominica praesente funere*, quemadmodum in antiqua legitur historica anonymi collatione. Plures id edixerunt Pontifices; at Innocentius III in *cap. Consuluisti* et tandem Honorius III in *cap. Te referente, de celebrat. Missae* strictius iterationem Missae interdixerunt, una excepta festivitate *Nativitatis Domini ei causa necessitatis.* Quoad causam vero statutum fuit non quamcumque necessitatem sufficere, sed eam tantum requiri, cui aliunde succurri nequeat.

In casibus expositis eiusmodi necessitatem adfuisse; haud facile comprehendi. Nam in primo istorum videtur potuisse adsignari alicui Sacerdoti congruum stipendium ex reditibus utriusque Ecclesiae parochialis desumptum. Ideoque indultum haud concedendum fuisse ceu S. C. C. definivit in Aurien. *Vicarii Curati:* proposito enim dubio* *((an teneatur Episcopus Aurien. concedere praedicto Vicario licentiam celebrandi duas missas in quolibet die festo, unam scilicet in parochiali de Qualedro, et alteram, in parochiali de Vitela* », die 4 maii 1715 rescriptum fuit : *Negative.* Sed simul S. Congr. per modum provisionis, deputari iussit duos presbyteros, adsignato eis congruo stipendio ex reditibus utriusque Ecclesiae paroecialis in *Lib. 65 Decret, pag. 194 et 214.*

Quod de primo dictum est, idem dici posse visum est quoad alios duos casus; in istis enim haud agitur de uno parocho, qui binas administrat paroecias inter se dissitas, sed de parocho, qui uni tantum praeficitur Paroeciae, quin eis suffragari aliquo modo possit, vel distantia Ecclesiae parochialis, vel defectus alterius Sacerdotis et paupertas Ecclesiae atque incolarum; siquidem iisdem fere concurrentibus adiunctis S. Congr. C. indultum denegavit in *Apten. indulti 8 maii 1734.* Proposito enim dubio : « *An sit consulendum SSmo pro concessione petiit*

indulti », licet Episcopus respondisset: 1.° *Difficillime liabefi posse alterum Sacerdotem, qui diebus festis sacrificet in Oratorio, de quo agitur, cum non sit alius nec in dicto oppido, nec in vicinis locis.* 2.° *Ecclesiam parochialem de Sioux distare circiter duo millia a quibusdam dicti loci villis, viamque esse perdifficilem, ob interfluentes torrentes praesertim hiberno tempore.* 3.° *Esse circiter centum incolas, qui ad audiendam Missam non possunt commode accedere ad Ecclesiam parochialem.* 4.° *Denique nec dominum loci eiusdem ingentem eleemosynam subministrare, nec ab incolis aliquid contribui posse;* attamen rescriptum prodiit: *Negative.*

Quamobrem propositis petitionibus obsistere videntur nedum Romanorum Pontificum Constitutiones, sed et diuturna, atque universalis Ecclesiae praxis, qua presbyteris adempta est facultas unoquoque die saepius litandi, solumque concessum una vice tantum mundam in holocaustum hostiam delibare.

EA QUAE INDULTI CONCESSIONI FAVENT. Verum contra ea quae hucusque deducta fuere, animadversum fuit. Missam bis eadem die, si id postulat vera et gravis necessitas, celebrari ab eodem Sacerdote posse habetur in *Canon, sufficit de consecrat, distinc. i, et in cap. Consuluisti de celebrat. Missae.* Quapropter si ob Sacerdotum penuriam unus parochus praeficiatur duabus parochiis, ita inter se dissitis, ut grex unius paroeciae commode nequeat Ecclesiam alterius adire, ibique Sacrificio Missae interesse, poterit idem eadem die in utraque Ecclesia, Episcopo id permittente et approbante, sacrificare: idque tradere Gonzalez *in d. cap. Consuluisti n.* ***2;*** Pirhing *in lib.* ***3*** *decr., tit.* ***41, § 1,*** *n.* ***2;*** Barbos, ad Concil. *Sess.* ***22,*** *De Sacrif. Miss. lib.* ***3,*** *cap.* ***5,*** *n.* ***1*** *ac S. C. Congr. in voto ad causam Derthusen.* ***20*** *august.* ***1768.***

Idem dici posse de Parocho videri, qui licet duas non regat paroecias, duos tamen populos habet inter se ma-

xime seiunctos ; ita ut ob locorum distantiam alter ipsorum parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo posset; dummodo per aliud canonicum remedium eiusmodi necessitati occurri nequeat, scilicet vel per alterius Sacerdotis deputationem, vel per parochiae dismembrationem. Et merito quidem; duarum enim paroeciarum Rectori ideo sacrificii iterandi licentiam concedi posse Ecclesiae Pontifices mandarunt, et sacrorum canonum interpretes, doctoresque suaserunt, quia itineris intervallo ab utraque distantes Christifideles iis haud fruerentur bonis, quae ex Missae Sacrificii oblatione dimanant. Verum ex utriusque fori observantia tritum vulgatumque prodiit adagium, idem in iure obtinere ubi eadem ratio subsistat. Porro eadem necessitatis adminicula favent, cui duarum Ecclesiarum onus incumbit ac illi, qui gregem longe, lateque dispersum tenet, nec valet ut uno, eodemque loco ac tempore colligatur.

Maxime cum monumenta prostent speciebus huic simillimis eiusmodi fuisse privilegium elargitum. Ita rescripsit *S. Congr. C. in una Adiacen.* ***25*** *ianuarii* ***1569,*** *in Aleñen, die* ***20*** *septembris* ***1622,*** ea praecipue causa mota, quod melius sit abundare, cum de favorabilibus sermo est, quam Christianum gregem spirituali bono deficientem inauditum relinquere. Ad rem Benedict. XIV *in Constit. Declarasti nobis.*

Cum itaque definitum iam fuerit parochum, qui duas administrat paroecias, duas etiam eadem die Missas celebrare posse, si in alterutram parochiam non possit populus convenire, nec alius Sacerdos, quam Parochus sit, qui Missam celebrare valeat; cura pariter definitum fuerit parochum qui gregem longe lateque ita dispersum habet, ut universus nequeat parocho celebranti die festo occurrente adesse, duas quoque Missas posse perlitare, nulla pretiosa ratio suppetere videtur, qua propositae petitiones excipi non debeant. In primo enim casu agitur de

parochis, qui binas administrant paroecias, in alteris autem de parochis res est, qui non duas paroecias, sed duos veluti populos tenent, ita inter se disiunctas, ut alter ipsorum parocho celebranti per dies festos nullo modo adesse posset. Ideoque indultum expetitum concedi posse videtur.

His deductis adversus et favore dictarum petitionum, iudicio EE. CC. remissum fuit perpendere an eaedem trium Episcoporum petitiones excipiendae essent nec ne.

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii die 11 decemb. 1875, causa discussa, sequens dignata est praebere responsum :

An quinquennium arbitrio et conscientiae Ordinariorum; si tandiu circumstantiae perduraverint, ita tamen ut eleemosyna non recipiatur pro secunda Missa; facto verbo cum SSmo.

EXINDE COLLIGES :

I. Non licere cuilibet sacerdoti duas perlitare Missas, eodem die, quoties alius obtineri possit Sacerdos, per quem populi necessitati satisfieri possit.

II. Quapropter ut liceat Sacerdoti eidem duas celebrare Missas, die eadem, adesse debere causas canonicas, quae necessitatem quamdam inducant.

III. Eiusmodi necessitatem talem esse debere, ut nisi alicui Sacerdoti duas Missas eodem die celebrandi facultas concedatur, Ecclesiae mandato plures non satisfacerent.

IV. Pariter talem necessitatem veram quidem esse debere, sed moralem, non autem absolutam ; ita ut de illa iudicari debeat prudenti iudicio, inspectis idest adiunctis, quibus circumdatur.

V. Ordinarios, quibus onus incumbit diiudicandi causarum gravitatem, haud oportere, hac super re, nimia premi anxietate; ne concessa binandi facultas pene in nullo casu ad actum reduci videatur.

VI. Formulas et conditiones, quibus eiusmodi facultas a S. Sede vallatur, ad id tantum respicere, ne eadem a quolibet abutatur, sed prudenti modo ea uti omni in adiuncto videatur.

VII. Proindeque, omni remoto abusu, Locorum Ordinarios uti posse facultate eadem sibi concessa, quoties in sua conscientia et charitate existimaverint eamdem esse necessariam vel fidelibus vehementer utilem.

CONCURSUS\

Die 12 decembris 1874, 19 iunii 1875 et 1 aprilis 1876.

Compendilum facti. Anno 1872 die vero 27 Iulii in Dioecesi A. parochialis Ecclesiae S. Mariae vacavit per sui rectoris obitum. Curia Episcopalis per publica edicta concursum indixit sub die 29 eiusdem mensis. Requisita exhibentes in albo concurrentium sese inscripserunt sacerdotes Aloisius C, Andreas M., Franciscus A., Salvator F., et Ioachim G., qui tamen declaravit ad concursum accedere sola exercitii gratia.

Sub die 9 Augusti, periculo facto, Examinatores pri mo loco adprobarunt Aloisium C. secundo loco Andream M. tertio loco Franciscum A. quarto loco Salvatorem F. et demum Ioachim G. satis adprobatum quoad scientiam iudicarunt. Eiusmodi habita Ordinarius relatione, ipsa die elegit Aloisium C.

Presbyter Franciscus A. per suum procuratorem appellationem penes Curiam A. interposuit a mala relatione Examinatorum et irrationabili iudicio Episcopi.

[1] Adeat lector quaestionem ***Concursus*** relatam Vol. VII, p. 366 et sqq. Videat autem Appendicem X quae sequitur praedictam quaestionem, p. 379 et sqq. Illic reperiet diffuse relatum quidquid conferre possit ad executioni utilius mandandam dispositionem Concilii Tridentini, quoad Concursum in collatione paroeciarum.

Verum Ordinarius pro nihilo faciendas esse oppositiones eiusmodi putavit, et ideo easdem reiiciens, Franciscus A. supplici dato libello S. C. C. conquestus est de mala relatione Examinatorum et irrationabili iudicio Episcopi; praesertim ob indignitatem electi ad Parochialem Ecclesiam, eo quia opuscula publicaverat a S. Congr. Indicis damnata.

Episcopus de informatione et voto rogatus retulit : se reiecisse appellationem supplicantis quia dies fatales [1] iam praeterlapsi erant. Plura dein observavit circa eiusdem sacerdotis qualitates, et ostendit eumdem dedisse proprium nomen Passaglianae subscriptioni. Edixit revera Sacerdotem auctorem esse nonnullorum opusculorum, quae damnata fuerunt a S. C. Indicis, cui tamen iudicio paruit et humiliter se subiecit. Sacerdos Franciscus A. produxit documenta varia, quibus ostenderet se realiter retractationem plenam emisisse, et se subiecisse praescriptionibus contentis in Littera circulan S. Poenitentiariae omnibus Ordinariis data sub die 28 maii 1865. Omnibus itaque absolutis causam ad SSmum: delata fuit, qui die 17 februarii 1873 *re mature perpensa, mandavit indici novum concursum, et id notificari Episcopo A.*

Sub die 27 februarii anni 1873 novum indixit Ordinarius concursum ad vacantem paroeciam ut mandatis SSmi obsequeretur. Adfuit, praeter alios nominatos, etiam sacerdos Angelus N'', ad secundum experimentum subeundum, quod locum habuit die 3 iulii anni praedicti. Adstiterunt tres tantum ex quinque Examinatoribus Synodalibus, qui in anteacto iudicarunt concursu; qui-

[1] Appellationis ***fatalia*** sunt illa tempora, intra quae debet inchoari et terminari causa appellationis ; aliter facultas appellandi fit deserta et extinguitur. Et ista tempora dicuntur ***fatalia*** a fato sive a morte. Nam sicuti mors extinguit totaliter hominem, ita lapsus temporis pro appellatione concessi, extinguit appellationem. Appellatio ceu in themate non conceditur: ***nisi intra decem dies a die collationis interponatur.***

bus vero et alius adiunctus fuit. Peracto itaque concursu Examinatores haec retulerunt uti perlegere est in verbali : « perscrutatis omnibus qualitatibus regimini animarum « consentaneis, aetate, morum honestate, gravitate, pru- ((dentia ceterisque a iure requisitis adprobamus, et ad « vacantem Curam idoneos et habiles renunciamus, « habito tamen discrimine inter scientiam et mores; et « quoad scientiam quidem 1.° loco Rmum Aloisium Arehi- « diaconum C, qui omnia puncta retulit duodecim, 2.° loco <(Admodum Rev. Andream Canonicum M., qui retulit « puncta novem cum dimidio, 3.° loco Rmum Salvatorem « F., qui retulit puncta sex cum dimidio. Rmum Franci- « scum Canonicum A. qui retulit puncta quatuor et « Rmum Ioachim G. qui retulit tria puncta reprobamus.

« Quoad mores vero cum idem Aloisius C. in proxime « habito concursu, cuius repetitio habita nunc est iuxta « S. Sedis Apostolicae oraculum datum die 18 feb. 187B « idem omnia retulerit puncta duodecim, ea sententia ((confirmata per Nos est, cum ipse valida attulerit docu- ((menta, quae arguunt procul abiisse quidquid denuncia- **ce** tum fuit, quod eumdem minus acceptum Apostolicae « Sedi reddiderit, quae quidem inseruntur.

« Admodum vero Rendus Andreas M. adprobatus <(tantum sex retulit puncta. Pro Rev. Salvatore F. cum <(nullum ulterius benemerentis attulerit argumentum, « putamus in eodem loco manere, quem sortitus est in « praefato concursu, scilicet non expresse reprobato.

« Quod pertinet ad Admodum Reverendum Franci- <(scum Canonicum A, habita ratione subscriptionis ap- <(positae in libello Passagliano licet se retro traxerit per « publicas ephemerides, cum desit documentum veniae « quam obtinere debuerat a Sede Apostolica, uti factum *a* est pro Rmo C, abstinemus adhuc a quocumque iudicio.

<(Reverendus denique Ioachim G. ex sex punctis sim- « plicem retulit adprobationem ». Hac facta relatione

Illmus ac Revmus Episcopus die quinta praefati mensis haec subdidit: « Et nos nihil omnino a Synodalium Exa-« minatorum iudicio recedendum fixum, immotumque « animo habentes, eumdem supradictum Revmum Aloi-« sium Archidiaconum C. Supremae Apostolicae Sedis « sapientia commendatum, quoad per Nos licet, utpote « primum locum occupantem putamus ».

Vix ad aures Sacerdotis Francisci A. notitia eiusmodi pervenit, coram Episcopali Curia stetit tempore habili declarans se formaliter appellare penes S. C. C. a mala relatione Examinatorum, et irrationabili iudicio Episcopi; quod realiter fecit die 19 iulii ut sua iura sarta tectaque servarentur. Etiam Salvator F. scripsit ad S. C. C. protestans contra formulam ab Examinatoribus emissam quoad eumdem « *nec approbamus nec reprobamus* ».

Disceptatio synoptica.

EA QUAE INNUUNT RECTAM ET IUSTAM EXAMINATORUM RELATIONEM, ET RATIONABILE IUDICIUM EPISCOPI. Sacrosancta Tridentina Synodus normam sequendam indicens ab Examinatoribus in relatione examinis peragenda *Sess. 24, cap. 18 de reform,* ita sese habet : « peracto deinde exa-« mine renuncientur quotcumque ab iis (Examinatori-« bus) idonei iudicati fuerint aetate, moribus, doctrina, « prudentia et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam guber-((nandam opportunis ». Hac inspecta norma, praeter iuris praesumptionem, introspicere cuique est rectam et iustam fuisse Examinatorum relationem; eoquod adamussim omnia impleverint praescripta. Siquidem retulerunt Episcopo nedum de scientia, et doctrina concurrentium, sed et de moribus et prudentia caeterisque qualitatibus.

Nedum iustam rectamque Examinatorum relationem, sed et Episcopi iudicium rationabile fuisse facile erui potest. Indubium est enim posse Episcopum eligere

inter approbatos quem digniorem ipse iudicaverit ex Tridentino *Sess.* ***24,*** *cap.* ***18: «.*** peracto examine renun- « cientur quotcumque idonei iudicati fuerint, ex quibus « Episcopus eum eliget, quem caeteris magis idoneum a iudicaverit ». Et Bened. XTV *De Synodo Dioecesana lib.* ***4,*** *cap.* ***8, § 6*** docet, quod « *Renunciare digniorem inter adprobatos solius iudicio Episcopi commissum est* ». Idipsum millies definivit S. C. Congregatio, ut caeteris missis, videre est in quadam *Montis A Iti parochialis* ***17*** *iulii* ***1862.*** Eo ipso itaque, quod huiusmodi legitimo arbitrio usus est Episcopus, iuris etiam sanctionem servasse censendum est. Nec profecto tamquam irrationabile iudicium traduci poterit, nisi luculentissime constet ipsum, dignoscere neglecto, indignum elegisse. Idque eo vel fortius, quia cum nemini magis quam proprio Antistiti perspectae sint subditorum indoles, probitas et maior aptitudo ad parochiam regendam, ut advertit Bened. XIV in Constit. *Cum illud § demum,* sequitur vehementer adesse praesumptionem, quod in electo praepollenter concurrerint omnes illae qualitates scientiae, *probitatis* et prudentiae ad oves sibi creditas in vinea Christi pascendas. Quae praesumptio Episcopo adsistens adeo gravis est ponderis, ut ad eius iudicium de irrationabilitate notandum certissimae et invictissimae probationes exigantur Gonzalez *ad reg.* ***8,*** *Cancellariae glos.* ***4,*** *n.* ***117*** *et* ***132.*** Card. De Luca *de parochis diseurs.* ***6,*** *n.* ***3.*** Imo ipsa S. C. Congr. sequuta in hoc iurisprudentiam S. Rotae, in *Savonen. Archipresbyteratus* ***15*** *iunii* ***1816, §*** *nulla,* eousque processit, ut proclamaverit tunc solum posse Episcopi collationem convelli si innotuerit illum *dolo aut immodica atque intolerabili affectione* ad praeelectionem processisse. Tantum vero abfuit in themate, ut tales probationes usque ad *electi indignitatem* et *dignitatem* posthabiti exhibeantur, ut spectata quin imo praestantia sacerdotis Aloisii C. nimis iustum et rationabile appareat edi-

tum iudicium. Ipse enim adeo doctrina ac prudentia eminet, ut Provicarii munus per notabile tempus cum laude obiverit; quod facit ut iste omnia requisita omnino superet sacerdotis Francisci A.

Simili modo parvipendendum est quod sacerdos Aloisius C. opuscula conscripserit; dum ille antequam concursus ad vacantem Ecclesiam fieret, iam per publicas ephemerides duos retractavisset errores, et absolutionem obtinuisset super censuris et irregularitate.

Itaque eversis huiusmodi difficultatibus concludi posse visum est iustam rectamque fuisse Examinatorum relationem, et Episcopi iudicium rationabile.

EA QUAE INNUUNT NEQUE FUISSE RECTAM EXAMINATORUM RELATIONEM, NEQUE RATIONABILE EPISCOPI IUDICIUM. Patronus sacerdotis Francisci A. pro viribus evincere conatus est, Examinatorum relationem omnino malam fuisse, atque Episcopi iudicium irrationabile. Praemonuit ergo non defuisse in themate suspicionem quoad malam Examinatorum relationem; dum haec fieret suspecta ex hoc ipso quod semel approbatus quis fuerit; postea vero ut inhabilis reiectus, quamvis non iidem fuerint Examinatores, quem semel approbaverat, et postea reiecerint, ceu tradidit S. Rota in *Calaguritana Beneficii decis. 529, pag. 14, n. il, recent,* et alibi. Quod eo magis sentiendum est in casu; cum constet tres ex quatuor assumptis Examinatoribus, eosdem fuisse qui in priori concursu sacerdotem Franciscum A. idoneum iudicarunt; nunc autem reiecerunt uti inhabilem, quique tunc sacerdotem Aloisium C. digniorem retulerunt, etiamsi nondum publicatus errores retractasset. Praesumptio istaec maius acquirit robur, si attendatur, Examinatores in anteriori concursu iudicium tulisse de eius idoneitate, etiamsi de revocatione Passaglianae subscriptionis satis aperte non constaret; dum e contra in posteriori concursu iudicium circa qualitates eius suspenderunt; quamvis

amplissimam revocationem dictae subscriptionis agnoscerent.

Neve dicatur in themate non agi de praesumptione iuris et de iure, quae non admittit probationem in contrarium *L. Si fideiussor, i, Cod. de dolo malo;* sed de simplici praesumptione, quae cedere debet veritati *L. Nuptum ff. de iur. dot.* ex qua constat sacerdotem Franciscum A. quoad scientiam inclusionem non reportasse. Etenim relicto parumper iudicio circa intrinsecam propositarum quaestionum essentiam, hoc unum notatu dignum censetur de reprobatione sacerdotis A. nullatenus constare, imo et inter adprobatos recensendum esse. Revera praecipit recitata Bulla Benedict. XIV sub § 16 - ibi : <(parem, ni forte maiorem solertiam Examinatores adiri- **ci** beant in perscrutandis aliis qualitatibus regimini ani- **ci** marum consentaneis; morum honestatem inquirant, <(gravitatem, prudentiam, praestita hactenus Ecclesiae « obsequia, acquisitam in aliis muneribus laudem, alia- **ce** que spectabilium virtutum ornamenta doctrinae arcto « foedere consocianda; hisque omnibus coniunctim expen- « sis, inhabiles per sua suffragia reiiciant, et idoneos Epi- <(scopo remanerent ». Verum si requisita sacerdotis A. circa quae siluit Examinatorum iudicium *arcto foedere* eius scientiae consociata fuissent, et coniunctim expensa cum doctrinae meritis, non modo inclusivam tetigisse sed eam longe superasse emicaret.

Examinatores praeterea ignorare nequiverant plenam et formalem retractationem sacerdotis A. per ephemerides publicatam, et obtentam a S. Sede veniam cum absolutione. Dato etiam quod ignorarent; facile eis erat totum id supponere dum cernerent ei demandatum fuisse a Curia Episcopali munus exercendi Examinatoris Synodalis, et prospicerent eumdem sacerdotem pacifice munera obire parochialia.

Malam fuisse Examinatorum relationem ex dictis

erui; verum ex dicendis Episcopi iudicium irrationabile apparebit. Licet absque dubio Episcopis eligere inter adprobatos quemlibet: ne tamen electio haec temere fiat, mens est S. Concilii Tridentini ut illa versetur super magis idoneo, sive super eo, quem digniorem suo iudicio Episcopus deprehenderet. Hinc cum Iudicis munus sit ius suum unicuique tribuere, sequitur eam partem alteri esse praeferendam, cuius merita praevaleant; alioquin futile appellationis beneficium evaderet, quod S. Pius V in sua *Constit, super collatione parodi,* magis idoneo indulsit, qui ab Episcopo posthabitus inferiori fuit. Ne igitur id admittatur absurdi, tenendum omnino est, quod si constat de iusta appellantis reclamatione quia non dignior electus fuerit, collatio parochialis stare nequit, quippe quae subreptitia, atque irrita prorsus censenda est, ut clare docet Gonzalez ad *reg. 8, Cancel, glos. 4, 156.*

Pro nihilo autem facienda obiectio quod praesumptio semper stet pro Episcopi rationabili iudicio; quia quanto apertissime : *omnes qualitates praeponderant in uno quam in alio, ex maiori eorum parte inducitur irrationabilitas iudicii Episcopi;* ut ait Pignatelli *consult. 173, num. 3, tom. i.* Quod vero dignitas maior ac idoneitas sit in sacerdote A., prae alio sacerdote C. id sustinuit sacerdotis Francisci A. patronus. In primo enim prostant omnes qualitates, quae ad formam Concilii Tridentini in parocho eminere debent; in secundo nulla qualitas adest, neque scientia in theologia morali sive dogmatica. Dum ex adverso doctrinam a S. Sede damnatam retinuerit, atque in censuris per plures annos insordescere non dubitant.

Neque difficile fuit in actis Ordinarii prospicere particularem praedilectionem erga sacerdotem C; nam in primo concursu elegit eumdem ad Ecclesiam parochialem quamvis indignum ob pravam doctrinam typis evulgatam, et a S. Sede reprobatami; quamque adhuc non plene

retractaverat. Praeterea eiusmodi suspicio eo magis crescere videtur, quia sacerdos C. Provicarii Generalis munere fungebatur. Si enim suspectum habitum fuit iudicium Episcopi in favorem illius qui actuale praestat servitium in eius Seminario *Ripana* ***19*** *ianuarii* *§* ***3,*** potiori ratione dicendum id est quoad sacerdotem C. qui per plures annos in Provicarii officio Episcopo inservivit, et cui paucis diebus ante concursum nuncium miserat. Episcopus vero scribebat eidem sacerdoti se gravi cum moerore accepisse eiusmodi nuncium, ob eius validum auxilium in Dioecesis regimine. Proindeque videri haud ambigendum esse tum de mala Examinatorum relatione, tum de irrationabili iudicio Episcopi. Quoad recursum a sacerdotem Salvatore F. appositum animadverti voluit quantum praescripserit Bened. XIV *loc. cit. §* ***7*** *: Non admittatur appellatio aut mala relatione Examinatorum, aut ab irrationabili iudicio Episcopi; nisi intra decem dies a die collationis interponatur.* Idque S. Congr. C. definivit in causa *dubia concursuum diei* ***16*** *novemb.* ***1720*** ubi proposito in 2° dubio: *An et quantum tempus praebendum sit illis, qui intendunt appellationem interponere vel a mala relatione Examinatorum, vel ab irrationabili iudicio Episcopi,* prodiit responsum : *A d secundum esse praeftgendum tempus decem dierum ad appellationem.* Hinc eius preces omnino reiiciendae viderentur, dum appellaverit iam elapso anno. Quoniam vero ex Bulla Benedicti XIV appareat dies fatales decurrere a die collationis, et paroeciam in casu haud collatam reperiri, cum Episcopus tantum S. Sedi Aloysium C. commendaverit, hinc res adhuc integra remanere videtur, praesertim per appellationem a sacerdote Francisco A. debito tempore interpositam; quapropter eius preces excipiendae viderentur.

His aliisque perpensis duo quae sequuntur proposita fuere dirimenda

Dubia.

I. *An constet de mala relatione Examinatorum et irrationabüi iudicio Episcopi in casu.*

Et quatenus affirmative.

II. *An et quomodo ad vacantem Paroeciam providendum in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii die 12 decembris 1874, causa perpensa, sequenti modo respondere dignata est :

Ad I Affirmative.

Ad II Ad Datariam Apostolicam.

CAUSAE PROSEQUUTIO. Beneficium novae auditionis quaesitum, fuit concessum; ideoque sub die 19 iunii 1875 eiusmodi quaestio reproposita fuit sub duabus dubitandi formulis : I. *An sit standum vel recedendum a decisis in primo dubio in casu.* II. *An sit standum vel recedendum a decimis in secundo dubio in casu.*

Praedicta die responsum prodiit - *Dilata.*

Reproposita tandem die 1 aprilis 1876 sub iisdem duobus

Dubiis.

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in primo dubio in casu.*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu.*

Sacra Concilii Congr. tertio perpenso eiusmodi quaestione, die 1 aprilis 1876 sequentia dedit responsa.

Ad I. *In decisis et amplius.*

Ad II. *Indicendum novum concursum iuxta instructionem dandam Episcopo Administratori.*

EX QUIBUS COLLIGERE FAS ESSE VIDETUR.

I. Examinatores ad iustam rectamque examinis relationem peragendam, nedum doctrinae iudices esse debere, sed inquirant oportet qui idoneus prae aliis sit *probitate morum, laboribus, obsequio* antea Ecclesiae praestito, caterisque *dotibus* ad officium Parochi *cumulate* obeundum necessariis.

II. In themate defuisse videri, in nonnullis ex concurrentibus, labores favore Ecclesiae peractos, obsequium antea eidem -Ecclesiae praestitum ; eo quod eorum aliquis libellos conscripserit doctrina reprobata infectos ; ex quibus potiusquam obsequium, pareretur odium Matri Ecclesiae et scriptoribus ipsis indignitas ad ecclesiastica munera.

III. Nam, sola inspecta doctrina, evenire posse, cum gravi animarum iactura, ut alicui Ecclesiae praeficiatur ille, qui litteris magis pollet, quamvis de caetero minus aptus vel etiam indignus; et arceatur ille, qui, licet doctrinae merito inferior, tamen dotibus aliis praecellat.

IV. Examinatores ideo debere, postquam de doctrina cognoverint, alias pensitare qualitates, et virtutum ornamenta, - animarum regimini consentanea; quae doctrinae arcto foedere consocianda sunt; et per sua suffragia inhabiles reiicere, et idoneos Episcopo renunciare.

V. Episcopos vero inter illos qui ab Examinatoribus renunciati fuerint idonei, eligere debere quem ceteris magis idoneum iudicaverint.

VI. Eiusmodi peracto iudicio, praesumptionem de eius rationabilitate in Episcopis adsistere, ut ad collationes convellendas innotescere debeat ipsos ad praeelectionem processisse *dolo,* vel *fraude,* aut immodica *affectione;* adeo ut ipsa Tridentina forma neglecta fuerit \

[1] Ut ostenderet **LAMBERTINIUS,** ***Discursus Secretarii circa appellationes,*** **§ 11,** quam difficile sit evincere irrationabile fuisse iudicium Episcopi ait…

VII. Facta itaque hypothesi quod Examinatores solam pensitaverint scientiam, aliis omissis investigationibus, relationem illorum evadere talem, a qua appellari possit ut declaretur nulla \

VIII. In concursu alicuius Beneficii, coram Episcopo et Examinatoribus peracto, posse etiam ab eisdem praeferri ei, qui scientia praecellit, illum qui prudentia moribusque aptior videatur ad gubernandam Ecclesiam.

DECIMARUM [2].

Die 5 februarii 1876.

Compendium facti. Parochus Ecclesiae S. Martini Dioecesis M. die 15 Martii 1873, supplici dato libello, sequentia exposuit S. C. Congregationi.

« Antequam instrueretur Dioecesis M. in finibus He-
« truriae, Episcopi limitrophi F. F. et B. suam iurisdi-
<(ctionem extendebant, etiam in propinquam partem He-
« truriae ibique multas habebant Paroecias. Paroecia Ar-
« chipresbyteralis et matrix S. Martini sita in Hetruria

« absoluto examinis iudicio absolutum dici non potest iudicium super col-
« latione parochiali ; cum etenim doctior non sit dignior, et aliquis posset
« esse minus doctus, sed magis idoneus pro ecclesia parochiali ; hinc est,
« quod expletis examinibus instituenda est quaestio circa collationem Paro-
« chialis, adeoque circa uniuscuiusque requisita; et tunc formiter et per
« concludentes probationes poni debet in claris, quod Ordinarius praelegerit
•« minus dignum in comparatione dignioris... ».

[1] Ut Sacra Congregatio Concilii appellationem a mala examinatorum informatione, vel ab Episcopi irrationabili iudicio admittat ; etsi probationem gravaminis haud quaerere videatur ; tamen voluit aliquando *gustare de fumo* gravaminis, et irrationabilitatis iudicii episcopalis. Et id ne quilibet temere *et* absque ulla rationabili de causa reputans se gravatum appellet, et ad novum- examen provocet, terens tempus. In praesenti quaestione nedum *fumum* sed gravem adfuisse suspicionem videtur; de mala relatione Examinatorum, et de irrationabile iudicio Episcopi ob publicam alicuius ex concurrentibus indignitatem relate ad munera parochialia obeunda.

[8] Vide *Acta S. Sedis,* Vol. VII, p. 416, et Vol. I, p. 616.

« suberat tunc temporis Episcopo B. habebatque quas-
« dam paroecias filiales, a se aliquo modo dependentes,
((inter quas duae sitae erant in finibus ecclesiasticae di-
ce tionis, quibus nomen Collis A. et Mons M. cum iure
cc percipiendi ab hisce paroeciis annuas decimas, quo iure
« ab immemorabili gaudebat, et fruebatur. Verum erecta
<(nova Dioecesi M. paroeciae hetruscae distractae sunt a
« supradictis Episcopis, et omnes Episcopo M. cesserunt.
« Hinc factum est ut Hetrusca Archipresbyteralis S. Mar-
ee tini ab Episcopali B. iurisdictione transierit ad Episco-
<e pum M. duae vero paroeciae Collis A. et Montis M. po-
<e sitae in ditione Pontificia, Episcopo B. remanserint :
<e quapropter Ecclesia S. Martini duas filiales paroecias
« amisit. Cum autem ventum est ad requisitionem deci-
ee marum, duae paroeciae Collis A. et Montis M. abnuerunt
ee eas solvere ut in antecessum Archipresbytero S. Martini,
«e ea ducti ratione quod Ecclesia S. Martini non amplius
<e earum Matrix esset, et proinde evanuerit titulus propter
ee quem decimas recipiendi ab eis iam habebat. Archi-
te presbyter aegre tulit privationem istam, nec adductae
ee rationi acquievit, recursum habuit ad Curiam Episco-
ee palem B. a qua nondum decisiva responsio prodiit. Non
<e modicum interim tempus defluxit, ex quo hae contro-
« versiae coeperunt, et diutius expectare orator sibi obesse
<e duxit, et proinde ad S. Concilii Congregationem recurrit
ee pro solutione ».

Disceptatio synoptica.

Praemonitum fuit extra controversiam fuisse, quod Parochus S. Martini antequam Dioecesis M. iussu Pontificis erigeretur, in pacifica possessione constituebatur ab immemorabili tempore percipiendi decimas a paroeciis Collis A. et Montis M. Quod liquido constat ex litteris eiusdem Ordinarii ad S. C. Congr. transmissis pro informatione. Quapropter totam quaestionem positam fuisse

in hoc; utrum nempe Pontificis dispositio, qua nimirum Paroecia S. Martini Dioecesi M. paroeciae vero Collis A. et Montis M. Dioecesi B. adiectae fuerunt, id efficere potuerit, ut parochus S. Martini suum ius decimandi super duas paroecias praefatas amiserit nec ne.

EA QUAE IURI PAROCHI S. MARTINI FAVENT. Dispositionem Summi Pontificis, de qua sermo est, haud sustulisse eiusmodi ius dubitari nequit. Nam ut quis exturbari valeat ex antiquissima et pacifica sui iuris possessione, necesse est ut Pontifex Maximus de plenitudine potestatis huic iuri expresse deroget; vel ut novus ordo ex Principis dispositione inductus, eius generis, naturaeque sit, ut ex se intrinseca vi et ratione ius illud, tamquam incompossibile cum novo rerum statu excludat. Atqui neutrum in themate dici posse videtur. Etenim, quod attinet primum caput, licet Pontifex, pro suprema, qua insignitur potestate, ius tertio quaesitum adimere possit, attamen supponi non debet (et hoc solemne in iure principium est) quod ius istud eripere velit, nisi expresse et formiter hoc declaret. Ita in *cap. Pastorali **19** de Privil. et can. de Eccles. **25 q. 2** et Can. Nunc vero **9 q. S.*** Et regula Cancellariae 18 de non tollendo ius quaesitum. Ita etiam Eagnan. ad *cap. Ceterum de rescriptis,* et de Rubeis *Decis. **217** p. IX tom. **1,** Rec. ait* « hinc est quod sacrosan-
« ctum atque inviolabile est hoc iuris axioma, quod num-
« quam in dubio praesumendum est, Principem in alte-
« rius damnum vel praeiudicium disponere voluisse ». Atqui in apostolicis litteris erectionis novae Dioecesis, nullum omnino verbum occurrit, quo praefato decimandi iuri derogetur; ergo supponi neque potest neque debet quod ius illud Parocho S. Martini ereptum fuerit; sed potius tenendum esse videtur illud religiose fuisse servatum.

Quod Pontificis dispositio, qua Ecclesia S. Martini uni Dioecesi, aliae vero duae ecclesiae filiales alteri Dioecesi adiudicatae fuerunt, natura sua secumferat decimarum

amissionem ex parte ipsius Parochi S. Martini dici nequit. Etenim nulla in primis assignari potest iuridica repugnantia, quod praefata Ecclesia, etsi in praesentiarum ad Dioecesim M. pertineat, decimas colligere nequeat, anteacto tempore super suis Ecclesiis filialibus Collis A. ***-ei*** Montis M. quae modo ad Dioecesim B. spectant. Revera non adest repugnantia ex parte duarum ecclesiarum filialium. Siquidem decimarum praestatio nihil aliud est in themate, quam onus seu debitum ipsis inhaerens ab immemorabili tempore. Atqui donec Ecclesia S. Martini iure existat, nulla ratio suppetere videtur, qua débitrices Ecclesiae ab onere praestando eximi possint. Neque ulla apparet repugnantia ex parte Ecclesiae S. Martini: ipsa enim ex nova rerum dispositione indolem suam, ac naturam minime mutavit; nullis ex sua parte conditionibus defecit, ac proinde non solum nulla invenitur repugnantia sed imo stricta obligatio adesse videtur ex parte Ecclesiarum filialium decimas sicut in antecessum eidem persolvendi.

Neque dici potest quod limites territorii seu Dioecesis fuerint mutati, ideoque incongruum esse quod Ecclesia unius Dioecesis decimas colligat super Ecclesiis alterius Dioecesis. In primis enim perpendi potest quod iura et obligationes a materialibus territorii confiniis minime dependeant, neque debitor ab onere solvendi relevetur hac unica tantum de causa, quia creditor ad aliud transierit territorium. Deinde sicut in iure nulla repugnantia adesse videtur, quod rector unius paroeciae, ideoque unius distincti et separati territorii, si adsit legitima consuetudo, decimare valeat super fundis alterius Paroeciae, idest alterius .separati territorii, ita non videtur ulla adesse in eo repugnantia, quod aliquis parochus in antiquissima possessione contitutus extra fines suae Dioecesis decimas colligere valeat.

Et revera in casu nostro minime de decimis praedia-

libus res est, quas de iure communi quisque tenetur solvere parocho proprio, a quo recipit sacramenta et alia divina, etiamsi lucrum ex sua industria alibi faciat. Abbas in *C. ad Apostolicae* **20** *de decimis num. i* et ibi Barbosa, Pirhing *de decimis num. 84,* Reiffenstuel *lib. III Decret. Tit. XXX de decimis § V num. 99:* verum in themate agi potius videtur de illis decimis, quae praediales [1] apud Doctores audiunt; siquidem Archipresbyter S. Martini ab agrorum possessoribus duarum paroeciarum Collis A. et Montis M. nonnullas frumenti mensuras in singulos annos percipere solebat, ut patet ex inventario anno 1677 confecto. Atqui licet principium omnibus notissimum sit, quod decimae praediales illico parocho de *iure communi* debeantur intra cuius paroeciam agri reperiuntur *arg. L. Forum 4 ff. de cens. et c. de terris 6 de decimis;* attamen ut notant unanimiter Doctores innixi *Capite Cum sint 18 de decimis* et *cap. ad, Apostolicae* **20** *de decimis,* si mos invaluit, quod parochiani non alieno, sed proprio suo parocho solvant decimas etiam de agris et fundis in aliena parochia sitis, eidem standum est. Hoc idem apertissime ostendere videtur nullo pacto sacros Canones prohibere, quominus iusta intercedente causa unus parochus decimas percipiat ex fundis alterius paroeciae, ideoque extra suum territorium easdem colligat. Ita etiam quando parochia aliqua dismembratur et erigitur nova, decimae praediales ad parochiam matricem pertinentes non transeunt ipso iure in parochialem ecclesiam noviter erectam; sed remanent apud parochiam matricem, nisi eas Episco-

[1] *Decimae sunt res quae Ecclesiarum Ministris ratione ministerii Sacramentorum persolvuntur.* Decimae aliae sunt praediales seu reales, aliae vero personales. Praediales seu reales colliguntur ex praediorum fructibus; personales vero ex lucro vel ex industria personae comparantur, Decimae de quibus hic verbum fit, haud videntur de illis esse quae parocho rependi debent ratione sacramentorum administratorum; sed de illis quae praediales tantum vocantur, et alio de titulo debentur, ut puta, in recognitionem superioritatis.

pus novo parocho ad praescriptum C. Tridentini assignavero: sic expresse *S. C. C.* ***11*** *martii* ***1617.*** Fagnan. *s Decret, in cap. Cum contingat* ***29*** *de Decimis a num.* ***42.*** Barbos, *de offic, et potest, parochi cap.* ***28 § 2,*** *num.* ***19.*** Reifíenst. *lib.* ***3*** *Decret, tit.* ***30*** *num.* ***104*** *adducta auctoritate Conc. Trident. Sess.* ***21*** *cap.* ***4*** *de reformat.* Iam vero etiam ex hoc principio eruitur quod parochus Ecclesiae matricis ex iusto quodam titulo praeditus decimare possit super fundis paroeciae noviter erectae ; etiamsi ut quisque facile intelligit, paroecia ista noviter erecta plene diversum et distinctum territorium constituat.

Attamen externa haec exempla prorsus inutilia videntur dum praesens ipsa controversia luculentissimum hac de re exemplum suppeditet. Etenim Parochus S. Martini iam ab antiquissimis temporibus, et hoc ab ipsis adversariis facile conceditur, decimas colligere consuevit super fundis duarum paroeciarum Collis A. et Montis M. et proinde facto suo aperte ostendit territorii limites impedimento non esse, quominus iure aliquo legitime acquisito frui possit ac valeat.

Videtur etiam haud longe diversum dici posse casum, quando agitur de separatis Dioecesium confiniis, ita ut Parochus nedum suae Paroeciae sed etiam suae Dioecesis fines supergredi debeat, ad hoc ut decimas colligat. Posito enim semel principio, quod diversitas territorii minime decimarum ius et exactionem impediat, ratio non apparet, qua quis decimare queat extra fines suae paroeciae, minime vero hoc idem possit extra fines suae Dioecesis.

Unica difficultas fortasse desumi posset ex *cap.* ***18*** *de decimis,* ubi Pontifex ait « Cum sint homines in Parochia « unius Ecclesiae, sicut asserit, qui terras in alia parochia « alterius excolunt; tua discretio non consuluit, cui Eccle- « siae de terris illis decimas solvere debeant, an ei in cuius « parochia sunt constituti, an illi in qua divina audiunt, • «et ecclesiastica alia percipiunt sacramenta. Sane cum

« huiusmodi quaestio temporibus praedecessorum nostro-
« rum saepius mota fuerit, nec ab aliquo terminata, aliis
« intuitu territorii, aliis personarum obtentu asserenti-
<(bus debere persolvi ; non est nobis facile super hoc certum
« dare responsum, cum auctoritates Sanctorum Patrum
« etiam sint diversae, et ideo in huiusmodi dubitatione
« ad consuetudinem duximus recurrendum et attenden-
<(dum etiam si illae Ecclesiae in uno sint, vel in diversis
« Episcopatibus constitutae. Quia diffìcile nimis videtur
<(ut una ecclesia in Episcopatu alterius recipiat decimas,
« cum ex hoc Episcopatuum fines confundi non immerito
« videantur ».

Huiusmodi caput vero haud obstare iuri Ecclesiae S. Martini visum est. Primo enim species, quam ibi respicit Pontifex, multum a praesenti diversa est, ut ab ipsa lectione patet. Deinde quaestionem suo iudicio subiectam minime resolvit Alexander III, quia nimirum Patres et praedecessores hac super re in varias abiverant sententias; et tantummodo consuetudinem attendendam esse statuit. Insuper, et hoc probe notandum esse videtur, supremum Legislatorem ad casum, qui dubius sit, respondere; minime vero praeiudicium inferre intendisse iuri certissimo et ab antiquissimo tempore tertio acquisito; quemadmodum se habet, in casu (ipsis adversariis fatentibus), ius decimandi, quo Ecclesia S. Martini ab aevo immemorabili pacifico potitur. Caeterum hoc ipso quod Pontifex asserit, difficile videri, ut una Ecclesia in Episcopatu alterius recipiat decimas, possibilitatem tamen minime excludit; iamvero si possibilitas ista ad actum aliquando traduci potest, tunc profecto traduci poterit atque debebit, cum alicui antiquissimum et legitimum ius, prout in casu, suffragari videtur.

EA QUAE IUS PAROCHI S. MARTINI ADVERSANTUR. Quum Episcopus B. nonnulla praemisisset quoad rei historiam, contra praedicti Parochi ius, ea quae sequuntur retulit.

In primis censuit quaestionis nucleum in eo positum fuisse nempe, an Ecclesia S. Martini sub ditione alterius Dioecesis transacta, servet ius quoad recognitiones in Paroecias iurisdictionis alterius Ordinarii subiectas.

Hoc posito, haud sibi visum fuit applicari potuisse in themate maximam a Doctoribus admissam, quod nempe Ecclesia matrix, generaliter loquendo, ius decimandi servet in filialium Ecclesiarum territorio. Hic enim probatum haud fuit, agi de vera matrice; quinimo eiusmodi conceptum excludi posse videtur. Dato etiam quod illius ecclesiae matricitas erga alias praedictas, evinci potuisset; haud introspici datum est quomodo Doctorum maxima applicari posset. Ista enim casum supponit, quod tum matrix, tum filiales sub una eademque maneant iurisdictione, et hypothesi fulcitur, quod matrix in filialium territorio partem retineat iurium antiquorum, nec non aliquas superioritatis reliquias, uti signum ordinariae plenaeque iurisdictionis quam semper illas habuerat. Quod quisquis conspicit, omnino repugnare, quum agatur de Paroeciis diversae iurisdictioni Dioecesanae subiectis-, nam territorii Dioecesani separatio, omnia rumpit vicissitudinis vincula, omnemque tollit superioritatis, et subiectionis ideam quoad parochos unius Dioecesis erga alio» parochos alterius. Idque eo magis evenire debere quum res sit de honorificis praelationibus, aut de sacramentorum administratione.

Ex eo quod S. Martini Parochus haud repererit in Bulla dismembrationis et erectionis Dioecesis M. ullam derogationem singularum Ecclesiarum iuribus et privilegiis, colligere putavit, integra permansisse suae Ecclesiae iura decimandi in Paroeciis Dioecesis B.

Quod autumans clare evincit haud pensitasse oppositionem iuris canonici quoad hanc speciem; sicuti in *Cap. 18 de decimis* legere est : *difficile nimis videtur ut una Ecclesia in Episcopatu alterius recipiat decimas;*

neque advertisse quod in eiusmodi territorium dismembratione, quae suapte natura praeiudicat, inutile sit clausulam apponere : *sine praeiudicio iuris tertii,* ideoque nil deducere fas sit ab eiusdem clausulae defectu. Quinimo si clausula praeservativa *sine praeiudicio iuris tertii* etiam expressa fuisset, nullam exereret vim.

Neque immemorialem praescriptionem invocare licet ; quia praescriptio istaec Parocho S. Martini favorabilis incipere nequivit nisi post annum 1850. Attamen post huiusmodi status immutationem inutile fit praescriptionem invocare quae impleta est variis sub conditionibus, iuxta maximam: *consuetudo etsi praescripta non trahitur de casu in casum.*

Episcopus M. convenit in his quae Ordinarius B. detulit, et adiunxit Archipresbyterum S. Martini ante erectionem Dioecesis M. percepisse semper ab immemorabili tempore decimas a familiis, comprehensis parochis duarum paroeciarum Collis A. et Montis M. Verum censuit magis expedire, ad lites praecavendas, ut Archipresbyter S. Martini in posterum abstineret ab hoc iure exercendo; multo magis, quia satis pingui gaudet beneficio.

His, aliisque praemissis EE. Cardinalium prudentiae et iudicio suppositum fuit dirimendum sequens

Dubium.

An constaret de bono iure Oratoris in casu.

RESOLUTIO. Sacra Concilii Congregatio die 5 februarii 1876, causa cognita, respondere putavit :

Negative et amplius.

EXINDE COLLIGES.

I. Decimas ex iure integre solvendas esse quibuscumque Ecclesiis, quibus debentur, a qualibet persona, ad quam solutio decimarum spectet.

II. Ita ut solvere renuentes, aut impedientes quominus decimae ab aliis solvantur, ex Tridentino *Sess.* ***25*** *cap.* ***12*** *de Ref.* excommunicatione plectantur[1] nec absolvi queant ab hoc crimine, nisi plena restitutione sequuta.

III. Teneri parochianos solvere decimas proprio parocho propter Sacramentorum administrationem; vel etiam parocho alieno : dummodo isti debeantur sive per privilegium, sive per immemorabilem consuetudinem.

IV. Ecclesias filiales teneri ad praestandas decimas erga Ecclesiam matricem ; quoties ista in territorio filialium saltem-retineat iurium antiquorum partem (uti signum suae plenae iurisdictionis) et, sive per privilegium sive per immemorabilem consuetudinem ius decimandi retineat super eiusmodi Ecclesias.

V. Requiri tamen Matricem et filiales subiectas esse eidem auctoritati episcopali; sive contineri intra limites unius et eiusdem Dioecesis Matrix iure potiatur deci-

[1] Sacra Congregatio Concilii in ***Ariminen.,*** **8** iunii 1676, censuit eos qui decimas subtrahunt et in rem suam vertunt; aut impediunt quominus Ecclesiis vel personis quibus legitime debentur, integre persolvantur non esse ipso iure excommunicatos, sed excommunicandos (praevia monitione) eorumque absolutionem non esse Apostolicae Sedi reservatam; sed, plena restitutione secuta, spectare ad Ordinarium, qui excommunicationis sententiam tulerit.

Parochiani et omnes qui decimas rependere debent, per privilegium a competenti auctoritate concessum, eximi aliquando possunt a solutione decimarum. Ast consuetudo contraria habet ne vim et efficaciam ad eximendos parochianos a solutione decimarum? Scitum est enim consuetudinem habere vim legis humanae iuxta 1. ***%*** C. ***Quae sit longa consuetudo,*** Cap. ***Consuetudo,*** dist. I.

Cum distinctione respondendum esse putarem huic dubio : distinguendo nempe ***consuetudinem*** quae ita aufert decimas ab ipso parocho, ut illi congrua sustentatio non remaneat, a ***consuetudine,*** qua adhuc relinquitur Parocho congrua sustentatio. In pr-imo casu nil valere consuetudinem crederem: eo quod offendat ius divinum et naturale: utrumque iubens rependendum esse stipendium illis qui divini cultus administrationem peragunt, neque rationabilis potest esse consuetudo istaec. In secundo vero casu, manente nempe congrua sustentatione, consuetudinem valere putarem; eo quod tunc solum maneat obligatio iuris humani, contra quod consuetudo operari potest, dummodo rationabilis sit.

mandi erga filiales ecclesias, quamvis, de caetero, ius illud certum et antiquissimum sit.

VI. Diversitatem Dioecesium omnia vicissitudinis vincula abrumpere videri; omnemque adimere tum superioritatis, tum subiectionis ideam quoad parochos unius Dioecesis erga parochos Dioecesis alterius.

VII. Proindeque nemini ex ecclesiasticis esse posse decimandi ius super ecclesiasticos alterius Dioecesis: *quia difficile nimis videtur ut una Ecclesia in Episcopatu alterius recipiat decimas, cum ex hoc Episcopatuum fines confundi non immerito videantur.*

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE.

Die 11 decembris 1875.

Compendium facti. Episcopus A. S. Concilii Congregationi vehementer commendavit iuvenem Iosephum B. pro eodem dispensationem implorans super irregularitate ex defectu corporis. Ait enim « loseph B. viginti circiter <(annorum fere nullo censu, ast optimis moribus imbutus, « ab ineunte aetate clericali militiae nomen dare optabat. « Verum gravi morbo oppressus studia intermittere coa« ctus est; et coxae dolore correptus, haec ei medicorum « iudicio amputata fuit. Licet vero nunc et crure et aliqua <(coxae parte careat, huiusmodi tamen carentiae provi**ci** sum fuit pede aliisque partibus ligneis affabre factis ita ((ut possit etiam sine baculo stare, incedere, genuflectere, « quin ignorante defectum eum animadvertant: qua de ((re, humillimus infrascriptus, qui eum vidit, fidem ***îâ-*** « cere potest et facit. Praedictus vero iuvenis, quamvis « hanc amputationem passus sit, desiderio adhuc aestuat « statum ecclesiasticum amplectendi, et gravi moerore « angitur si quis illum a proposito revocare conetur. Cum

« autem irregularitas ex tali ac tanto defectu proveniens <(ea sit ut ambigatur utrum super hac a Sancta Sede **<c** dispensatio concedi soleat, idcirco antequam ipse cur- **ie** sum Theologicum ingrediatur, ne id sine spe et frustra « faciat, enixis precibus et poplite flexo dispensationem « super hac irregularitate implorat : ita ut si post tres vel « quatuor annos poterit ut nunc et forsitan etiam firmius « stare, incedere et genuflectere, possit ad sacros Ordines « promoveri ».

Hisce acceptis precibus statim scriptum fuit Episcopo, ut, *peracto experimento coram caeremoniarum magistro, referret, an iuvenis rite explere posset omnes sacrosancti sacrificii actiones et an ex petita concessione admiratio in populo excitari posset.*

Mandatis S. C. Congregationis morem gerens Episcopus omnia peregit quae ei iniuncta fuerant. Sane experimentum peractum fuit coram duobus Seminarii Professoribus ac caeremoniarum Magistro. « Hi omnes, refert « Episcopus, possunt fidem facere et verba veritatis te- « stari, se vidisse hunc iuvenem sine baculo aut alio ful- « ero, e Sacristia ad Altare Maius accedentem et calicem « manu gestando iuxta Rubricas genuflexionem ad infi- **ce** mum altaris gradum peregisse, et gradus quoque ascen- ((disse, quin ullum inconveniens notari potuisset. Ita « etiam absque ulla difficultate, quae appareat, hostiam « manu tenens, genuflectit, illamque elevat, et sic de ca- **ce** lice. Quoad vero admirationem, quae ex petita conces- « sione possit in populo excitari, haud ambigo asserere, a illam, si forte oriretur, minimam fore ob bonam existi- « mationem, quam sibi probitate et pietate dictus iuvenis « comparavit : quocirca quamplures etiam optant, ut ille « voti compos fieri possit ».

Disceptatio synoptica.

EA QUAE INDULTUM ADVERSARI VIDENTUR. Certum est Iosephum B. tali corporis defectu affici, ut omnino ab Ordinibus reiiciendus videatur; nam si caesus, claudus, paralyticus etc. utpote deformes ab altari arcentur, quia vel admirationem vel scandalum in populo fideli suscitant, a fortiori erit reiiciendus qui pedis amputationem passus est.

Nec aliquo modo percipi posse videtur, quomodo periculum irreverentiae Orator B. effugere possit; quamvis enim nunc temporis, florescente aetate, artefacto pede satis expedite incedere possit : tamen, volventibus annis, viribusque deficientibus, certum est huiusmodi incommodum gravissimum evasurum, et forsan tale, ut a sacrificii celebratione omnino abstinere debeat.

Quin ad tempus dispensatio concedi possit vel saltem sub conditione, si morbus non ingravescat; cum agatur non de promoto, sed de promovendo, cui semper difficilius dispensatio conceditur ; et ridiculum videretur characteris sacerdotalis vinculo alligare, qui forsan quam citissime a sacris ministrandis esse prohibendus.

Obstat tandem S. C. C. praxis, qui in mitioribus etiam casibus dispensationem promovendis denegavit. Quandoquidem Fructuoso Borace, qui defectu in laeva manu laborans, dispensationem implorabat, reposuit *Lectum* ceu videre est in *Pampilonen. Dispensationis die **13** septembris et **22** novembris **1856.*** Pariter dispensationem denegavit Clerico, qui deformem manum dexteram in *Patavina Dispensationis die **27** aprilis **1871,*** atque alteri Clerico, qui manum sinistram vitiatam habebat in *Policastren. Dispensationis super irregularitate **21** martii **1863.*** Quae omnia inter *Summaria Precum* proposita fuerunt. Quibus positis, cum in casu de graviori defectu agatur, dispen-

satio deneganda videtur, eo vel magis quia tristissimis hisce temporibus maxime curandum ne sacerdotes et res sacrae profanorum irrisioni exponantur.

EA QUAE FAVERE INDULTO VIDENTUR. Verum ex altera parte animadvertendum est rationem, ob quam in *Capit. Presbyterum De Clerico aegrot.* corpore vitiatis non permittitur celebrare in eo consistere : *quia nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri hoc fieri possit.* In casu autem periculum non adest irreverentiae ; Orator enim sine baculo vel alio fulcro, e Sacristia ad altare accedit, calicem manu gestat, genuflexiones peragit, aliaque omnia quae ad sacrificii confectionem pertinent absque difficultate explet. Neque admiratio et scandalum oriri potest, quia ignorantes minime eius defectum animadvertunt; qui vero Oratorem cognoscunt : *ob bonam, existimationem, quam sibi probitate et pietate dictus iuvenis comparavit... optat ut voti compos fieri possit.* Hinc cum ratio tum periculi tum scandali minime existat, dispensatio eidem omnino videtur concedenda.

Eo vel magis quia id suadere videtur utilitas et necessitas Ecclesiae. Sane in ea incidimus tempora, in quibus non omnibus volentibus licet nomen dare clericali militiae, terrenam enim militiam adolescentes sequi coguntur, atque in castris vitam degere. Ex quo fit ut rebus humanis atque uberioris vitae ratione distracti, rari iuvenes castigatiorem sacerdotii disciplinam amplecti desiderent, atque in dies rariores militiae ecclesiasticae ordines fiant. In hac nova Ecclesiae conditione, quum optimae indolis, atque ingenii, morumque bonitate florentes, dispensationem ab irregularitate iuvenes postulant, aliquantulum de antiquo rigore in iisdem dispensationibus concedendis, remittendum esse videretur; Christifideles enim bonorum morum exemplum conspicientes corporis defectum haud curare videntur.

Quibus forsan rationibus adducta S. C. Congr. non semel novissimis hisce temporibus dispensationem indulsit iis, qui vel manus aliquantulum impeditas, vel brachium rigidum, vel pedes varos aliosve parvi momenti defectus haberent. De his vero, ceteris omissis, duo referam tantum exempla « *Per Summaria Precum* » proposita, quae casui praesenti simillima videntur. Siquidem in una *Mathelicen. diei* ***5*** *maii* ***1866*** concessa fuit dispensatio cuidam Clerico professo Fratrum Minorum de Observantia, qui ob frigidum tumorem in genu dextero amputationem cruris subire debuit usque ad distantiam quatuor digitorum supra genu atque artefacto pede utebatur. Sed quia professus non iniuria promoto aequiparari posse videtur, pressius casui nostro aptari censerem exemplum, quod habetur in *Borgomen. Dispensationis ab irregularitate diei* ***22*** *septembris* ***1866*** *et* ***13*** *iunii* ***1868.*** Agebatur, prouti in casu, de Clerico, qui sinistri pedis amputationem passus fuerat; habebat tamen ligneum pedem adeo affabre adaptatum, ut leviter tantum claudicaret. Atque S. C. Congr. quamvis in prima precum propositione *Non expedire* responderit; nihilominus cum Clericus instantius gratiam exposceret, die 13 iunii 1868 censuit rescribendum : *A ttentis peculiaribus circumstantiis, pro gratia in exemplum non adducenda facto verbo cum SSmo.*

Haec sunt quae pro et contra, de re satis gravi, breviter exposita fuere. Dein prudentiae EE. CC. remissum fuit indicare quonam responso dimittendae essent preces Oratoris in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Congr. die 11 decembris 1875, causa cognita, respondere censuit :

Attentis peculiaribus circumstantiis, arbitrio et conscientiae Episcopi, facto verbo cum SSmo.

IURISPATRONATUS.

Die 4 martii 1876.

Compendium facti. Vincentius Fogli domo C. tabulis testamentariis, quibus diem obiit supremum sub die 7 maii 1599 partem ex axe patrimoniali reliquit Ecclesiae S. Cassani ad erigendum et dotandum Altare. Cuius perpetuum patronatum iussit apud familiam Fogli; de qua familia duo qui aetate maiores, et sanguine proximiores testatori essent collationem facerent favore illius sacerdotis (eiusdem familiae) qui iudicio P. Guardiani Capuccinorum, *pro tempore,* scientia praecelleret.

Attigerunt annum 1834 res iuxta testatoris voluntatem pacifice progrediendo ; quum, vacuo beneficio, duo de familia Fogli sacerdotem Augustinum Feletti, alii duo vero clericum Attilium Fogli ab Ordinario instituendum praesentarunt. Litem inde obortam Curia Episcopalis favore clerici Fogli, Curia vero Metropolitana, apud quam appellatum fuit, favore sacerdotis Feletti diremit. Proinde sacerdos Feletti diu pacifice beneficium retinuit, quia sententia Curiae Metropolitanae in rem iudicatam transivit, nemine appellante.

Verum turbaris Italiae rebus, quum Ecclesiae patrimonium leges civiles destruere omnimode conarentur, ne Fiscus omnia caperet beneficiarius Feletti una cum Ignatio fratre ad beneficii *affrancationem* devenerunt, obtenta prius a S. Sede debita facultate atque omnibus conditionibus a S. Poenitentiaria praescriptis, sese subiicientes. His vix perfectis anno 1871 beneficiarius Feletti vita functus est ; proinde acriores exortae sunt controversiae inter Ignatium Feletti qui statim praesentavit filium suum Pheletum sacerdotem, et tres alios de familia Fogli, qui intra quadrimestre Episcopum adivere pro institutione

cuiusdam sacerdotis Attilii Fogli. Verum iste paulo post tempore e vita migravit; ideoque sacerdos Pheletus apud S. C. Congregationem institit beneficii possessionem postulans, eo quod nullus alius adesset contradictor. Ordinarius iterum requisitus de sua opinione respondit; non esse concedendam, sese censere, Oratori Pheletho beneficii possessionem, quia Curia Episcopalis subingredi deberet in iure Attilii Fogli. Quin imo eamdem Curiam iam usam fuisse iure beneficii conferendi, si tempore sivissent, his de' causis. 1.° Quia contra tabulas testamenti et codicillos pii fundatoris unus tantum pater oratoris eundem nominavit ac praesentavit. 2.° Quia nominavit et praesentavit, iis adstantibus, qui huiusmodi ius ab institutore habuerunt: idest duo e familia seniores, quique sacerdotem Attilium nominaverunt ac praesentarunt.

Insuper retulit Ordinarius, quod Ignatius pater oratoris bona beneficii ad novennium contra Ecclesiae leges locaverit, locationisque anticipatam pecuniam exegerit. Idque rescivisse per viros fide dignos.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE ADVERSANTUR IGNATIUM FELETTL Patrono laico concedi a SS. Canonibus quadrimestre ad praesentandum tralatitii iuris est : et hoc tempus a die habitae certae notitiae vacationis beneficii incipere : *cap.* ***S*** *de conces. praeb.* Quod si intra praefati temporis limites praesentatio non fiat vel ex negligentia, vel quia in praesentando patroni non convenerint; statim eo elapso pro ea vice collatio beneficii devolvitur ad eum, ad quem pertinet institutio *arg. can. Eam te 22, et cap. cum propter h. t.* Barbosa *de officio et potest. Episc, alleg. 72 n. 141 et* ***168*** *Abbas in cap. quoniam 3 h. t.* Fagnanus *cap. cum: autem 24 h. t. cum communi.* Huius rei ratio est, ne Ecclesiae plus debito remaneant viduatae rectoribus, quod in ipsarum grave damnum noscitur redundare. In facto verum est beneficium

de quo agitur anno vacasse 1871; cum post mortem Attilli alia praesentatio locum habuerit, facta a veris patronis ad tramites testamenti. Nec obstat facta praesentatio oratoris; 1.° quia sacerdos Phelethus ab uno dumtaxat patrono praesentatus fuit, cum iuxta tabulas praesentatio facienda foret a duobus patronis, qui aetate maiores essent, et sanguine institutori proximiores. 2.° Quia praesentatio Phelethi a non habente potestatem facta fuerit, eoquod pater eius praesentans, non erat aetate maior. Itaque cum duo existèrent his praediti requisitis, nec utili tempore nominationem peregissent; cumque nominatio Phelethi hac de causa nulla fuerit, sponte sequitur ad Episcopum eiusmodi ius devolutum fuisse.

Neque Ignatius Eeletti utiliter afrrancationem beneficii opponeret; quam ipse insolidum una cum fratre suo Sacerdote Augustino eiusmodi beneficii, tunc temporis possessore, fecisse dicit ad id ut ostenderet sibi prae caeteris testamentariis patroni ius privativum competere nominandi. Nam si ab unguibus Fisci beneficium, eripuit muneri et obligationi, quae ipsi tamquam patrono de iure spectat, satisfecit. Patronus enim praeter honores, habet etiam onera et munera satisfacienda ; inter quae illud eminet tuendi et defendendi Ecclesiam; quod fit vigilando et, debitam sollicitudinem habendo, pro bonis eius ; ne videlicet a rectore vel ministris, aut etiam aliis dilapidentur ; vel male, aut contra finem a fundatore intentum, applicentur *Can. Filiis 31, causa 16, q. 7.* Quapropter huiusmodi vindicatio nec novum titulum ei tribuit in casu, nec ullum ius prioritatis, seu praevalentiae in damnum aliorum patronorum. Etenim quamvis non pateat et hos ad beneficii vindicationem accessisse; tamen ne apparet quidem eos ex negligentia vel mala animi in Ecclesia dispositione id omisisse ; sed potius quia nec admoniti nec vocati fuerint.

Nec saniori consilio diceret ex lege italica 1867, patronum omni vinculo solvi, et fieri dominum vindicari be-

neficii. Neminem latet enim civiles leges nil in materia ecclesiastica valere; et insuper aliter omnino disponere S. Poenitentiariae oracula super id.

Attamen concesso quod Ignatius sive per allatas ab ipso rationes, sive in vim testamenti praesentandi iure f meretur; hoc tamen ius perdidisse facto suo dicendum est; eo quod locavisse videatur beneficii bona ad novennium, et anticipatam locationis pecuniam exiguisse.

Sane huiusmodi contractuum genus ab Ecclesia omnino reprobatur quia speciem alienationis assumit, et cadit sub expressam *Exitavacantis Ambitiosae* Pauli II Sanctionem *de reb. eccl. non alienand.* - ibi : *omnium rerum et bonorum ecclesiasticorum alienationem, omnemque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem et conditionem ultra triennium.... hac perpetuo valitura constitutione praesenti fieri prohibemus.* Quod locatio bonorum beneficii, et fructuum et redituum vetita sit ex illis verbis eruitur, *omnium rerum et bonorum ecclesiasticorum;* nam et fructus et reditus beneficii sunt res et bona ecclesiastica, cum ab Ecclesia proveniant, suntque eius Ministris propter divinum ministerium assignata. Ad rem Rebuff. in *rep. cap. extirpandae p. qui vero de praeb. dist.* ***7*** aliique quamplurimi. Nec secus S. Rota in una *Comen, locationum* ***20*** *martii* ***1600*** *coram Pamphilio,* in qua fuit resolutum, quod sicut Ecclesiae bona non possunt locari ultra triennium, ita nec fructus. Hinc patroni nullam habent potestatem, aut iurisdictionem in bona ecclesiarum, ideoque nequeunt aliquid de ipsis bonis sibi appropriare aut in sui utilitatem convertere, nisi quod eis ex institutione et fundatione competat *Conc. Trid. Sess.* ***24*** *de Ref. cap.* ***3*** *maxime vero Sess.* ***25*** *de Ref. cap. 9 circa medium.*

EA QUAE IGNATIO FAVERE VIDENTUR. Indubium est quod, lite pendente, ita a iure vetatur aliquid innovare, ut quaevis tentata innovatio nulla fiat ipso iure. Pluribus in locis

id innuitur sed praecipue in *Cap. Dispendiis* ***1*** *in* ***6*** *h. t.* - ibi : « Statuimus ut si (aliquibus apud Sedem Apostoli-
<(eam vel alibi litigantibus super electionibus de se in di-
ce scordia celebratis) aliquem ipsorum mori vel suo iuri
cc renunciare, aut a prosecutione ipsius contigerit quoquo
<c modo excludi : ad electionem aliam (lite super electione
cc superstitis electi pendente) nullatenus procedatur. Alias
cc attenta contra hoc electio, ipso iure viribus non subsi-
cc stat ». Cuius dispositionis ratio habet fundamentum in *Reg. XLI. De Reg. Iur. in* ***6*** *: imputati non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum erat faciendum.* - Quod decernitur etiam *Cap. Ne pro defectu XLI de elect.* in quo statuitur quod tempus non currit impedito iusto impedimento, cum Ecclesia sit pia mater et cultrix iustitiae. Haud aliter sensit S. C. C. *in Calaritana suppressionis beneficiorum et attentatorum* ***22*** *martii* ***1755*** respondens quod possessio capta in pendentia litis de beneficio apud S. Sedem impetrato, dicitur attentata, ideoque circumscribenda. Patet inde locum devolutioni favore Episcopi haud fieri potuisse. Notant insuper iuris ecclesiastici auctores tempus patronis non currere, ideoque Episcopos non posse, durante ultra quatuor menses lite, beneficium conferre, si lis, ut in casu, est inter patronum et praesentatum, vel inter ipsos praesentatos. Fagn. in *cap. quoniam* ***3*** *h. t. n.* ***19*** *citans Rotam.* Barbosa *de officio et potestate Episcop. Alleg.* ***72*** *n.* ***41-*** Ratio est quia *cap. quoniam* ***3*** *h. t.* et alia iura collationem, tempore litis, Ordinario tribuentia, loquuntur tantum de casu, quo lis est inter ipsos patronos; ergo tamquam odiosa et exorbitantia non sunt ad casus similes extendenda, etsi rationis paritas foret. Ergo ex capite iuris concludi posse videtur nominandi facultatem ad Episcopum non devolvi, sed eam ad Ignatium pertinere, quin opponi valeat eum non esse unum ex senioribus et proximioribus familiae, quia id a veritate alienum est, cum arbor genealogica demonstret

eum solum e familia Fogli proximiorem esse testatori, hinc ad eum solum pertinere ius patronatus.

Neque asseri posse videtur dictam familiam amisisse iuspatronatus : quia satis probatum non fuit locata fuisse ad novennium bona illius beneficii: referens Ordinarius se tantum audivisse loqui de eiusmodi locatione a viris qui fidem merentur. Et quia cum agatur de re odiosa stricte est accipienda, nec extendenda de casu ad casum, nisi expressa legis verba id expostulent; « *odia enim restringi et favores convenit ampliari.* Ideoque erui posse videtur textus allatos contra locationem ad novennium casui nostro aptari nequire. Et quamvis indubium sit locationem ultra triennium a sacris canonibus reprobari, et alienationi aequiparari, non tamen quoad omnes effectus ; vel certe non quoad effectum privandi iure quo pollet quilibet patronus ; dum nimia separentur distantia alienatio et locatio. Pro peremptione honorum ad patronos pertinentium adsunt in iure leges speciales; quapropter opus non est ad leges de alio tractantes recursum facere easque ad hunc casum extendere. Concesso etiam quod patronus (uti assertum est absque sufficienti probatione) peccaverit stipulando revera contractus contra Ecclesiae vetitum, ad bonam frugem revocari potest, quin ei poena tam exorbitans, privationis nempe iuris nominandi, infligatur. In casu enim patronus commendabilis fit erga piam causam ob affrancationis operationem, et aliqua consideratione dignus, pro sua cura et diligentia in protuendis Ecclesiae bonis.

His aliisque praenotatis peritiae et religioni EE. CC. proposita fuere enodanda

Dubia.

I. *An praesentatio ab Ignatio facta sustineatur; seu potius ius praesentandi ad Episcopum devolutum fuerit in casu.*

Et quatenus negative ad utrumque.

II. *An deveniendum sit ad novam praesentationem ad tramitem institutionis faciendam in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Concilii Congr. die 4 martii 1876, causa discussa, respondere censuit.

Ad I. *affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad II. *provisum in primo.*

EXINDE COLLIGES.

I. Sacros Canones concedere tantum patrono laico ad praesentandum quatuor menses; qui decurrere incipiunt a die quo patronus certam habuerit vacationis beneficii notitiam.

II. Elapso eiusmodi quadrimestri, tum patronorum negligentia, tum quia inter se patroni in praesentando haud convenerint, «et lis inter eosdem agitetur, pro ea vice beneficii collationem devolvi ad eum ad quem institutio pertinet.

III. Tamen ex Doctoribus ad Episcopum beneficium non devolvi, decurso tempore utili, quoties lis agitetur inter praesentatos, vel etiam inter patronos et praesentatos.

IV. In themate validam fuisse videri praesentationem ab Ignatio peractam; ideoque ad Episcopum beneficium non devolvi; tum quia lis patronos agitata non fuit, tum quia Ignatius habere videatur, prae aliis, qualitates ab institutore volitas.

V. Sacrorum Canonum spiritum quoad eiusmodi temporis limitationem pro patronis, ad id respicere ne Ecclesiae plus aequo suis maneant viduatae rectoribus, cum gravissimo earumdem Ecclesiarum detrimento.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

Sanctissimi D. N. Pii Papae IX Breve, quo variae largiuntur indulgentiae recitantibus officium Immaculatae Conceptionis [1].

PIUS PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Quae in animis Christifidelium erga Deiparam Immaculatam amori excitando idonea et apta videntur, ea libenter, cum a nobis postulantur, concedere solemus; spes enim nobis certissima affulget fore, ut Beatissima Virgo clientium votis et precibus exorata veniam a divino humani generis Reparatore et beneficia pro populis Christianis obtineat. Quamobrem cum exponendum nobis curaverit Venerabilis Frater Carolus Fridericus Sagiensis, sibi esse maxime in votis, ut pro parvi officii Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis recitatione, quod a Congregatione Sacrorum Rituum die XVII mensis decembris anno MDCCCLXXV adprobatum fuit, spirituales Indulgentias concedere dignaremur; nos piis huiusmodi votis annuendum et ad omnium fidelium bonum providendum esse censuimus. Itaque omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, saltem corde contritis qui totum officium supradictum Immaculatae Conceptionis B. M. Virginis devote recitaverint, qua vice id egerint, tercentum dies; qui vero solam antiphonam « Haec est virgo etc. » cum versiculo « In Conceptione tua etc. » et responsorio « Ora pro nobis Patrem etc. » atque oratione « Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem etc. » eodem

[1] In lectorum commodum tradimus praedicto Brevi annexum eiusmodi officii exemplar, pro quo ab Ordinario Sagiensi in Gallia petitae fuerant indulgentiae quaedam et pro nonnullis tantum qui idem recitarent e sua Dioecesi. Verum Sanctissimus Pater easdem concessit omnibus Christifidelibus utriusque sexus in universali Ecclesia idem officium recitantibus.

Sacrorum Rituum Congregationis decreto adprobatam pie recitaverint pro qualibet vice dies centum de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus, quas poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari non posse indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut si qua praefato officio et antiphonae alia fortasse Indulgentia adnexa fuerit, eadem post has Litteras nulla sit; atque ut praesentes Litterae Apostolicae Secretariae Indulgentiis et Sacris Reliquiis praepositae exhibeantur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xxxi martii MDCCCLXXVI, Pontificatus Nostri anno Trigesimo.

F. Card. ASQUINIUS.

Praesentes Litterae Apostolicae in forma Brevis sub datum Romae die 31 martii 1876 exhibitae fuerunt in Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae iuxta praescripta in Decreto sub die 14 aprilis 1856 ipsius S. Congregationis. In quorum fidem etc. Ex Secretaria eiusdem S. C. die 6 Maii 1876.

Dominicus Sarra, *Substitutus.*

OFFICIUM

IMMACULATAE CONCEPTIONIS

BEATAE MARIAE VIRGINIS APPROBATUM A S. CONGREGATIONE SANCTI OFFICII DECRETO ANNI 1679.

Ad Matutinum.

t. Eia, mea labia, nunc annuntiate.

R). Laudes et praeconia Virginis beatae,

t. Domina, in adiutorium meum intende.

i<). Me de manu hostium potenter defende.

Gloria Patri etc. Alleluia. *A* ***Septuagésima usque ad Pascha loco*** Alleluia ***dicitur*** Laus tibi Domine, Rex aeternae gloriae.

HYMNUS.

1. Salve mundi Domina,
Coelorum Regina :
Salve Virgo Virginum,
Stella matutina.

2. Salve plena gratia,
Clara luce divina:
Mundi in auxilium
Domina festina.

3. Ab aeterno Dominus
Te praeordinavit
Matrem unigeniti
Verbi, quo creavit.

4. Terram, pontum, aethera :
Te pulchram ornavit
Sibi sponsam, quae
In Adam non peccavit. Amen.

jL Elegit eam Deus et praeelegit eam,
R). In tabernaculo suo habitare facit eam.
jL Domina protege orationem meam.
ii). Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Sancta Maria, Regina coelorum, mater Domini nostri Iesu Christi, et mundi Domina quae nullum derelinquis, et nullum despicis; respice me, Domina, clementer oculo pietatis, et impetra mihi apud tuum dilectum Filium cunctorum veniam peccatorum: ut qui nunc tuam sanctam et immaculatam Conceptionem devoto affectu recolo, aeternae in futuram beatitudinis bravium capiam, ipso, quem Virgo peperisti, donante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnati, in unitate perfecta, Deus in saecula saeculorum. Amen.

f. Domina protege orationem meam. **R**). Et clamor meus ad te veniat.

t. Benedicamus Domino, R). Deo gratias.

t- Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

Ad Primam.

t. Domina in adiutorium meum intende,
R). Me de manu hostium potenter defende. Gloria Patri etc.

HYMNUS.

1. Salve Virgo sapiens,
Domus Deo dicata:
Columna septemplici
Mensaque exornata.

2. Ab omni contagio
Mundi praeservata
Ante sancta in utero
Parentis, quam nata.

3. Tu mater viventium,
Et porta es Sanctorum:
Nova stella Iacob,
Domina Angelorum.

4. Zabulo terribilis,
Acies castrorum:
Porta et refugium
Sis Christianorum. Amen.

f. Ipse creavit illam in Spiritu Sancto.
R). Domina protege etc. ***cum Oratione ut supra***

Ad Tertiam

t- Domina in adiutorium etc.

HYMNUS.

1. Salve arca foederis,
Thronus Salomonis:
Arcus pulcher aetheris,
Rubus visionis;

2. Virga frondens germinis,
Vellus Gedeonis;
Porta clausa numinis,
Favusque Sampsonis.

3. Decebat tam nobilem
Natam praecavere
Ab originali
Labe matris Evae:

4. Almam, quam elegerat
Genitricem vere:
Nulli prorsus sinens
Culpae subiacere. Amen.

jL Ego in altissimis habito, **R)**. Et thronus meus in columna nubis.
ji. Domina protege etc. ***cum oratione ut supra.***

Ad Sextam,

y. Domina in adiutorium etc.

HYMNUS.

1. Salve, Virgo puerpera,
Templum Trinitatis:
Angelorum gaudium,
Ceila puritatis:

2. Solamen moerentium
Hortus voluntatis:
Palma patientiae,
Cedrus castitatis.

3. Terra es benedicta,
Et sacerdotalis,
Sancta et immunis
Culpae originalis.

4. Civitas Altissimi
Porta orientalis,
In te est omnis gratia,
Virgo singularis. Amen.

j¡. Sicut lilium inter spinas, **B**). Sic amica mea inter filias Adae.
jL Domina protege etc. ***cum oratione ut supra.***

Ad Nonam,

f. Domina in adiutorium etc.

HYMNUS.

1. Salve urbs refugii
Turrisque munita
David propugnaculis,
Armisque insignita.

2. In Conceptione
Charitate ignita,
Draconis potestas
Est a te contrita.

3. O mulier fortis,
Et invita Iudith!
Pulchra Abisay virgo,
Verum fovens David!

4. Rachel curatorem
Aegypti gestavit:
Salvatorem Mundi
Maria portavit. Amen.

y. Tota pulchra es, amica mea.
R). Et macula originalis numquam fuit in te.
t- Domina protege etc. ***cum oratione ut supra.***

Ad Vesperas

t. Domina in adiutorium etc.

HYMNUS.

1. Salve horologium,
Quo retrograditur
Sol in decem lineis,
Verbum incarnatum

2. Homo ut ab inferis
Ad summa attollatur,
Immensus ab Angelis
Paulo minoratur.

3. Solis huius radiis
Maria coruscat;
Consurgens aurora
In conceptu micat.

4. Lilium inter spinas,
Quae serpentis conterat
Caput ; pulchra ut luna
Errantes collustra. Amen.

Ego feci in coelis ut oriretur lumen indeficiens.
R). Et quasi nebula texi omnem terram.
jL Domina protege etc. ***cum oratione ut supra.***

Ad Completorium.

t- Convertat nos, Domina, tuis precibus placatus Iesus Christus Filius tuus.
R). Et avertat iram suam a nobis.

℣. Domina, in adiutorium meum intende.
R). Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri et Filio etc.

HYMNUS.

1. Salve Virgo florens
Mater illibata,
Reginae clementiae,
Stellis coronata;
2. Supra omnes Angelos
Pura, immaculata,
Atque ad Regis dexteram
Stans veste deaurata.

3. Per te Mater gratiae
Dulcis spes reorum,
Fulgens stella maris
Portus naufragorum.
4. Patens coeli ianua,
Salus infirmorum:
Videamus Regem
In aula Sanctorum. Amen.

f. Oleum effusum, Maria, nomen tuum.
R). Servi tui dilexerunt te nimis.
f. Domina protege etc. ***cum oratione ut supra.***

HYMNUS.

1. Supplices offerimus
Tibi, Virgo pia,
Haec laudum praeconia :
Fac nos ut in via.

2. Ducas cursu prospero,
Et in agonia
Tu nobis assiste,
O dulcis Maria. Amen.

R). Deo gratias.

Preces adiunctae in officio ad Immaculatam Conceptionem — Mariae ad libitum recitandas

Tota pulchra es Maria - Et macula originalis non est in Te -Tu gloria Ierusalem - Tu laetitia Israel - Tu honorificentia populi nostri - Tu advocata peccatorum - O Maria! O Maria! - Virgo prudentissima - Mater clementissima - Ora pro nobis - Intercede pro nobis - Ad Dominum Iesum Christum.

Antiphona. Conceptio tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo; ex Te enim ortus est sol iustitiae Christus Deus noster, qui solvens maledictionem, dedit benedictionem, et confundens mortem donavit nobis vitam sempiternam.

Loco praedictarum praecum - Tota pulchra, ***et Antiph.*** Conceptio tua - ***potest substitui.***

Antiphona. Haec est Virgo, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpae fuit.

℣. In Conceptione tua, Virgo immaculata fuisti.
℟. Ora pro nobis Patrem, cuiusi Filium peperisti.

OREMUS.

Deus qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti; quaesumus, ut qui ex morte eiusdem Filii tui praevisa eam ab omni labe praeservasti, nos quoque mundos eius intercessione ad te pervenire concedas. Per eumdem Dominum nostrum etc. Amen.

SACIEN.

Rmus D. Carolus Fridericus Rousselet Episcopus Sagiensis a SSmo Dno Nostro Pio Papa Nono supplicibus votis postulavit 1.° ut recitatio officii Immaculatae Conceptionis B. M. V. a se propositi et quod iam approbatum fertur a S. Romana Universali Inquisitione permittatur in Choro Ecclesiae ab Immaculatae Deiparae Conceptione nuncupatae et adnexae minori Seminario Sagiensi in qua Ecclesia constituti fuere quinque Capellani quibus onus inest recitandi praeter officium divinum etiam supradictum officium Immaculatae Conceptionis. 2.° Ut confirmare aut de novo concedere dignaretur Indulgentiam dierum tercentum, quam totius officii recitationi a fel. rec. Gregorio Papa XVI concessam fuisse fertur, itemque Indulgentiam centum dierum quam recitantibus solam Antiphonam. *Haec est virgo in qua* etc. cum ℣. et ℟, atque oratione sequentibus fel. recor. Paulus Papa V concessisse ferunt.

Praedictae vero preces quum in S. R. C. relatae fuerint per infrascriptum Secretarium, S. eadem Congregatio audita sententia Rmi Dñi Augustini Caprara Sacrae eiusdem Congregationis Assessoris rescribere rata est : *Pro gratia quoad concessionem recitationis parvi officii in Choro iuxta tamen exemplar quod in superiori authentico exemplari prostat: quod vero Indulgentias recurrat orator*

ad Secretariam Brevium. Atque ita rescripsi et indulsit die ***17*** *decembris* ***1875.***

Ita reperitur in Actis et Regestis Secretariae Sacrorum Rituum Congregationis. In quorum fidem etc.

Ex eadem Secretaria hac die 26 ianuarii 1876.

Pro R. P. D. PLACIDO RALLI, *Secretario*

Iosephus Ciccolini, *Substitutus.*

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

Nominationes Episcoporum et Ecclesiarum descriptiones quibus sunt praepositi.

Die 26 iunii 1876.

Sanctissimus in Consistorio habito die 26 iulii 1876 sequentes proposuit Ecclesias:

METROPOLITANAM ECCLESIAM LUGDUNEN, ac Viennen, in Delphinatu vacan, per obitum, clar. me. Jacobi Mariae Achillis Ginoulhiac ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus ad nominationem perillustris Viri Mauritii de Mac-Mahon Ducis Magentae Gallicae reipublicae Praesidis transtulit ad recensitam sedem metropolitanam praefatum R. P. D. Ludovicum Mariam Ioseph Eusebium Gaverot, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede approbatae fuere, cum. de mense Aprilis 1849 Sancti Deodati Ecclesiae praefectus fuit. Qui consecrationis munere suscepto, ad sedem sibi creditam accessit, inibi resedit, eamque simul ac dioecesim sedulo perlustravit, sacras exegit ordinationes, pontificalia solemniter celebravit, sacramentum confirmationis administravit, conciones ad populum habuit.

Lugdunum celeberrima urbs Galliae et caput provinciae Rhodani, ad Araris et Rhodani fluminum confluentiam partim in planitie, ac partim super colles aedificata, atercentum circiter et quadraginta

millibus inhabitator incolis, maxima ex parte catholicis, sub temporali gallico dominio.

Metropolitana Ecclesia, perampla, decens, gothicaeque structurae, S. Ioannis Baptistae titulo gloriatur, et quinque eidem suffragantur Episcopi.

Eius Capitulum decem recenset Canonicos titulares, plures honorarios, quorum duo poenitentiarii munere funguntur ac nonnullos Capellanos, queis alii Presbyteri et alumni parvi seminarii accensentur pro divino servitio.

Per Canonicum-Archipresbyterum, a duobus Vicariis adiutum, animarum cura ipsamet exercetur in Metropolitana, ubi plures praesto sunt Sanctorum reliquiae, quas inter Cor S. Vincentii a Paulo, et Corpus S. Exuperii Martyris, summa veneratione adservatae.

Triginta quatuor praeterea recensentur Lugduni paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, plures virorum ac mulierum religiosae domus, nonnullae laicorum sodalitates, tria hospitalia, mons pietatis, magnum seminarium, et quinque parva in archidioecesi.

Archidioeceseos ambitus ad provincias ***du Rhone*** et ***de la Loire*** nuncupatas protenditur, decies centena et biscentum sub se complectitur incolarum millia, pluraque loca.

METROPOLITANAM ECCLESIAM ALBIEN. vacan, per obitum bo. me. Ioannis Pauli Francisci Felicis Mariae Lionnet ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus, ad nominationem, perillustris Viri Mauritii de Mac-Mahon Ducis Magentae Gallicae reipublicae Praesidis, transtulit ad recensitam Ecclesiam B. P. D. Stephanum Aemilium. Ramadiè, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, cum de mense Martio **1865** ad sedem Elnensem evectus fuit. Qui consecrationis munere suscepto, ad sibi creditam Ecclesiam accessit, inibi resedit, eamque simul ac dioecesim sedulo perlustravit.

Albia, vel Alba Helviorum, alias Albiga, urbs Galliae in provincia Tamis ad Rhodanum fluvium in planitie posita, optimo fruitur aere, et a quindecim circiter millibus inabitatur catholicis incolis sub temporali gallico dominio.

Metropolitana Ecclesia satis amplae et magnificas structurae, S. Ceciliae Virginis et Martyris titulo gloriatur, et quatuor eidem suffragantur Episcopi.

Eius Capitulum decem recenset cum theologo ac poenitentiario Canonicos titulares, ac plures honorarios, queis alii Presbyteri adiunguntur, alumni seminarii, et pueri de choro divinis inservientes.

Per Canonicum-Archipresbyterum, a quibusdam Vicariis adiutum, animarum cura ipsamet exercetur in Metropolitana.

Aliae duae praeterea recensentur Albiae paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, duo mulierum monasteria, plures laicorum sodalitates; hospitale magnum in civitate ac tria parva in archidioecesi seminaria; mons autem pietatis desideratur.

Archidioeceseos ambitus totam complectitur Tarnis provinciam, et plura sub se continet loca.

ARCHIEPISCOPALEM ECCLESIAM SELETJCIEN. in partibus infidelium vacan, per adsignationem Tituli Presbyteralis S. Marcelli factam Emo ac Rmo Domino Salvatori dum viveret S. R. E. Presbytero Cardinali Nobili Vitelleschi; Sanctissimus evexit ad eamdem Ecclesiam R. D. Caesarem Roncetti ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Romae progenitum et quadragesimum secundum aetatis suae annum supergressum. Presbyteratus ordine, ac tum in facultatibus philosophica atque theologica, tum in utroque iure dudum doctorali laurea donatus, in ecclesiasticis peragendis functionibus naviter emicuit. Academiae theologicae ad Archigymnasium romanum Censor Emeritus, in Lyceo Pontificio seminarii Romani Professor institutionum canonicarum, et penes sacram Congregationem de Propaganda Eide Officialis adlectus pro negotiis ritus orientalis, inter Sanctitatis Suae intimos Cubicularios supra numerum adscitus est, pro Oecumenico Concilio Vaticano Theologi, Pontificiae missionis extraordinariae apud Turcarum Imperatorem Auditoris, ac penes Emum ac Rmum Dominum Ioannem S. R. E. Presbyterum Cardinalem Mac-Closkey. Neo-Eboracensem Archipraesulem, praefatae Sanctitatis Suae Ablegati perfunctus muneribus, insignis Basilicae Collegiatae Sanctae Mariae ad Martyres Canonicus hucusque renunciatus est.

Seleucia satis ampla et celebris Asiae metrópolis in Syria sita, ab infidelibus adhuc detinetur ; quocirca miserrimus eius status silentio praeteritur.

CATHEDRALEM ECCLESIAM ELNEN. vacan, per translationem R. P. D. Stephani Aemilii Ramadiè ad Metropolitanam Sedem Albiensem; Sanctissimus ad nominationem perillustris Viri Mauritii de Mac-Mahon Ducis Magentae Gallicae reipublicae praesidis, transtulit ad recensitam Ecclesiam R. P. D. Iosephum Fridericum Saivet, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, cum de mense Martio 1873 Mimatensi Ecclesiae praefectus fuit.

Papirianum, seu Perpinianum, sedes Episcopi Elnensis; olim Ruscinonensis Comitatus civitas, ac hodiedum caput provinciae Pyre-

naeorum orientalium, in planitie aedificata conspicitur, salubri gaudet aere, atque a viginti circiter millibus inhabitator catholicis incolis sub temporali gallico dominio.

Cathedralis Ecclesia, satis ampla et pulchra, S. Ioannis Baptistae titulo gloriatur, elegantem praefert structuram, atque albiensi Archiepiscopo suffragatur.

Octo Canonici titulares, quos inter theologus ac poenitentiarius constituunt eius Capitulum, quod insuper nonnullos recenset Presbyteros, queis adiunguntur seminarii alumni et pueri de choro divinis inservientes.

Per Canonicum-Archipresbyterum animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Quatuor aliae recensentur Perpiniani paroeciales Ecclesiae baptismali fonte, una excepta, munitae, nonnullae pro mulieribus religiosae domus, aliquot laicorum sodalitates, duplex nosocomium, insuper magnum, ac in dioecesi parvum seminarium: mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus totam complectitur Pyrenaeorum Orientalium provinciam, pluraque sub se continet loca.

EPISCOPALEM ECCLESIAM DIOCLEN. sub Archiepiscopo Laodiceno in partibus infidelium vacan, per obitum bo. me. Ioannis Bossmann ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti : Sanctissimus ad eandem Ecclesiam transtulit R. P. D. Salvatorem Nappi, iam Antistitem Neritonensem atque in Auxiliarem Emi ac Rmi Domini Bartholomaei S. R. E. Presbyteri Cardinalis d'Avanzo, Antistitis Calvensis ac Theanensis deputavit ad pontificalia, oaeteraque pastoralia munia de eius consensu ac lubitu utraque in civitate ac dioecesi obeunda.

Dioclia, vel Dioclea, aut etiam Docela Phrygiae magnae civitas proxima Midaio et Amorio sub infidelium iugo adhuc ingemiscit; quocirca miserrimus eius status nequit referri.

CATHEDRALEM ECCLESIAM SITESSIONEN. vacan, per dimissionem a R. P. D. Ioanne Petro Dours ultro, libenterque in manibus Sanctitatis Suae peractam, ab Eademque admissam; Sanctissimus ad nominationem perillustris Viri Mauritii de Mac-Mahon Ducis Magentae Gallicae reipublicae Praesidis transtulit ad recensitam Ecclesiam R. P. D. Odo Tribaudier, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, cum de mense Martio praeteriti anni 1875 Sidoniensi ecclesiae praefectus fuit. Qui consecrationis munere suscepto, licet ad Ecclesiam sibi creditam, utpote ab infidelibus detentam, accedere nequiverit, tamen qua praedefuncti Archipraesulis Lugdunensis Au-

xiliaris, eiusque Sedis vacantis "Vicarius Capitularis sacras exegit ordinationes, pontificalia solemniter celebravit, sacramentum contulit confirmationis, caeteraque pastoralia munia laudabiliter obivit.

Noviodunum, vel Augusta Suessionum, vulgo ***Soisson,*** urbs provinciae Axonae in planitie aedificata optimo sub coelo, a duodecim fere millibus inhabitator incolis sub temporali gallico dominio.

Cathedralis Ecclesia, satis amplae, pulchraeque gothicae structurae, SS. Gervasii et Protasii titulo gloriatur, atque Eemensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum novem recenset Canonicos titulares, quos inter theologus, et poenitentiarius, nonnullos Vicarios aliosque Presbyteros, queis adiunguntur alumni seminarii et pueri de choro divinis inservientes.

Per Canonicum-Archipresbyterum a tribus Vicariis adiutum animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali, ubi plures praesto sunt Sanctorum reliquiae, praesertim SS. Gervasii et Protasii civitatis, ac SS. Xisti et Siniris dioeceseos Patronorum.

Altera praeterea reperitur Suessionensi in suburbio paroecialis Ecclesia baptismali fonte munita, aliquot tam pro viris quam pro mulieribus religiosae domus, nonnullae laicorum sodalitates, bina hospitalia, magnum ac duplex parvum seminarium; mons vero pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus totam complectitur Axonae provinciam, continetque sub se plura loca, ac fere sexcentum incolarum millia.

EPISCOPALEM ECCLESIAM AMORIEN. sub Archiepiscopo Synnadensi in partibus infidelium vacan, per obitum, bo. me. Ioannis Baptistae Swinkels ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus ad eamdem Ecclesiam transtulit R. P. D. Salvatorem. Mariam Nisio, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere cum de mense Septembri 1875 Arianensi Ecclesiae praefectus fuit. Nuperrime autem ob infirmam, praesertim oculorum valetudinem ipsius Ecclesiae dimissio in manibus Sanctitatis Suae peracta, ab Eademque admissa fuit; ast dignus fuit qui titulo Episcopalis Ecclesiae Amorien. in partibus infidelium condecoretur.

Amorium vel Amorius, cuius frequens est mentio in Conciliorum libris, urbs Phrygiae magnae Synnadam inter et Apameam, adhuc infidelium iugo miserrime subest; quocirca status eius infandus silentio praeteritur.

CATHEDRALEM ECCLESIAM ASCULAN. in Piceno vacan, per obitum bo. me. Eliae Antonii Alberani ultimi illius Episcopi extra romanam

curiam defuncti; Sanctissimus promovit ad recensitam Ecclesiam R. D. Hamilcarem Malagola ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Mutinae progenitus et in sexto supra trigesimum aetatis suae anno constitutum. Inter alumnos Pontificiae Academiae nobilium ecclesiasticorum Romae cooptatus, ibique Presbyteratus ordine ac tum in utroque iure dudum doctorali laurea donatus, in functionibus obeundis ecclesiasticis, praesertim in Dei verbo praedicando, solerter incubuit. Imolensi in Seminario theologiae dogmaticae ac iuris canonici Lectorem agens, et pro-Synodalis Examinatoris munere perfunctus, apud Cathedralem Ecclesiam Imolensem Canonicus Poenitentiarius hucusque renunciatus est.

Asculum Piceni civitas, in collis declivio ad Truenti fluminis radices aedificata, ultra trium milliarum. est ambitus,.his mille fere domos, et a septendecim circiter millibus inhabitatur incolis.

Cathedralis Ecclesia, Basilicae titulo cohonestata, assumptionis Bmae Virginis Mariae, S. Emygdii primi eiusdem civitatis Episcopi, Martyris, ac praecipui Patroni titulo gloriatur, et Apostolicae Sanctae Sedi est immediate subiecta.

Eius Capitulum unicam Archidiaconatus recenset dignitatem, duodecim Canonicos cum theologo ac poenitentiario, duodecim insuper Beneficiatos-Mansionarios, aliosque Presbyteros et Clericos rei divinae operam navantes.

Penes Capitulum extat habitualis animarum cura, quam Vicarius perpetuus ab alio Presbytero adiutus ipsamet administrat in Cathedrali.

Undecim praeterea recensentur Asculi paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, et quinque succursales, novem item virorum et sex mulierum monasteria, conservatorum, orphanotrophium, nonnullae laicorum sodalitates, aliaque loca pia, hospitale, duo pietatis montes, atque seminarium.

Dioeceseos ambitus ad plura milliaria protenditur, atque centum septuaginta quinque sub se complectitur paroecias, et alias quinquaginta Neapolitano in agro.

CATHEDRALEM ECCLESIAM ARIANEN, vacan, per dimissionem a R. P. D. Salvatore Maria Nisio libere ac sponte in manibus Sanctitatis Suae peractam, ab Eademque admissam; Sanctissimus ad recensitam Ecclesiam evexit R. D. Franciscum Trotta ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in pago Costae archidioeceseos Salernitanae progenitum et quadragesimum quartum aetatis suae annum supergressum. Presbyteratus ordine et in sacra theologia dudum do-

ctorali laurea donatus, in functionibus obeundis ecclesiasticis, praesertim in verbi Dei praedicatione, navam impendit operam. Dioeceseos Acernensis Examinator pro-Synodalis adlectus, ipsamet in Cathedrali Ecclesia Canonici Theologi et Parochi munere plurimis abhinc annis perfunctus est.

Arianum Principatus ulterioris civitas in agro Neapolitano supra montem, aedificata, in suo trium circiter milliarum ambitu quinque fere mille continet domos, et a quindecim plus minusve millibus inhabitator incolis.

Cathedralis Ecclesia pulchri, ac noviter instaurati aedificii, Binae Virginis Mariae in coelum, assumptae titulo gloriatur, atque Beneventano Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum quinque recenset dignitates, quarum post pontificalem prima Archidiaconatus, viginti Canonicos cum theologo ac poenitentiario, octo Mansionarios, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Penes Capitulum extat habitualis animarum cura, quam alter ex Canonicis ab ipsomet electus, et ab Episcopo adprobatus administrat praedicta in Cathedrali.

Praeter Cathedralem undecim reperiuntur Ariani paroeciales Ecclesiae fere omnes baptismali fonte munitae, earumque altera sub invocatione S. Ioannis est etiam Collegiata, duo insuper virorum, ac unum mulierum monasterium, plures laicorum sodalitates, conservatorum, hospitale, mons pietatis et seminarium.

Satis ampla est dioecesis et quindecim sub se complectitur oppida.

CATHEDRALEM ECCLESIAM SEGNIEN. cum ei adiuncta perpetua administratione Ecclesiae Modrusien. vacan, per dimissionem a R. P. D. Wenceslao Soie (nunc Episcopo Loríense in partibus infidelium) ultro, libenterque in manibus Sanctitatis Suae peractam, ab Eodemque admissam; Sanctissimus ad nominationem Sacrae Caesareae Maiestatis Francisci Iosephi Primi Austriae Imperatoris, Böhemiae et Hungariae Regis Apostolici ad recensitam Segniensem Ecclesiam cum perpetua administratione Sedis Modrusiensis evexit Georgium Posilovic ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus, in praesidio Ivanic, Zagabriensis archidioeceseos progenitura et quadragesimum secundum aetatis suae annum supergressum. Presbyteratus ordine et in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus est in seminario archidioecesana studii biblici ac iuris canonici plures per annos Professorem, ibique studiorum Praefectum agens, etiam penes Regiam universitatem Zagabriensem hermeneuticae generalis, introductionis

et exegeseos in sacris novi foederis libris Professor adlectus, et pro theologica facultate Pro-Deoanus constitutus est. Inter pro-synodales examinatores adscitus, in Fiscum Consistorialem et in metropolitani Consistorii Referentem Assessorem nominatus est.

Segnia Croatiae civitas ad litus Adriatici maris aedificata, ultra quingentas continet domos, et a plus quam termille inhabitator incolis catholicis sub temporali dominio praefati Serenissimi Imperatoris ac Regis.

Cathedralis Ecclesia Bmae Virginis Mariae ad Coelos Assumptae titulo gloriatur, et Zagabriensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum quatuor recenset dignitates, quarum post pontificalem prima Praepositus Maior simul et Archidiaconatus, duos insuper Canonicos absque theologali ac poenitentiaria praebendis et duos Praebendarios, qui in cura animarum Cooperatorum munere funguntur, et queis alumni seminarii adiunguntur pro divino servitio.

Diruta vero civitate Modrusiae et per Turcas destructa antiqua Cathedrali, eius Capitulum novem constans Presbyteris in tria divisum, est collegia, sita in Novi, in Bribir et Buccari. Porro in Novi adsunt dignitates Praepositi maioris, Custodis et Archidiaconi; in Buccari Lector, Archidiaconus Bucearas et Canonicus Magister; in Bribir tandem Cantor ac duo Canonici.

Alter ex Canonicis, cui duo Cooperatores praebent auxilium, animarum cura ipsamet exercet Segniensi in Cathedrali.

In Nevi Bribir ac Buccari animarum cura exercetur per respectivos Parochos a singulis Cooperatoribus adiutos, praeter Buccarensem, qui duos habet.

Nulla alia Ecclesia paroecialis reperitur Segniae, nullum monasterium, nec mons pietatis, sed duae laicorum sodalitates, hospitale atque seminarium.

CATHEDRALEM ECCLESIAM MIMATEW. vacan, per translationem R. P. D. Iosephi Friderici Saivet ad Sedem Cathedralem Elnensem; Sanctissimus ad nominationem perillustris Viri Mauritii de Mac-Mahon Ducis Magentae Gallicae Reipublicae Praesidis promovit ad recensitam Ecclesiam R. D. Iulianum Costes ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in vico, ***Savignac*** nuncupato, dioeceseos Ruthensis progenitum, et in septimo supra quinquagesimum aetatis suae anno constitutum. Vicarius in spiritualibus Generalis pro eadem civitate ac dioecesi ad praesens usque renunciatus est.

Mimatum seu Mimate civitas et caput provinciae ***de la Lozère*** dictae, montibus circumdata et in planitie sita. salubri potitur aere,

nongentas continet domos et a novem circiter millibus inhabitator incolis sub temporali gallico dominio.

Cathedralis Ecclesia Bmae Virginis Mariae et S. Privati Mimatensis Antistitis titulo gloriatur, ampla satis ac decens, mixtam exhibet structuram, atque Albiensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum novem recenset Canonicos titulares, quos inter theologus et poenitentiarius, quibus alii adiunguntur Presbyteri et pueri de choro, qui cum alumnis maioris seminarii divinis inserviunt diebus festis.

Per Canonicum-Archi presbyterum a nonnullis Vicariis adiutum animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali, ubi plures praesto sunt Sanctorum reliquiae, praesertim S. Privati et SS. Martyrum Gervasii et Protasii dioeceseos Patronorum, decenter adservatae.

Praeter Cathedralem nulla alia extat Mimatensi in urbe paroecialis aut Collegiata Ecclesia, nec mons pietatis, sed duae pro viris et quatuor pro mulieribus religiosae domus, hospitale ac duplex seminarium.

Dioeceseos ambitus totam complectitur provinciam ***de la Lozère*** et plura sub se continet loca [1]

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

IURIUM PAROCHIALIUM.

Die 11 decembris 1875.

Quae Parochialis Ecclesia seu *Plebs* erat in oppido C. ea, Communi (hoc est universitate et hominibus loci) instante, Plebanoque consentiente, de Ordinarii licentia in Collegiatam erecta est, per instrumentum diei 9 maii 1501. et Bullam Alexandri Sexti sa. me. Plebano Archipresbyteri nomen ac dignitas collata est, sex Capellani Canonici facti sunt : iisque primum Capitulum conflatum est. Com-

[1] Sequenti fasciculo VII dabimus reliquas Episcoporum nominationes; quae die praedicta locum habuerunt.

muñe quod Ecclesiae dotationem, auxerat iuspatronatus Canonicorum activum, Archipresbyteratus vero passivum sibi reservavit. Circa capitulare patrimonium constitutum est, ut illud conficerent tum dos a Communi adsignata quae praebendae loco esset, tum Ecclesiae bona, tum decimae Plebano debitae, tum quarta super parochianorum funeralibus.

Praesentem causam proprius attingunt quae de cura regimine et administratione constituta sunt in instrumento et Litteris Apostolicis, quaeque ita se habent « Post « vero decessum dicti D. Andreae (erat Andreas iste tunc « temporis Plebanus) omnis cura regimen et administra- « tio dictae Ecclesiae et eiusdem seu dicti Capituli hono- « rumque omnium in temporalibus, spectet et pertineat « ad Archipresbyterum Canonicos et Capitulum praefa- « tum. Voluit insuper praefatus D. Vicarius, quod D. An- « dreas et qui pro tempore erit Archipresbyter dictae Ec- « clesiae, in Canonicos et personas eorumdem habeat su- « perioritatem, praeeminentiam, potestatem et iurisdictio- « nem, quam habent et habere solent Dignitates Principa- <(les in Collegiatis Ecclesiis praefatae Dioecesis, et de iure « et consuetudine simili prorsus potestate fungatur ». Haec omnia iisdem fere verbis expressa, in Bulla Alexandri Sexti confirmabantur.

Quomodo res hoc in Capitulo ab initio praecesserint, vix datum est haurire ex visitatione anni 1583. Ordinarius namque eo tempore retulit « Curam vero quae eidem Ec- « clesiae imminet animarum dixere omnes spectare ad « praefatum Rmum D. Archipresbyterum Canonicos et « Capitulum praedictos, qui omnes unanimiter concordes « deputaverunt Sacristam, qui per se solum curam ipsam « dictae Collegiatae Ecclesiae exercet opere tamen et au- « xilio unius ex Canonicis pro tempore hebdomadam.... « Canonici non habitant in canonica quia ipsa non habe- « tur, sed tantummodo domus quaedam magna pro habi-

« tatione Archipresbyteri : qui cum in ea non resideat, or-
ce dinavit eumdem cogi et compelli ad continuam et perso-
« nalem residentiam faciendam in ea ».

Anno volvente 1606 novem erant Canonici in ea Collegiata : sex primi de massa, tres extra massam. Eo tempore capitularia statuta confecta sunt : et in constitutione VI *de Hebdomadario facienda* statutum est « Ordinaverunt
« quod Archipresbyter et Canonici teneantur inter eos
« constituere hebdomadarium, secundum nostrae tabulae
« formam, incipiendo ab Archipresbytero usque ad ulti-
« mum canonicum inclusive ». Et in constitutione XIV *de Sacristis.* « Praeterea decreverunt quod Archipresbyter
((et Canonici, sumptibus Capituli teneantur eligere et ha-
ec bere duos Sacristas.... ad quos etiam cura animarum pa-
ce rochianorum dictae Plebis et extra C. muros degentium
cc huic nostrae Collegiatae Ecclesiae subiectos et concre-
cc ditos, spectet atque pertineat : sed a C. licet pro sacra-
cc mentis administrandis numquam ambo discedant, nisi
cc Archipresbyteri et Hebdomadam habito consensu.... At
cc si Archipresbyter et Canonici in eos eligendos non es-
ec sent concordes saltem pro maiori parte, ordinaverunt
cc quod facta bina monitoria etiam diei spatio ab una ad
cc aliam, elapsis sex diebus, Archipresbytero tunc liceat
ee absque Canonicorum consensu eligere Sacristas pro uno
ce anno cum salario et mercede a Massa Capitulari ex-
ce truenda, et talis electio valet et teneat ac si per canoni-
ce cos omnes facta esset prout observatum fuit praeterito
ee tempore, et hoc aperte habetur in constitutionibus no-
ce stris antiquis Capitularibus huius Ecclesiae ».

Ad quaestionis intellectum praeteriri nequeunt quae leguntur in Constitutione XVII de testimonialium pro frequentia clericorum ad sacras subscriptiones **ce** ordinave-
ee runt in posterum huiusmodi testimonialium fidem ab
ce Archipresbytero cum Hebdomadario pro tempore exi-
ec stenti faciendum esse » nec quae prostant in Constitu-

tione XIX circa Sacramenti Paschalis ministrationem « decreverunt Archipresbyterum et Canonicos nemini in « posterum parochianorum concedere licentiam ut com- **ee** munionem tunc temporis in alienis Ecclesiis suscipiant » nec demum quae scripta sunt in Constitutione XXII *De domo Ecclesiae* « Praeterea Archipresbyter iuxta Visita- **ce** toris Apostolici decretum, tenetur stare, vivere et habi- « tare in domo eiusdem Ecclesiae, ibique semper perno- « ctare, nec non in omnibus dictae Ecclesiae praesto esse, « atque animarum cura maxime invigilare, et omnibus « Ecclesiae et populi necessitatibus intercessorem ac reli- **ée** giosum ut decet mediatorem se praebere ».

Ab anno 1642 ad annum 1765 in bullis Archipresbyterorum favore expeditis, constanter adiecta est formula **ee** Eique cura etiam iurisdictionalis imminet animarum **ee** super quo inter aliquos lis, cuius statum praesentibus **e<** haberi volumus pro expresso maneat indeciso ». Dein die 16 septembris anni 1787, Ordinarius morem gerens legi cuidam a civili potestate lata, iubebat in Capitularibus Ecclesiis omnibus *in quibus prima Dignitas* (alebat Ordinarius) *parochiali etiam iure fruitur, et spiritualem populi curam habet, Canonicos debere in subsidium et dependenter a prima dignitate, eam adiuvare in populi servitio et in omnibus parochialibus functionibus.*

Archipresbyterum iurisdictionis parochialis exercitium habuisse, apparet ex actibus Visitationum Episcopalium dierum 19 novembris 1804 et 9 augusti 1828, nec non ex edictis concursus sub die 18 augusti 1851 evulgatis.

Verum postremis hisce temporibus, Canonici de massa Archipresbyterum coram S. C. C. in ius rapuerunt se parochos aeque ac Archipresbyterum asserentes, et dubia proponentes tum circa curae animarum exercitium, tum circa administrationem rerum parochialium, tum demum circa nominationem et iurisdictionem Capellanorum.

Ordinarii informatio Archipresbytero favebat, ea prae-

sertim de causa, quia parochorum pluralitas saepe saepius confusionem gignit ac animarum bono adversatur.

Pluries huiusmodi causa proposita est. Primum in Congregatione diei 27 februarii 1875 in qua prodiit rescriptum *dilata et coadiuventur hinc inde probationes:* dein die 4 septembris, quo Canonicis de Massa instantibus, nova dilatio data est per responsum *dilata post aquas:* demum die 11 decembris qua resoluta est.

Ea quae fuse in triplici hac propositione hinc inde dicta sunt, per summa capita referet nostra

Disceptatio synoptiea.

CANONICORUM DE MASSA DEDUCTIONES. Ab instrumenti Bullaeque Alexandrinae verbis exordium ipsi ducebant : ostendentes omnia Archipresbyterum inter et Canonicos facta fuisse communia, tum Ecclesiae bona reditusque, tum curam regimen et administrationem. Quoad prima namque dictum fuisse *ad communem massam libere revertantur et pertineant et expectent . . . pro tempore existenti Archipresbytero dictae Ecclesiae et cuilibet ex canonicis praedictis* « quod alia vero » *omnis cura, regimen et administratio tam dictae Ecclesiae in Spiritualibus quam animarum parochianorum eiusdem, totaliter spectet et maneat dicto Archipresbytero, Canonicis et Capitulo* « Archipresbytero competere tantum relate ad Canonicos de Massa, eam *superioritatem, praeeminentiam, dignitatem quam habent et habere solent dignitates principales in Collegiatis Ecclesiis eiusdem Dioecesis de iure et consuetudine.*

Commune curae onus non minus erui ex mandato Visitatoris Apostolici de anno 1583, qui inter alia *ordinavit bis saltem in mense Archipresbyterum et Canonicos omnes capitulariter congregan : itaque semper inter eos tractentur praecipue de iis quae spectant ad curam anima-*

rum, quae, ut discere ipsi, Archipresbytero Canonicis et Capitulo ex officio incumbit nec non ex Statutorum Capitularium constitutione IX cui titulus *de Sacristis* in qua dictum est : *Praeterea decreverunt quod Archipresbyter et Canonici sumptibus Capituli, teneantur eligere et habere duos Sacristas presbyteros vita moribus ac doctrina praeditos, prout est decretum Visitatoris Apostolici, ad quos Ecclesiae cura animarumque parochorum dictae plebis et extra C. muros degentium huic nostrae Collegiatae Ecclesiae subiectorum et concreditorum praecipue spectet et pertineat.*

Nil singulare pro Archipresbytero inducere, vel ea Visitatoris verba in quibus loquitur de residentia, vel Constitutionem XXII *de domo Ecclesiae* quae ad mandatum Visitatoris refertur. Visitatorem dixisse : *Canonici non habitant in canonica quia, ipsa non habetur: sed tantummodo domus quaedam magna pro habitatione Archipresbyteri* et his verbis residentiae onus omnes pariter gravare indicasse. Archipresbytero illico et immediate residentiam imposuisse, quia pro eo existebat iam *domus quaedam magna.* Pro canonicis *canonica* non habebatur. Ergo iurium communionem haud invalidare residentiae onus quod Archipresbyter magnificat.

Posita communione, iam solidalem haberi curam inter Canonicos et Archipresbyterum, qui ad eam exercendam Sacristas quotannis eligunt : et nihil superesse quod canonicis aeque ac Archipresbytero non competat. Canonicos omnes *uti singulos* comparochos esse censendos : Archipresbyterum, ratione dignitatis, *inter aequales primum* manere.

Nec I° solidale hoc curae exercitium a Tridentina Synodo improbari, neque 2° expedire solidale hoc ius legitime constitutum delere. Primum namque quod attinet, distinctiones quasdam in iure, inveniri. Parochias existere *quae certos nrn habent* fines, in quibus parochi non

habent *proprium populum quem regant:* et in his parochonim pluralitatem admitti non posse. Haberi etiam curas in quibus plures parochi detegantur uti singuli, quos inter si unus rectoris nomine constitutus sit, hic proprie parochus, alii adiutores sunt censendi ut in causa *Iurium Parochialium 24 iulii 1875* \ Sed si nulla in fundatione distinctio reperiatur, saepe eamdem S. Congregationem Concilii pluralitatem parochorum sancivisse - ut in *Romana diei 29 augusti 1744, et in Ripana iurium Parochiae 25 novembris 1762.*

Benigniorem interpretationem esse adhibendam, et fundationem ad unguem servandam, si iurisdictio collata sit in plures naturales personas quae unam personam iuridicam efficiant, ut, puta, in beneñciatorum coetum vel in Capitulum : quia communis in animarum cura est conditio, et ex ea nulla in iure pluralitas exurgit : iurisdictio vero omnibus competit ut demonstrat Lotter. *de re beneftc. lib. 1, quaest. 20* et Rota in *decis. 225, par. 19, to. i Rec. N. 2 et seqq.*[2].

Quamobrem in decretis *cap. 7, sess. 7, cap. 16, sess. 25y*

[1] Causam hanc habes relatam in Vol. IX, p. 121.

* Praestat Lotteri et huius S. Rotae decisionis verba referre, ut cum iis Auctorum et S. Rotae sententiis quae pro Archipresbytero allatae sunt, comparatio institui valeat. Ait itaque **LOTTER**, De *re benef.*, lib. I, quaest. 20, num. **116** sqq. (ibi): « *Nihil prohibet quominus ius parochiae sit apud unumquemque ipsorum in solidum, exemplo iurisdictionis, quae licet quoad usum et administrationem admittat dividuitatem, tamen quia ipsa iurisdictio est individua, censetur esse apud singulos in solidum, exemplo servitutum, et aliorum iurium individuorum ut eoe Sententia Innoc, docuit Bart. Soc. Cato, etc. Quoad alteram quae respicit personas, est advertendum, nihil in hoc spirituali matrimonio referre an personae illa unicitas sit vera naturaliter vel civiliter, cuiusmodi est universitas aliqua: et ideo Capitulum, si quando habet curam hanc ut frequenter contingit, ubicumque non habet praelatum, bene est capax iuris istius ut consentit Ordinarius: repraesentat enim personam unicam fictam, et ita optime ei committi potest cura, et inter ipsum atque Ecclesiam contrahi matrimonium huiusmodi spirituale: nam pluralitas personarum hoc casu non consideratur, nisi ad constituendam universitatem : et consequenter personam unicam fictam: nec propterea alius tunc dicitur sponsus ecclesiae sive rector, quam ipsum Capitulum et canonici in universum »,* et num. 142 addit: « *Quo vero ad alterum (casum) negat expresse*

cap. ***13,*** *sess.* ***24*** *de reform,* nihil adesse quod canonicis adversetur : immo conceptis verbis pluralitatem confirmari in *cap.* ***18,*** *sess.* ***24*** quo concursum in omnibus curatis beneficiis indixit S. Synodus. Et post Tridentinum Concilium, S. Carolum Borromaeum tres independentes parochos in una Ecclesia constituisse, et in oppido Ceriana canonicos decimales cumulative exercentes cum praeposito.

Verum hanc de Tridentini decretis disputationem praeposteram esse, et inanem : quia Collegiatae erectio initium habuit anno 1501, scilicet multo ante Tridentinum Concilium : nec deflecti posse ab instrumento et a Bulla Alexandri VI.

Quad 2[um] contendebant; nihil suadere parochorum pluralitatem esse delendam. Damna et pericula quae ex pluralitate parochorum Archipresbyter confingit, in facto non existere : nihil esse promiscuum inter canonicos qui per turnum cum *Vicario* exercent. Vicarium ad annum electum, si negligens sit, removeri posse. In casu nihil esse quod experientia damnosum ostenderit. Quamobrem rei

Oldradus istos plures habere curam, sed tantum exercitium, etiam quod in eo sint perpetuo intitulati: et propterea infert in istis locum habere textum in Cap. *De multo de praeben.,* et in Cap. *Licet de elect.,* in 6, *cui ego assentiri nulla ratione valeo. Nam si isti in ipsa cura sunt perpetuo intitulati cum transfusione iurium parochialium, idest decimandi et funerandi, penes illos unicum quem perpetuo supponimus sponsum, utique nihil remanet praviter habitum originalem: cura autem ipsa tam habitu quam actu trans fusa censetur in istos quantumcumque plures, quod nullam absurditatem continet, sed valde est conforme iuri communi secundum cuius regulas, si cura semel apud unum habuit originem, et mox devenit in plures, habitu in solidum est apud singulos quamvis non actu, ut docent omnes* in Cap. *Prudentiam de offic, deleg., ita ut unicitas illa originaria perpetuo in omnibus illis repraesentetur, quia funguntur vice unius* S. Rota, autem in decis. 225, part. 9, Recent., num. 2 et sqq., haec statuit: *Iuri non repugnat quod duo vel plures non possint esse in solidum curati,* in Cap. *non ignoret Ioan. Andr. etc. de praebend. et dignit. penes quas vere et realiter dicitur residere omnimode cura actualis et habitualis, pro qua habenda non est necessaria formalitas sponsi sed sufficit titulus perpetuus absque dependentia ab alio Parocho: hoc enim casu isti plures, licet non sint sponsi, tamen repraesentant sponsum, nempe parochum, et de caetero vere habent curam ipsam omnimodam ».*

immutandae opportunitatem ab Archipresbytero allatam exsulare.

Post haec incassum Archipresbyteratum opponere, ex statutorum Capitularium textu, canonicos omnes ad Sacristas, seu Vicarios in curae exercitio eligendos vocari et comparochialitatis ius, quod canonici de massa uti privativum sibi vindicant, commune esse cum aliis capitularibus. Responderi enim hoc intelligi *secundum nostrae tabulae formam* sive iuxta notam de chorali servitio : minime vero secundum alteram tabulam, in qua *parochialis turnus* pro animarum cura constituitur.

Minus valere quae circa observantiam obiicit idem Archipresbyter, qui fundationem et capitulares constitutiones evertens, nonnisi legitimae praescriptionis titulo tutus esse posset. Immo observantiam canonicis opitulari. Quae enim monumenta ab Archipresbytero opponuntur, ac ea inter formulam in collationibus ex anno 1642 ad annum 1765 adhibitam, probare rem litigiosam fuisse, causamque in aevum suspensam mansisse. Ab anno 1765 eam formulam adhibitam amplius non fuisse. Alia monumenta probare, Archipresbyterum pari modo ac alios Canonicos de massa missam pro populo persolvere decimas exigere. Administrationem Sacramentorum expletam inveniri a Vicario *pro Reverendissimo Capitulo:* funerum aliosque paroeciae proventus communes esse. Haec omnia validissimum praebere iurisdictionis fundamentum : cum emolumentorum perceptio et Missae pro populo celebratio hodie etiam servata, absque parochiali iurisdictione intelligi nequeat.

Quae saecularis potestas egit ut Collegiatae huius fundationem everteret, nullo in pretio esse habenda. Capituli iurisdictionem eodem semper modo viguisse. Vicarios ad curae universae exercitium a collegio eligi *ad annum:* idque a canonicis fieri non posse sine omnimoda iuris-

dictione. Piton. *Discept. Ecc. 104 n.* **36,** Pignatell. *Cons. 24 n.* **3**, *1*.

Ceterum et ipsum haberi confitentem Archipresbyterum, quia cum ipse admittat ex fundatione, administrationem cum canonicis de massa esse communem, cumque de administratione in instrumento fundationis eadem verba adhibita fuerint ac de iurisdictione spirituali; nequit diversimode alteram ab altera iudicari: sed vel utramque communem dicere oportet, vel utramque privativam. Iamvero fundationi rectaeque rationi congruere quod communis utraque sit: privativum Archipresyteri ius nihil habere in quo fundamentum ponat.

DEDUCTIONES ARCHIPRESBYTERI. Factorum chronologiam sequutus Archipresbyter tres épocas constituebat : alteram a fundatione ad Visitationem Ordinarii de anno 1583 : alteram a Visitatione ad leges saeculares anni 1787; tertiam demum ab anno 1787 ad praesens. Ab actibus fundationis incipiens animadvertebat : tum in instrumento, tum in Bulla Alexandri VI qua instrumentum in omnibus et per omnia confirmatum est, dictum fuisse : *curam regimen et adminisrationem tam dictae Ecclesiae in spiritualibus quam animarum parochianorum eiusdem totaliter spectet et maneant dictis Archipresbytero Canonicis et Capitulo.* Atque his verbis iam in primo fundationis limine eam iurisdictionis communionem excludi quam Canonici tuentur. Etenim (arguebat) si omnia communia Canonicos inter et Archipresbyterum esse debuissent, ociosa fuisset illa verborum conceptio *ArcMpresbytero Canonicis et Capitulo* qua tres personae in Collegiata C. distinctae fuerunt : singularis prima, morales aliae : singularis primo loco, morales quasi in complementum ac adiutorium primae. Quamobrem cum nihil inane vel inconsideratum in instrumento et Bulla Apostolica reperiri retinendum sit, sequitur : distinctionem quae circa Archipresbyterum locum habuit, verum ac

realem primatum significasse: atque Archipresbytero primo singularique loco posito aliquid spectare quod coeteris de Massa Canonicis non competit.

Haec (prosequebatur ipse) confirmantur non minus ex facto quod Archipresbyter Plebani loco positus fuerat, et dignitas renuntiatus, et duplici praebenda ditatus, quam ex iure communi quia Archipresbyter *qua talis* parochialem iurisdictionem exercere debet ad tradita ex Rota *Decis.* ***135*** *cor.* Celso *n.* ***11: IS!****on obstat quod cura animarum spectet ad Archipresbyterum, quia id procedit de iure communi* » et ex Sacra Congr. Conc. *in Causa Ferulana Iurium Paroch. et praeem.* ***27*** *aprilis* ***1776*** in qua scriptum est « *Primus namque presbyterorum est Archipresbyter, qui aliis presbyteris praeest et curam habet animarum, ad Text. in cap. Off.* ***3*** *cap. in fin. et toto tit. de Off. Ar chip.* Barbosa *in Collect. DD. Lib. S. Decret, tit.* ***24*** *de Off. Archip. cap.* ***3*** *num.* ***1*** *et seqq.* Gonzal. *lib.* ***1*** *Decret, tit.* ***24*** *de Off. Archip. cap.* ***1.***

Verum his opus non esse cum in instrumento et Bulla aperte dictum fuerit: *voluit insuper quod praefatus D. Andreas et qui pro tempore erit Archipresbyter dictae Ecclesiae, in Canonicos et personas eorumdem habeat superioritatem, praeeminentiam, potestatem et iurisdictionem quam habent et habere solent Dignitates Principales in Collegiatis Ecclesiis eiusdem Dioecesis.* Nec est obiciendum haec ad Dignitatem Archipresbyteri pertinere et tantum relate ad iurisdictionem parochialem: quia hoc ipso, si Canonici sunt Parochi, Archipresbyter qui iurisdictionem superioritatem et praeeminentiam in Canonicos habet, parochis praeesse debet: et solidalis excluditur ac communis iurisdictionis participatio.

Haec de modo interpretandi actus fundationis. Et ad secundam epocham descendens, innuebat: in mandato Visitatoris Apostolici plenissimam contineri huius interpretationis confirmationem: quia licet repetatur a Visita-

tore omnes dixisse curam et iurisdictionem spectare ad Archipresbyterum Canonicos et Capitulum ; nihilominus cum sermo est de residentia, haec quae pro Canonicis indifferens esse non poterat si parochi fuissent, ea Archipresbytero imponitur, et pro Canonicis manet indifferens. *Canonici non habitant in Canonica quia ipsa non habetur, sed tantummodo domus quaedam magna pro habitatione Archipresbyteri, qui cum in ea non resideat, ordinavit eumdem cogi et compelli ad continuam et personalem residentiam faciendam in ea.* Si exercitium parochiae commune fuisset et per turnum, per turnum in parochiali domo residere debuisse etiam Canonicos, sed cum unus Archipresbyter ad residentiam compellatum, dicendum esse ipsum vere Parochum fuisse: et residentiae onus iurisdictionis parochialis exercitium secum tulisse, quia residentiae obligatio Parochis et animarum Rectoribus imponitur ut ait Barbosa *de Off. et pot. Parochi part.* ***l*** *Cap.* ***8*** *n.* ***l*** et Fargna *de benef. Quaest.* ***10*** *n.* ***283*** *et seqq.*

Visitationis interpretationem aliam esse nequire haberi ex Statutis Capitularibus anno 1606 confectis : ac praesertim ex *Constitutione XXII De Domo Ecclesiae,* qua cautum fuit: *Praeterea Archipresbyter iuxta Visitatoris Apostolici decretum, nisi aliter a superioribus permissum sit, tenetur stare, vivere et habitare in domo eiusdem Ecclesiae, ibique semper pernoctare, nec non in omnibus dictae Ecclesiae praesto esse, et in animarum cura maxime invigilare, in omnibus Ecclesiae, et populi necessitatibus intercessorem ac religiosum ut decet mediatorem se praebere.* Huiusmodi constitutione quae unum respicit Archipresbyterum, satis superque ostendi ipsum revera esse actualem Collegiatae Parochum.

Nec praeteriri posse, quod quoties de Canonicis vel de Hebdomadario sermo fit, semper Archipresbyter primo loco ponitur, et dicitur: *Archipresbyter et Canonici, Archipresbyter et Hebdomadarius:* idque inexplicabile esse,

si admittatur cum Canonicis, Archipresbyterum eosque relate ad curam animarum in eadem conditione versari.

Ab anno 1642 ad annum 1765 constantem reperiri pro Archipresbyteris iurisdictionis mentionem, in Litteris Apostolicis eorumdem Archipresbyterorum favore expeditis: eamque in verbis *ibique cura etiam iurisdictionalis imminet animarum super quo inter aliquos lis cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso maneat indecisa.* Ignotum esse quaenam fuerit haec lis : sed certum esse iurisdictionalem animarum curam Archipresbyteros possedisse. Neve probationes desiderari exercitii, cum producantur actus matrimoniales ab anno 1726 ad annum 1874 exclusive inter Archipresbyterum et Curiam Episcopalem expleti.

Ad tertiam epocham tandem accedens, et ad odium removendum quod Canonici contra actus civilis potestatis ab Episcopo eo tempore sequutae cumulare solebant, praemonebat: quoad Collegiatam C nihil immutatum fuisse, siquidem saecularis decreti finis erat unam personam in unaquaque paroecia quae iurisdictionem parochialem haberet constituere : ea autem persona unica in Collegiata C. iam existebat, et erat Archipresbyter. Et revera sequenti tempore unicum habitum fuisse parochialem iurisdictionem exercentem Archipresbyterum, deprehendi ex actibus Visitationum quas annis 1804 et 1828 Ordinarii peregerunt. Anno namque 1804 in relatione Ordinarii dictum fuisse Archipresbyterum C. habere obligationem curae animarum : et anno 1828 relatum legi « Insigni Collegia-
<(tae C. qua Parochiae Archipresbyterum Parochiam ad-
ii stare, qui quovis die Dominico populo evangelium ex-
« plicat, missam parochialem celebrat, et populum quovis
« festo die catechismum docet. Ipse duos Capellanos or-
ci dinarie adiutores habet : et necessitate cogente Canoni-
ce cos omnes de massa et extra massam ».

Demum sibi opitulari tum edicta concursus ad Archi-

presbyteratum, quibus nunciatura est vacare Archipresbyteratum *cum cura animarum:* tum ipsum concursum, tum collationis litteras, in quibus sermo fit de Archipresbyteratu cum cura animarum.

Contra haec nihil facere quae a Canonicis opponuntur de hebdomadariis, de missa pro populo, de perceptione decimarum, deque formula *parochus pro Rmo Capitulo* in quibusdam parochialibus actis adhibita saeculo praeterito. Etenim quod hebdomadam electionem respicit, ex Constitutione VI constare hebdomadarum eligi ab omnibus Canonicis et ex omnibus Canonicis, qui editarum constitutionum tempore iam non amplius sex tantum, sed novem erant. Cumque quaestio sit de parochiali cura quam Canonici de Massa sibi vindicant eosque non excedat, nequire illis tantum opitulari ius universo Capitulo competens. Iamvero Capitulum professum fuisse nolle parochialibus negotiis sese immiscere.

Missae pro populo celebrationem esse decimarum quas percipiunt correspectivum : et decimis cessantibus, Canonicos de massa amplius missam pro populo non celebrasse. Hanc missam quam ad turnum Canonici et Archipresbyter vel per se vel per alios celebrant, plane diversam esse a *missa parochiali* quae die dominico stata hora populo celebratur, et constanter ab Archipresbytero. His accedere quod Archipresbyter catechismum populo explicat, matrimoniis benedicit vel capellanos ad benedicenda delegat; quae omnia ostendunt sibi non Canonicis curae exercitium pertinere. Rota *Decis. Recent. Part.* ***7*** *Decis.* ***216*** *N.* ***10*** *et seqq.* [1]

[1] Ait S. Rota in decis, citata: « Quod autem dicti actus possint dici « facti ab ipsis Presbyteris tamquam dependentibus et deputatis ab eodem « Archipresbytero, constat ex datis in Summario... unde eo magis infertur « ad excludendam residentiam curae penes dictos presbyteros uti collegium, « et quod ab eis exerceatur nomine proprio : siquidem si ipsi essent curati, « non indigerent particulari approbatione ad audiendas confessiones sed « requireretur institutio auctorizabilis Ordinarii pro eorum administratione « in ista Ecclesia, et eo ipso haberent facultatem administrandi Sacramenta

Formulam quibusdam in actis parochialibus existentem *Parochus pro Rev. Capitulo,* Canonicis de massa nihil conferre, quia verbum *Capitulum* novemdecim Canonicos comprehendit non sex tantum Canonicos de Massa : dum nihil detrahit Archipresbytero qui habitualem curam in Capitulo residere confitetur, sibique actualis curae liberum exercitium reservandum esse contendit.

Iuris theorias quod spectat, nemini notum non esse parochorum pluralitatem ius Canonicum adversari. Alexandrum III Ianuensi Episcopo scripsisse : *quod una Ecclesia unius debeat esse Sacerdotis* idemque reperiri in capite *sicut, quaest.* ***2*** et in cap. *in quibus, quaest.* ***1 :*** *sicut in unaquaque Ecclesia unus debet esse presbyter, ita ipsa quae sponsa vel uxor eius dicitur non potest dividi inter plures.* Afferebat quoque opinionem Card. De Luca *Misceli. Eccl. disc. l,n.* ***117***[1] *et* Sacrae Concilii Congregationis responsa in causa *Senogallien. Iurium Paroch. et praeem.* ***17*** *novembris* ***1753*** [2] et in alia recentissima *Iurium Paro-*

« prout habet Archipresbyter absque speciali approbatione et licentia, una « cum attenta dispositione iuris communis. Quibus accedit quod solus Archi« presbyter tempore Paschali distribuit et colligit bullettinos impressus cum « suo nomine, contrahit matrimonia, describit baptizatorum et mortuorum « nomina quae omnia probant ad illum non ad presbyteros animarum curam « spectare ».

[1] Praestantissimus Card. **DE LUCA**, in *Misceli. Eccles.,* disc. 117, haec tradit: « Ex eadem quoque ratione ad eiusdem Concilii Tridentini et Con« stitutionum Apostolicarum praescriptum, pluribus quoque S. Congrega**TI** tionis decretis ita praecipientibus, ubi totius populi vel alicuius partis cura -« ratione unionis vel antiquae consuetudinis Cathedralis vel Collegiatae Ec« clesiae Capitulo seu alteri Regularium aut Saecularium clericorum univer« sitati incumbat, non laudatur ut cura penes omnes canonicos vel clericos « existat ac promiscue exerceatur ».

[s] Causa *Senogallien., Iurium Parochialium et praeeminentiarum,* 11 Augusti 1753, ita refertur in *Thesauro S. C. Conc.:* « Parochialem Ecclesiam « Terrae Sancti Viti in Collegiatam erexit anno 1673 Summus Pontifex Cle« mens X institutis in ea Archipresbyteratus dignitate, sex canonicatibus, « et duobus Capellanis, pro dote vero constitutis omnibus et singulis iuribus, « fructibus, redditibus, obventionibus, emolumentis, et bonis quibuscumque « antiquae Parochialis, quae omnia auctoritate Apostolica univit, et appli« cavit Capitulo, data Archipresbytero cura animarum. Tribuit quoque Capi-

chialium 24 iunii 1875 ea ipsa quam ex adverso casui applicari non posse contendebant - vide pag. 291 ostendens novum non esse quod habitualis cura in Capitulis resideat penes corpus morale, actualis vero exercitium illudque independens penes Archipresbyterum. Id in casu necessarium esse : ut quae Capellanis competat iurisdictio notum sit, et confusiones vitentur et dubia praesertim in matrimoniis.

Circa administrationem rerum capitularium et parochialium concedebat cum Capitulo conferri debere, superioritate sibi reservata : circa vero Capellanorum seu Vicariorum iurisdictionem mordicus contendebat: dato quod Archipresbyter ipse sit qui actualis curae exercitium habet, ipse quoque esse debet qui Capellanis iurisdictionem communicet pro opportunitate, eosque a se depen-

« tulo iura respicientia conservationem Ecclesiae, Stipendia Cappellanorum, et « aeditui, regimen denique et curam Parochiae. Sequenti anno 1674 Episco- « pali auctoritate compactae fuerunt Constitutiones quas observare deberent « Archipresbyter et Canonici, et in iis, iuxta Clementinam Constitutionem, « omnia, quae ad antiquam Parochialem Ecclesiam spectabant, facta fuerunt « communia inter Canonicos et Archipresbyterum, sive res esset de hono- « ribus, sive de oneribus sive de emolumentis, aliisque iuribus universis. « Ita pariter omnia haec communia declarata fuerunt in transactione quae « post longam litem actam inter Archipresbyterum et Canonicos inita fuit « anno 1703 : et quia ad Capitulum spectabant tam onera, quam obventiones « et emolumenta, ideo anno 1690 definitum fuit, neque Archipresbytero, neque « Cappellanis licere aliquid sibi retinere ex incertis Curae, in detrimentum « Canonicorum.

« Ex dispositione igitur, sive Clementinae Bullae, sive Constitutionum « Capitularium, sive transactionis initae inter Archipresb. et Canonicos, ad « haec usque tempora servata fuit consuetudo, ut nullum esset Archipresby- « tero ius privativum ; nullae siquidem in ambitu Parochiae Ecclesiae Col- « legiatae actae sunt Ecclesiasticae functiones sine venia Capituli, et Sodales « SS. Sacramenti, qui Sacras pompas seu Processiones ducere voluerunt « non. ab Archipresbytero, sed a Capitulo veniam impetrarunt, et exortis «inter eosdem Sodales et Capitulum litibus quae sopitae fuerunt, non « Archipresbytero, sed universo Capitulo reservatum fuit ius agendi Proces- « siones et Sacrum canendi. Ita pariter si quis sepulchrum extruere voluit, « non a solo Archipresbytero sed ab universo Capitulo facultatem obtinuit, « neque ipsae Parochiales functiones in funeribus et matrimoniis actae « semper sunt a Capitulo, sed etiam a Canonicis. Hanc tamen inter Cano-

dentes habeat. Canonicos de massa eo usque hostilitatem petiere, ut velint potius Capellanos a se nominatos veros Vicarios amovibiles constituere cum facultatibus omnibus, quam Archipresbyterum verum parochum confiteri, quocum isti conferant de rebus parochiae, et cuius sub directione ministerium exerceant.

His aliisque pro utraque parte in triplici certamine, fuse deductis, sequentia proposita fuere

Dubia.

I. *An Archipresbyter et sex Canonici de Massa aequali modo iurisdictionem et animarum curam exercere debeant, seu potius Archipresbytero tantum exclusive ea competant in casu.*

II. *An absque voto Canonicorum de Massa, Archipresbyter rerum parochialium administrationem gerere possit in casu.*

« nicos et Archipresbyterum tranquillitatem et unitatem turbavit nuper petita « a Patribus Conventualibus facultas ducendi processionem in honorem « Sancti Antonii quae nunquam antea ducta fuerat : Episcopus enim eam « indulsit, *quia nihil in contrarium invenerat et facto verbo cum Parocho.* «. Patres a Capitulo veniam postularunt et obtinuerunt. Id aegre tulit Archi- « presbyter qui hac de re questus est apud Eminentissimos Patres. Ex his « querelis nova emerserunt controversiarum capita, quae omnia XIII Dubiis « complexa sunt. Dubia erant:

« I. *An Cura habitualis Ecclesiae Collegiatae Sancti Petri Montis Sancti « Viti resideat penes Capitulum, seu potius totaliter et privative illa resideat « coniunctim cum actuali penes Archipresbyterum in casu.*

« Et quatenus *affirmative* quoad primam partem, et *negative* ad se- « cundam. /

« II. *An idem Archipresbyter possit independenter a Capitulo exercere « curam animarum, omniaque disponere illam respicientia in casu.*

« III. *An sine consensu et licentia Archipresbyteri ad formam tamen « assertarum conventionum, Canonici possint baptizare,* matrimoniis *assistere, « aliaque munera Parochialia exercere in casu ».*

(Alia dubia omittimus utpote a casu nostro aliena). — Post binam dilationem in Congregatione diei 17 novembris 1753 responsa data sunt:

« Ad I. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

« Ad II. *Affirmative.*

« Ad III. *Servetur consuetudo ».*

III. *An Capellani in vim simplicis nominationis, et electionis, habeant spiritualem administrationem et iurisdictionem in casu.*

Et quatenus negative.

IV. *An et a quo recipiant in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Concilii die 11 decembris 1875 causa cognita respondit :

Ad I. *Curam habitualem esse penes Capitulum et sex Canonicos esse Concuratos, dependenter quoad exercitium ab Archipresbytero, iuxta formam ab Episcopo determinandam, inspectis institutione, constitutionibus capitularibus, et legitima consuetudine.*

Ad II. *Circa bona temporalia proventus et emolumenta, administrationem esse penes Capitulum: in reliquis provisum in primo.*

Ad III. et IV. *Capellanos seu Sacristas indigere expressa Episcopali approbatione, et in reliquis provisum in primo.*

Ex QUIBUS COLLIGES.

I. In causis circa iurium parochialium extensionem ac exercitium, a fundatione, a constitutionibus ac legitima consuetudine iudicandi normas esse hauriendas.

II. Nihil prohibere quominus in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis cura habitualis maneat penes Capitulum, actualis vero independenter a Capituli dignitate exerceatur.

III. Huiusmodi regimen post Concilium Tridentinum Sacram Concilii Congregationem praeferendum duxisse, quoties fundationis peculiares leges ac consuetudo aperte non obsisterent, ut confusio ac dubia praesertim circa matrimoniorum validitatem removerentur.

IV. In casu hyerarchicum ordinem servari, ac quae-

stionum vel confusionis periculum abesse, statuta sex Canonicorum ab Archipresbytero dependentia.

V. Modum vivendi inter Canonicos et Archipresbyterum Episcopi consilio remittere sapientissimum fuisse; cuius est gregis sibi commissi necessitates propius cognoscere, mediaque proponere quibus illis satisfieri possit.

VI. Pro Capellanis seu Sacristis qui parochiale ministerium exercere debent, nudam Capituli nominationem non sufficere : sed expressam Episcopi approbationem pro illis necessariam esse.

CIRCA ELEEMOSYNAM SECUNDAE MISSAE [1]

Per summaria precum.

Die 1 aprilis 1876.

Compendium facti. Episcopus R. supplici libello Sacratissimum Principem adiit exquirens* « utrum Sacerdos « qui diebus dominicis et festivis secundum Missam pro <(populi necessitate celebrat, nullam accipiens eleemosy- « nam nec proinde nullum aliquatenus ex applicata altera « Missa percipiens speciale emolumentum, possit huius ((Missae fructum applicare personae, quae ad illam cele- « brandam Fabricae dedit certam pecuniae summam cum « hac conditione apposita.

« Animadvertendum quod nisi benefactor summam « supradictam elargitus fuerit, onus incumbit ipèi Fabri- **ce** cae ex propriis expensis eamdem pecuniam, veluti Ia- **ce** horis ac molestiae compensationem, solvendi Sacerdoti, **cc** qui propterea non minus percipit in posteriori casu **cc** quam in priori. Nam in priori commodum proficit soli « Fabricae non autem Sacerdoti, qui tamen Missam veluti **c<** pro quadam pia fundatione celebrat ».

[1] Recole Vol. VI, pag. 526.

His acceptis precibus rescriptum fuit : « Eidem Epi-
ée scopo, qui magis praecise referat quanam sub lege a pia
ee persona certa summa Fabricae tradatur, et quomodo
ee Sacerdos iterans Missam non minus perciperet Missam
ee applicando pro memorata pia persona, quam si Missam
ee pro eadem non applicaret ».

His autem Episcopus ita respondit : **ee** I° Pia persona
ee supradictae Fabricae certam summam elargita est ea
ee sub lege quod sibi ipsi secundae Missae fructus applice-
ee tur. **2°** Quod autem Sacerdos iterans Missam non minus
ee perciperet Missam applicando pro memorata pia per-
ee sona, quam si Missam pro eadem non applicaret, mani-
ée festum est ex vigente in regionibus nostris consuetudine,
ee vi cuius Fabrica summam **150** vel **200** francorum tradit
ee cuilibet Sacerdoti onus binae celebrationis diebus festi-
ee vis assumenti, pro paroeciarum necessitate, ad Cele-
ee brantis arbitrium remanente facultate applicandi pro
ee sua intentione fructum secundae Missae. In praesenti
<e autem casu pecuniae summa a dicta pia persona tradita
ee in id inservit, ut Fabrica consuetam pecuniam Sacer-
ee doti tribuere possit, quin ipsa ex propriis bonis has ex-
ee pensas facere adstringatur. Nihil ergo magis percipitur
ee a Sacerdote, quam in aliis binae celebrationis casibus ;
ee hac sola ratione casus propositus a ceteris discrepat,
ee quod in istis Sacerdos fructum secundae Missae libere
ee applicare valeat, in praesenti autem fructum Missae de-
ee beat applicare pro persona, quae Fabricae tribuit pecu-
ee niae summam, ex qua ipse sustentatur pro onere sibi
« diebus festivis imposito; in neutro autem casu stipen-
ee dium pro celebrata Missa a Sacerdote percipitur ».

EA QUAE PETITAM LICENTIAM ADVERSANTUR. Ceterum in iure est Parocho, aut alii Sacerdoti Missam iteranti omnino vetitum esse, quominus eleemosynam seu stipendium accipiat pro secundae Missae celebratione et applicatione. Patet id ex Constitutione Benedicti XIV *Cum sem-*

per oblatas, et ex constanti disciplina huius Sacrae Congregationis. Sane plures super hac re extant decisiones, sed inter eas eminet I° *Vintimilien.* ***19 decembris 1835,*** in qua cum ageretur de concedenda facultate binandi Parocho, qui uni praeerat Paroeciae, ad dubium: *An sit consulendum SSmo pro concessione petiti indulti in casu.* responsum fuit: *Affirmative ad decennium ita tamen, ut Parochus non recipiat eleemosynam pro secunda Missa;* 2° eminet *Cameracen. Missae pro Populo* ***25*** *septembris* ***1858,*** in qua prohibitio recipiendi eleemosynam pro applicatione secundae Missae saepius inculcatur. Immo huiusmodi prohibitio adeo urget, ut excludatur quicumque praetextus recipiendi eleemosynam pro secunda Missa, ceu patet ex responso, quod Cardinalis Praefectus Concilii dederat Cardinali Episcopo Cameracensi, quod ita se habet: <(Ipsorum vero Ordinariorum conscientia oneratur « stricte, ne permissio concedatur generaliter, quasi pri- « vilegium alicui Sacerdoti, vel ob peculiares casus, et ne- **ce** cessitatis causa ab ipso examinata; qui praeterea mo- **li** neat Parochos, quibus facultatem iterum eodem die se- « cundam Missam celebrandi concesserit, ne eleemosynam « vel stipendium a quovis et sub quovis praetextu pro ea <(percipiant iuxta decreta alias edita a S. Congregatione « Concilii, sed ea pro populo sibi commisso gratis appli- « cent ».

His praestitutis videtur concedi non posse facultas applicandi secundam Missam pro pio illo benefactore, qui pecuniae summam in Fabricam Ecclesiae erogavit ea sub lege, ut ipsi applicaretur fructus sacrificii secundae Missae, quandoquidem si non directe, saltem indirecte eleemosynam Sacerdos acciperet pro applicatione secundae Missae. Sane eatenus is illam summam perciperet, quatenus Missam applicaret iuxta intentionem benefactoris, qui hac sub lege illam pecuniam summam elargitus fuit. Atqui ex dictis prohibitum est secundam Missam ita ap-

plicare, ut pro ea eleemosyna accipiatur: hinc videretur in hoc casu permitti non posse, ut Missa applicetur pro benefactore.

Praeterea Parochus vel quicumque alius sacerdos curam animarum habens neque eleemosynam peculiarem percipere potest a pio aliquo Sodalitio vel Praefecto Fabricae Ecclesiae pro Missa diebus Dominicis vel Festis de praecepto celebranda vel canenda, idque licet aliquando sine onere specialis applicationis, quandoque autem cum onere peculiaris applicationis pro determinata obligatione fieret, ceu patet ex causa Brixien. 3 martii 1855 *per Summaria precum,* ubi cum Episcopus Sacram Congregationem rogasset, utrum haec praxis ab immemorabili consuetudine firmata tolerari posset saltem pro diebus festis, quibus offertur eleemosyna absque obligatione determinatae applicationis, Sacra Congregatio censuit rescribendum, *consuetudinem iuxta exposita esse reprobandam, et servandam esse Constitutionem Benedicti XIV Cum semper oblatas.*

Porro si in allata causa Sacra Congregatio reiecit consuetudinem retribuendi Parocho aliquam peculiarem eleemosynam, quamquam aliquando nulla esset obligatio determinatae applicationis, a fortiori in nostro casu videretur reiicienda postulatio applicandi Missam iteratam pro benefactore, cum nedum hic adest obligatio determinatae applicationis pro benefactore, sed imo summa a celebrante percipitur ob applicationem Missae, eo quod benefactor posuerit applicationem dictae Missae tamquam conditionem pro summa, quam reliquit Fabricae Ecclesiae.

EA QUAE PETITIONI FAVERE VIDENTUR. Verum ex altera parte non desunt rationes, ob quas huiusmodi eleemosyna permitti possit; eo quod non ratione celebrationis, aut applicationis secundae Missae rependi videatur, sed titulo remunerationis pro speciali labore atque industria.

Ad rem sane potest in medium proferri declaratio S. Congregationis Rituum *Monasterien, il iunii 1846,* quae etiam relata fuit in *Cameracen.* Episcopus ibi duo quaesita S. Congregationi Rituum proponebat, quorum primo praetermisso, quia ad rem non attinet, alterum ita se habebat : « Saepius in hac dioecesi contingit propter latitu-
« dinem Parochiarum, quod in iis sacella inveniantur,
<(ubi Dominicis et festivis diebus sive ex fundatione, sive
« ex contractu Parochi et Parochianorum Missa celebrari
((debeat pro incolarum ab Ecclesia Parochiali remotorum
« in primis seniorum et infirmorum necessitate vel com-
« moditate. Viget consuetudo, quod si per fundationem
« vel contractum de applicando sacro ad certam intentio-
<(nem nihil statutum sit, in eiusmodi casibus Celebrans
<(pro alio stipendio applicet vel ad propriam intentionem.
« Quaeritur num haec consuetudo, de cuius legalitate du-
ce bitatur, pro futuro tempore permittenda, et num pro
« praeterito aliquid exinde restituendum sit ab iis, qui
« bona fide ea usi sunt ? » S. Congr. Rituum huic secundo quaesito respondit « *Posse permitti* ».

Nec secus S. Concilii Congregatio in *Treviren. Eleemosynae Missarum* relata inter Summaria precum die 33 martii 1861. Proposito enim secundo dubio: *Utrum Parochi, qui pro necessitate circumstantiarum diebus Dominicis et festis sive in Ecclesia parochiali, sive filiali dissita bis celebrant, tradita simul doctrina christiana, pro peculiari labore et industria certum solarium, annuum a parochianis oblatum percipere valeant.* S. Congregatio respondit : *Posse permitti prudenti arbitrio Episcopi aliquam remunerationem intuitu laboris et incommodi exclusa qualibet eleemosyna pro applicatione Missa.*

Sacra igitur Congregatio Rituum et Concilii concessit facultatem percipiendi aliquid pro secunda Missa ratione laboris et incommodi; hinc nulla pretiosa ratio suppetere videtur, qua id permitti nequeat in nostro casu. Nam

Sacerdos applicans pro benefactore non percipit nisi eamdem summam et compensationem, quam habebat a Fabrica Ecclesiae, ut ex dictis patet, sed Fabrica Ecclesiae illam pecuniae summam sacerdoti iteranti dabat ratione laboris et incommodi, quia Episcopus retulit Fabricam Ecclesiae ex vigente consuetudine summam 150 vel 200 Francorum tradere cuilibet sacerdoti ob onus binae celebrationis, quod diebus festivis sibi assumit, et veluti in compensationem laboris et molestiae. Ergo sacerdos applicans pro benefactore summam perciperet ratione laboris et incommodi. Nec dicat aliquis fuisse in benefactoris intentione dandi illam summam pro applicatione Missae. Nam is illam summam relinquendo, nihil aliud egit, quam sibi assumere onus Fabricae Ecclesiae* et pro hoc beneficio velle bonum spirituale ex fructu Sacrificii secundae Missae. Ratio autem ob quam constanter haec S. Congregatio vetuit, ne pro secunda Missa eleemosyna perciperetur, haec esse videtur, nimirum ne mercimonium haberetur ex Missae iteratione. Quod mercimonium nullo modo locum habere potest in nostro casu, quia Sacerdos applicans pro benefactore eamdem compensationem habet, quam haberet si pro eodem non applicaret.

Attenta igitur specialitate casus, et cum eleemosyna haud accipi videatur pro applicatione secundae Missae, videretur permitti posse, ut Missa pro benefactore applicaretur.

Verumtamen res sapientiae ac religioni EE. PP. diiudicanda submissa fuit.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii sub die 1 aprilis 1876, causa cognita, respondere censuit : *"Non licere.*

EXINDE COLLIGES :

I. Praxim S. C. C. firmam manere; qua nempe quocumque sub titulo aut colore, vel in quolibet adiuncto eleemosyna pro secunda Missa nullimode accipi queat.

II. Rationabili eiusmodi prohibitioni ab Ecclesia peractae causam praebuisse mercimonium quod a pluribus sacerdotibus, sordidae avaritiae labe infectis, super Missarum eleemosynis neri incoeperat.

III. Proindeque Romanos Pontifices etiam Missae iterationem, eadem die, lege severa prohibuisse, ne occasio praeberetur fovendae nonnullorum presbyterorum cupiditatis; qui plura litarent sacrificia ad solum finem plures captandi eleemosynas \

IV. In themate presbyter directe aut indirecte reciperet eleemosynam pro secunda Missa, si eidem presbytero data fuisset a S. C. C. facultas applicandi secundam Missam pro pio illo benefactore, qui Ecclesiae Fabricae summam pecuniae tradidit ea sub lege ut sibi sacrificii Missae fructus applicaretur.

DISPENSATIONIS MATRIMONII.

Die 5 februarii, 1 aprilis, 13 maii 1876.

Compendium facti. Anno 1870 matrimonium rite, sed malo omine, initum fuit inter Fridericum F. et Mariam P. e Dioecesi R. in Germania. Nam ipsa prima nocte puella, comperiit, virum ita laborare morbo gravissimo et maleolenti, ut horrore perculsa, neque voluerit, neque potue-

[1] Sancta Romana Ecclesia, cuius supremus finis, omnique in adiuncto, fuit animarum bonum, primis temporibus concessit sacerdotibus, qui pro fidelium numero impares erant, ut plura eadem die, offerrent Missarum sacrificia. Quam vero consuetudinem viguisse constat etiam tempore quo sacerdotum numerus haud amplius esset ita exiguus. Tamen lege iussit severa ne amplius id fieret quum sordida quorumdam Sacerdotum avaritia dehonestare visa est, quod caeteroquin in se licitum et sanctum erat. *Nonnulli quippe nisi sunt Missas quodammodo venditare ac turpissimum quaestum de illis facere.* Quapropter illustris et antiquus Auctor sacerdotibus ingens lucrum ex Missis aucupantibus aiebat : *Quid est Missarum solemnia contuitu temporalis commodi celebrare, nisi cum Iuda Christum vendere, tanto nequius, quanto resurgendo est sublimatus?*

rit ad ipsum accedere. Inde iurgia et querelae, inde tori separatio prius et dein discessio e domo sponsae.

Quapropter Maria, consilio etiam aliorum acta, petiit apud S. Sedem dispensationem super matrimonio rato et non consummato.

A S. Sede die 17 ianuarii 1873 re ad Ordinarium remissa, Curia eiusdem processum rite iniit. Vocavit ideo ad examen Fridericum, qui inter caetera de matrimonii consummatione percontatus, iureiurando interposito, retulit matrimonium haud consummatum fuisse neque prima nocte, neque postea, licet ipse suasionibus, non autem vi adhibita, id obtinere conatus fuerit. Retulit etiam a mense iulii 1870 ad mensem aprilis 1871 sese habitasse Cum uxore, et per duos menses in eodem cubiculo dormivisse.

Subiunxit etiam per quatuor menses ante nuptias magnam inter se et Mariam intercessisse familiaritatem; quae cessavit aliquantulum, et sex menses ante nuptias iterum in suo robore rediit, et nuptiae factae sunt. Cuius temporaneae immutationis, quae ex parte mulieris nata est, nullam aliam fuisse causam, ait, quam spem nubendi cuidam K. se ditiori, quod in irritum cessum; puellam ad pristinam rediisse familiaritatem; at cum sponsum conspexisset pauperiorem quam putaverat, magnam adversus eundem suscepisse adversionem. Rogatus quoque utrum ad uxorem rediret, respondit : Quamvis dubitem, quominus uxori meae animus erga me mutetur, tamen hac mutatione facta, cohabitationem matrimonialem cum ea haud renuam. Quoad veletudinem suam ait: morbus quo laboravi, fuit inflammatio glandularum inguinalium, et causa eius fuit arduum iter a me peractum . . . . nunc ab eo omnino sanus sum.

Mulier examini subiecta, et interrogata respondit, iuramento praemisso; matrimonii consummationem haud evenisse quamvis vir saepius debitum coniugale petiis-

set, imo vi extorquere contendisset, sed irrito conatu. Quoad vero constantem adversionem contra coniugem, mulier retulit causam ob quam coniugale debitum denegavit fuisse morbum syphiliticum, quo ille laborabat.

Ad examen vocati coniugum parentes iureiurando deposuerunt omnes; sibi constare matrimonium haud consummatum fuisse; quod confirmatum fuit per alios testes ad id rogatos.

Peractis hisce rebus, balneo mulier supposita fuit per integram horam, iuxta mos; ex quo experimento constavit in ea adfuisse pene omnia virginitatis signa excepto hymene. Quoad naturam et indolem morbi Friderici rogati fuerunt tres doctores physici; qui omnes haud plene et formaliter eumdem syphilitico laborare morbo retulerunt, quamvis haud negare auderent. Alii interrogati fuerunt medici iussu S. C. Concilii qui censuerunt Fridericum integre sanatum fuisse a morbo, quo afflictabatur, ita ut debitum coniugale petere et reddere valeret.

Omitti nequit eiusmodi morbum notum ex parte fuisse ipsi mulieri antequam nuptiae complerentur, ceu examini subiecta, fassa est se rescivisse a cognato suo, qui sibi ante nuptias subridens dixerat; nuptiae non erunt quia Fridericus aegrotat.

Ordinarius autem remittens acta processus haec inter alia retulit: « Quaestio vero, an matrimonium, de quo
« agitur, fuerit consummatum, negative resolvenda omni-
« no mihi videtur. Verum namque dixisse utrumque
« coniugem, dum consummationem negant, tum eorum
« optima indoles testari videtur, tum iuramentum ab iis-
« dem emissum, tum litterae scriptae a marito, quibus
« testificatio septimae manus accedit.... Ipsa enim omnino
« abhorret a cohabitatione cum marito, quem putat morbo
« venereo affectum fuisse, quae persuasio fundata esse
« videtur. Praeterea in evidentissimo aeternae salutis pe-
ce riculo ob fragilitatis carnis versatur, nisi alterum ma-

« trimonium contrahere valeat; imo circumstantiae, in « quibus nunc versatur, eae sunt, ut probabilissime ma« trimonium civile, priori matrimonio civiliter dissoluto, « sit contracturi si matrimonium christianum contrahere « ei impossibile erit ».

Attenta amborum coniugum paupertate oeconomice causa pertractata fuit cum votis theologi et canonistae; nec non animadversionibus defensoris ex officio.

VOTUM THEOLOGI. Breviter peracta historia Facti, sibi constituit Theologus inquirendum esse an adsint in casu rationes pro concedenda matrimonii rati solutione. Praemonuit etiam aliis in casibus S. C. Congr. admisisse probationes matrimonii non consummati etiam sine physico examine mulieris [1] Item ex praxi S. C. C. haberi, probationes in favorem matrimonii rati non infirmari per hoc quod sponsi in eadem domo per aliquod temporis spatium permanserit, ut in casu nostro evenit per novem circiter menses.

Ad tres in themate, ait, reduci videntur rationes, quibus praedicti matrimonii solutio exposcitur; quarum prima est Friderici infirmitas. Ex actis processualibus exsurgere ait sponsum laborasse aliquo morbo ante matrimonii celebrationem; cuius infirmitatis indolem fundatam ingessisse suspicionem mulieri quod esset revera *syphilitica contagio.* Quo in casu eandem haud viro poscenti reddere teneri debitum coniugale. S. Thomas *3, p. q. 65, a. 2. Vir tenetur uxori debitum reddere, salva tamen prius personae incolumitate.* Quod et de uxore relate ad virum dicendum est; rationem autem assignat his verbis. « Quia ordo naturalis est ut prius aliquis in « seipso perficiatur, et postmodum de perfectione sua com« municet; et hoc etiam ordo charitatis habet, quae natu« ram perficit ». Et S. Alphonsus de Ligorio *L. 6, Tract. 6*

[1] Vide Vol. IV huius Ephemeridis, pag. 195.

de matrimonio n. 950. Certum est non teneri coniugem reddere debitum cum gravi periculo propriae vitae; imo addit: *Certum est coniugem non solum non teneri sed nec etiam posse reddere cum gravi periculo suae salutis, quia nemo est dominus vitae suae.* Neque hanc doctrinam infirmât auctoritas Summi Pontificis Alexandri III *cap. 2, de coniug. lepros. Si virum vel uxorem leprosum fieri contigerit et infirmus a sano debitum exigat : generali praecepto Apostoli quod exigitur, est solvendum:* quia uti habet Billuart *Tract, de matrimonio, Diss. 4 a. 4 respondent communiter Theologi, Pontificem locutum fuisse ex praesumptione quod non adsit periculum proximum infectionis.* Et uti habet Ligorius loco citato : *Communiter id limitant Theologi,* 1.° *si ex tali coitu iudicio medicorum adsit periculum infectionis notabiliter noxiae.* 2.° *Si coniux sanus tantum horroris habeat ad coeundum cum leproso, ut id sit moraliter impossibile; impossibilem enim nulla est obligatio.*

Ergo cum uxor haud velit neque reddere teneatur debitum coniugale, nulla spes affulget quod aliquando dissidia inter ipsos finem habitura sint eoquod ex hac repulsa originem ducant: quapropter alia adest causa (nempe dissidia gravissima, inter coniuges) qua solutio eiusmodi matrimonii peti potest.

Tertia tandem ratio quae ad id praesto esse videtur, ab Ordinario in sua informatione tradita fuit; nempe Mariam in gravissimo versari aeternae salutis periculo. Neminem negare posse, quod si aliqua suppetat via, qua coniuges possent subtrahi ab aeternae damnationis periculo, id fieri debeat.

Roborat tandem theologus vim causarum quas adduximus opinione doctissimorum theologorum qui autumant Summum Pontificem dispensare posse super matrimonio rato etiamsi una tantummodo ex supradictis causis existeret. Sánchez revera *Lib. 2, disp.* ***16,*** *n.* ***S*** hanc

habet : *Secunda causa (dispensandi) est gravis timor scandali magni futuri, quia id cedit in magnum damnum commune, inde rixae graves et neces oriri solent.* Sic Félin, *cons.* ***26,*** *n.* ***19,*** Fortius *Cons.* ***154,*** *n.* ***22*** *et* ***24,*** Menoch. *dicta praesumpt.* ***io*** *n.* ***42,*** *et de consen.* ***385*** *n.* ***7,*** *ubi cum Portio addit, hoc futurum scandalum esse ob fornicationis timorem, eoquod coniuges valde sibi displiceant..... Hinc fit esse iustam causam, quando vir omni conatu quaerit uxorem repellere, absque sanioris mentis probabili spe: unde ex dissidentium voluntate facile ad perpetuam discordiam deveniri potest, et ratio est quia sicut duorum in unum consensus amicitiam, ita dissensus inimicitias et discordias perpetuas parit. Quare Eugenius IV dispensavit ob odium quod inter coniuges emerserat, ut refert* Borgasius *de irregular, p.* ***6,*** *titul. de Sponsalibus n.* ***74.*** *Sic tenent* Felin. *cons.* ***26,*** *n.* ***19,*** Caietanus *Opuscul. tom.* ***i,*** *Tract.* ***28*** *de Matrim, quaest, unica,* Menochius *d. consil.* ***385,*** *n.* ***7.***

Tertia causa (subdit idem Auctor n. 5) *est lepra alteri superveniens. Quia cum matrimonium ordinetur ad mutuum corporis usum, ratione sobolis procreandae, et ardoris libidinis extinguendi, lepraque hunc usum impediat, ob magnum contagionis periculum, matrimonii finis non obtinebitur.* Sic Borgas, *d. num.* ***74,*** *dicens Martinum V dispensasse ob lepram* ». Et Caietanus *T.* ***i,*** *Opusculorum Tract,* ***18*** *quaest, unica* iam ante ipsum Sánchez quaesierat: *utrum discordia orta inter coniuges, sit rationabilis causa dispensandi (matrimonium ratum) ; et respondet: crediderim quod sic, consensu coniugum accedente. Tum in favorem animarum, ne scilicet in adulteria adolescentes ruant, aut permanere quasi cogantur, dum separati perpetuo manerent. Tum ad bonum pacis restituendum inter eos, sublato hoc vinculo, quod causa discordiae est, praesertim quia coniugii finis unitas est.* Etiam S. Alphonsus inter iustas causas disso-

lutionis matrimonii rati recenset *scandalum imminens.* Praeter Theologorum sententiam in favorem solutionis matrimoni rati praxim addidit Apostolicae Sedis; qua constare autumavit Summos Pontifices iam alias ob idénticas vel consimiles causas, ob quas exposcitur solutio in casu nostro dispensasse [1] praesertim accedente coniugum consensu, ceu in casu liquet adesse.

VOTUM CANONISTAE. DUO sibi esse inquirenda constituit Canonista ut suam panderet sententiam in themate 1° statum nempe virginitatis Mariae, 2° morbum Friderici tempore initi.matrimonii existentem. Quoad virginitatem seu non consummationem matrimonii ait, satis probatam fuisse I° ex experimentis rite et iuxta canones factis, 2° ex consulto Doctorum deputatorum, 3° ex complexu omnium depositionum, 4° ex Mariae honestate in Actis probata, 5° praesertim ex eius inscitia de usu matrimonii et de habitu corporis masculini, quod ex toto contextu actorum eruitur. Ex quibus omnibus tum singulariter sumptis, tum in unum collectis, exurgere edixit certitudinem de non consummato matrimonio; proindeque resolvi posse, ex hoc capite, Auctoritate Apostolica.

Gradum inde faciens canonista ad morbum Friderici tempore initi matrimonii existentem ait: quamvis in actis aliquid pro vel contra ponatur ad iudicium hac de re ferendum, attamen omnibus perpensis, nullum mihi - ait - dubium remanet de existentia veri morbi syphilitici tempore initi matrimonii. _

Igitur ad conclusionem pergens Canonista, probatum est, ait, Mariam haud consummavisse matrimonium cum Friderico; istum vero laboravisse syphilitico morbo cum matrimonium iniret; quod fuit causa iustissima aversionis Mariae a coniuge, et continuae ex eius parte denegationis ad reddendum debitum. Quidnam ergo faciendum?

[1] Inter alia vide Ephemeridis huius Vol. IV, pag. 194.

Ea quae iusta .causa fuit aversionis Mariae a coniuge, potestne nunc esse iusta causa dispensandi super huiusmodi matrimonio rato e non consummato? Nihil haesitarem, respondit, pro affirmativa sententia.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Adiuncta omnia quibus Maria conata est demonstrare suum matrimonium esse tantum ratum Defensor matrimonii ait facile e medio tolli posse, et ita infirmari ut nil adstruant. Nam his, per documenta indubia, vel uti falsis vel maxime exaggeratis demonstratis, manifestum omnino erumpere, matrimonium, de quo agitur, perfecte consummatum perhiberi ac esse; vel saltem nullam in themate existere probationem, quae praesumptionem *iuris et de iure* de non subsequuta matrimonii consummatione excludat. Et revera mulier plures per noctes sola cum solo viro in eodem cubiculo condormi vit ; ex quo fit ut nullimode ipsa probare possit quod matrimonium cum eo non consummaverit. Et canonum dispositiones eamdem repellere ab ipso iudicii limine. Siquidem dispositio Capitis *Accepisti, de frig. et male f.* sic se habet : « *Si muliere agente, vir asserat, se potentem, nisi per aspectum corporis vel alio indubitato modo convincatur, mulier non auditur.* Posita enim viri potentia, et condormitione in eodem cubiculo, luculenta et ineluctabilis iuris et de iure praesumptio [1] erumpit, quod matrimonium fuerit consummatum. Haec igitur praesumptio iuris et de iure mulierem ab ipso iudicii limine sic repellit, ut ipsa nec audiatur, nisi per aspectum corporis, vel alio modo in-

[1] **Praesumptio, quae est rationabilis coniectura rei dubiae collecta ex aliquo verisimili alia est** *iuris tantum,* **alia est** *iuris et de iure.* **Praesumptio** *iuris tantum* **illa est cui Ius tamdiu innititur donec contrarium probetur ; ita ut contra hanc praesumptionem probatio in contrarium admittatur. Praesumptio autem** *iuris et de iure* **illa est, cui Ius adeo fortiter innititur, ut eam pro veritate habendam decernat; et contra eamdem haud admittat probationem. Nisi tamen de contraria veritate aperte constet; quia tunc omnis praesumptio cessat, et veritati cedit.**

dubitato probet, matrimonium nequaquam consummavisse.

Ideoque Mariam duobus mediis dumtaxat in themate uti posse, quibus matrimonii consummationem excludere valeat, scilicet *aspectu corporis et modo indubitato.* Neque *modum indubitatum* dici posse Mariae et Friderici confessionem, aut viciniae rumorem; id enim obtineri dumtaxat cum unus vel alter coniugum impotentia coeundi laboret, non vero curn de potentia nullum habeatur dubium : ceu constat ex capitibus *Laudabilem, Fraternitatis* et *Litterae de frig. et malef.* Ast in themate nil aliud adesse quam confessionem coniugum et septimae manus credulitatem ad probandum matrimonium non fuisse consummatum; sed omnia haud adstruere probationem ex canonum disciplina.

Nulla fulciri veritate Mariae adversionem a reddendo debito coniugali, cum ex depositionibus medicorum constet Fridericum nunquam fuisse contagio syphilitico infectum, quod notum fuit mulieri ante matrimonii celebrationem ; eoquod scivisset morbum Friderici haud esse periculosum sponsumque curatum iri, ut quidam medicus affirmavit.

Itaque quum Maria ante matrimonium nullam habuisset causam, nec scilicet praetensum morbum syphiliticum, nec ullam coactionis speciem, nulla prorsus ratio vel levissima subesse poterat, qua ipsa per duos menses in eodem cubiculo *sola* cum *solo* Friderico condormiens matrimonium consummare renuis set. Ideoque multo magis in themate firmissima manet dispositio Sacrorum canonum ac praesertim dispositio in Cap. *Super eo,* qua *nisi rationabiles et fide dignae probationes accedant* nihili prorsus facienda est unanimis coniugum confessio et *septimae manus* credulitas quod matrimonium non fuerit consummatum. Proinde cum omnia concurrant in themate ad evincendum matrimonium consummatum,

impossibilis sit dispensatio a praetenso matrimonio rato et non consummato, ex eo etiam quod compertissimi iuris sit, non posse unquam eiusmodi dispensationem indulgeri, nisi probationes de non consummatione plenissimae sint et concludentes, omnemque suspicionem removeant. Sacra enim Concilii Congr. passim animadvertit, ut, caeteris missis, in *Neapolitana Matrimonii* 31 martii 1770 § *Contra,* ibi : *quod ex sola cohabitatione et condormitione Viri iuvenis cum uxore iuvene, quinque mensium spatio continuata, violentam resultare ac certam* IURIS ET DE IURE *praesumptionem sequutae consummationis. Cap. litteris* ***12*** *Cap. Tertio loco de praesumpt.* Pignat. *tom. i, consult, can.* ***148*** *n.* ***21*** Rota coram Falconer. *de spons. decis.* ***3,*** *n.* ***13.*** *Et adversus hanc praesumptionem non alias admitti probationes, nisi quae plenissimae sint et concludentes, omnemque suspicionem removeant,* Pigliateli, *ibid. n.* ***15*** *et* ***22,*** Card. De Luca *de Matrim, disc.* ***7,*** *n.* ***7*** Rota in *decis.* ***171,*** *n.* ***5,*** *part.* ***9,*** *tom. i, Recent.* ».

Insuper matrimonii Vindex, aiebat: posita in themate viri potentia, et condormitione in eodem cubiculo, omnia virginitatis signa, etiamsi adessent omnia, quod non verificatur in themate, nullam prorsus exerere vim possent ut perpendit S. C. C. in *Neapolitana Matrimonii die* ***28*** *aprilis* ***1770*** *§ Plura* - ibi : *Plura inde animadvertit, ut prosternat inspectionem corporis mulieris ab Ostetricibus factam, quam fallacem esse contendit, non solum ex ipso Iure Canonico Nec aliqua Cap* ***27,*** *quaest.* ***1,*** *Cap. Causam* ***14*** *de probat.* Gloss, in *Cap. Proposuisti, verb. per aspectum de probat., verum etiam ex constanti plurium auctorum sententia, asserentium vel nulla per se dari certa virginitatis signa,* Zacchias *quaest, med. legal, tom. i,* ***I. 2,*** *tit.* ***2,*** *quaest, i, num.* ***4*** *ei seqq.* Augen, *epist, med. tom.* ***2,*** *L.* ***1,*** *cap.* ***5*** *vel matrimonii consummationem perfici posse citra ullam virginalis claustri laesionem,*

Lor. *in 4, dist.* ***27,*** *quaest, i, art. 4, § Causae;* Sánchez *de matrim, disp.* ***21,*** *n.* ***2,*** *lib.* ***2,*** Annaeus Robert *lib. 4,* **Ter.** *iud. cap.* ***10,*** *pag.* ***790.*** *Multo vero magis huiusmodi inspectionem fallacem habendam esse in praesenti casu, quo Catharina adolescentula annorum septemdecim viro coniuncta fuit, eiusque corporis recognitio, non prius quam post novennium fuit expleta; hoc etenim temporis spatio partes coalescere, glutinari atque ad naturalem integritatem redire potuerunt.* Augen, *loc. cit.* Zacchias *loc. cit. et quaest.* ***3*** *n. 4* Severin. Paen. *de not. virg. lib. 4, Cap. 6.*

Qua de re his mature perpensis, proposito dubio : *an constet de matrimonio rato et non consummato, ita ut liceat Marchioni Vincentio Gonfalone ingredi religionem approbatam ad effectum in ea profitendi in casu:* S. Congregatio Concilii respondit: *Negative.* Hinc matrimonii vindex colligebat : si potentia viri indubia sit, et in facto constet de condormitione coniugum in eodem cubiculo, nullam habere vim possunt eorumdem confessio, septimae manus credulitas, et integra signa virginitatis ad hoc ut obtineatur dispensatio super matrimonio praetenso rato et non consummato. Neque tamen aiebat, oblivisci debet nostro in casu defuisse hymenem; in quo physici Doctores praecipuum prospiciunt virginitatis signum.

His, aliisque hinc inde relatis propositum fuit dirimendum

Dubium.

An sit consulendum SSmum pro dispensatione matrimonii rati et non consummati in casu.

RESOLUTIO. Sacra Concilii C. die 5 februarii 1876, causa discussa, censuit respondere - *Affirmative.*

CAUSAE PROSEQUUTIO. Verum per matrimonii Vindicem novae auditionis beneficium imploratum obtentumque fuit. Et causa iterum ad trutinam rediit sub die

1 aprilis 1876 cum'dubio: *An sit standum vel recedendum a decisis in casu.* Die praedicta prodiit responsum : *Ad proximam omnino et infallanter.* Tandem die 13 maii 1876 iterum discussa eadem quaestio fuit sub dubitandi formula.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu. Responsumque datum est - *In decisis.*

EXINDE COLLIGES :

I. Ambigi nullimode nequire Summum Pontificem pollere facultate a Christo in S. Petro accepta, resolvendi matrimonia rata; eoquod auctores iidem qui dubitent de hac potestate, tamen fateantur S. Sedem saepe dispensasse super matrimonii eiusmodi.

II. Etenim si R. Pontifex aliquando dispensavit super matrimoniis ratis, dubitare de eius potestate esse instar sacrilegii; quia idem esset ac Christo quasi exprobrare, quod non satis Ecclesiae providisset.

III. Tamen ad dispensationem obtinendam super matrimonio rato et non consummato adesse debere causas; quae id suadeant et iustam efficiant eiusmodi resolutionem.

TV. Inter alias causas quae a DD. recensentur adnumerari morbum contagiosum ; quo vir, vel mulier laboret ; ita ut ex carnali eorumdem coniunctione adsit (ex medicorum iudicio) periculum infectionis notabiliter noxiae; aut pars sane ita a concubitu horrescat, ut id moraliter impossibile fiat: impossibilium enim nulla est obligatio.

V. Gravissima inter coniuges dissidia, quae probabiliter censentur finem non habitura; gravemque magni scandali timorem cum periculo vitae aeternae recenseri inter causas dispensandi super matrimoniis tantum ratis.

VI. Ex praxi S. C. C. erui probationes matrimonio rato favorabiles haud infirmari ex facto cohabitationis

coniugum per aliquod tempus in eadem domo; et aliquando easdem probationes admissas fuisse absque physico mulieris examine.

VII. In themate tres praesto fuisse causas videri; quibus matrimonii praesentis dissolutio concedi poterat; dissidia nempe inter coniuges, morbum unius compartis, et periculum vitae aeternae: dum ex Theologorum sententia etiam illarum una sufficeret pro ista dispensatione obtinenda.

EX S, APOSTOLICA POENITENTIARIA

Dubia.

Dubium S. Poenitentiariae propositum: An praelati regulares post constitutionem Apostolicae Sedis iisdem privilegiis gaudeant quibus antea, id est possint necne suos subditos absolvere a casibus papalibus in dicta constitutione simpliciter reservatis?

Sac. Poen. die 5 decembris 1873 respondit: *Negative* salvis illis facultatibus, quae promanant ex rescriptis particularibus ad tempus concessis.

EX 8. CONGREGATIONE S. U. INQUISITIONIS

Dubia.

Em. Philippus De Angelis S. R. E. presbyter Card. et Episcopus Firmanus sequentia dubia S. U. I. Congr. proposuit.

1. Qua parte Tridentinae censurae a const. Apostolicae Sedis confirmatae adhuc vigeant? Quod idem est ac quaerere an peccans in materia, quam et constitutio *Apo-*

stoUcae Sedis, et Conc. Trid. attingunt in duplicem excommunicationem incidat alteram Rom. Pontifici specialiter reservatam vi supradictae constitutionis, alteram simpliciter reservatam vi Conc. Trid. *1* Et proinde an usurpatores bonorum Ecclesiasticorum duplici innodentur excommunicatione ?

2. An qui emant ecclesiastica bona ab usurpatoribus usurpata incidant in excommunicationem R. Pontifici specialiter reservatam vi articuli XI memoratae constitutionis \

3. An saltem in excommunicationem R. Pontifici simpliciter reservatam vi cap. XI *Be Ref.* sess. XXII a Conc. Trid. editam?

S. U. I. Congr. die 8 iulii 1874 respondit :

Ad 1. *Negative.* Videlicet usurpatores bonorum ecclesiasticorum innodari sola excommunicatione R. Pontifici specialiter reservata.

Ad 2. Minime dubitandum, quin ementes bona ecclesiastica ab usurpatoribus usurpata incidant in excommunicationem R. Pontifici reservatam : etenim prescindendo a quaestione an supradicta emptio aliquo modo attingatur a constit. *Apost. Sed.* art. XI nulli dubium esse potest quin comprehendatur a clarissima dispositione cap. XI *De Ref or.* sess. XXII Conc. Trid.

Ad 3. Provisum in praecedenti.

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM

DECISIONES.

Hodiernus magister Caeremoniarum ecclesiae metropolitanae de Venezuela, a Sacra Rituum Congregatione humillime insequentium dubiorum solutionem expostulavit, nimirum :

DUBIUM I. In ecclesia cathedrali Venezuela, ad benedictionem fontis baptismalis in sabbato sancto et in vigilia Pentecostes, loco cerei paschalis alius cereus adhibetur : quia magnitudo cerei paschalis non permittit eum asportare ad dictam benedictionem. An huiusmodi consuetudo possit tolerari?

DUBIUM II. An in missis de instrumentis Dominicae Passionis, quae in hac dioecesi ex speciali concessione celebrantur in feriis sextis Quadragesimae, paramenta sacerdotalia debeant esse coloris rubri, vel potius violacei ?

DUBIUM III. An in ecclesia cathedrali celebrari debeat cum missa votiva a rubricis designata non tantum anniversarium consecrationis, sed etiam electionis Episcopi ?

DUBIUM IV. An sacerdos in anniversariis defunctorum, quae ex devotione petuntur, satisfaciat celebrando missam de sancto, quando iuxta rubricas non possit celebrari de Requiem ?

DUBIUM V. An commemoratio feriarum tertiae et quartae Rogationum omitti debeat in missis primae vel secunda classis?

DUBIUM VI. An in missis votivis, quae pro re gravi celebrantur in ecclesiis ubi una tantum cantatur missa, fieri debeant commemorationes quae admittuntur in festis primae classis scilicet de Dominica vel de Feria maiore, vel de sancto duplici aut semiduplici de quibus ea die recitetur officium?

DUBIUM VII. An pro ecclesiis maioribus, in quibus diebus ieiunii diaconus et subdiaconus servire debent in missa cum planetis ante pectus plicatis, veniant etiam ecclesiae parochiales ?

DUBIUM VIII. An commemoratio festorum, quae in anno simplificantur, omitti debeat in secundis vesperis, quando sequitur festum primae vel secundae classis ?

DUBIUM IX. An recurrente aliqua die infra Octavam in feria sexta post octavam Ascensionis, officium recitari debeat die infra octavam vel potius de feria sexta?

Sacra vero eadem Congregatio, audito voto in scriptis alterius ex apostolicarum caeremoniarum magistris, re mature accurateque perpensa, propositis dubiis rescribendum censuit :

Ad I. Affirmative, dummodo etiam cereus sit benedictus, in eoque infixa sint quinque grana thuris.

Ad II. Affirmative, ad primam partem; negative ad secundam.

Ad III. Affirmative, et detur decretum in una *Granaten.* 14 augusti 1858 \

Ad IV. ì)etur Decretum generale, die 5 augusti anni 1662[2].

Ad V. Affirmative diebus primae classis; negative diebus secundae classis.

[1] En dubium I huius causae: « *An* missa solemnis in anniversario electionis et consecrationis Episcopi sit praeceptiva in cathedralibus et collegiatis dioecesis, licet *Caeremoniale Episcoporum,* lib. II, cap. XXXIV, n. 1, solum dicat *celebrari convenit? - Affirmative,* accedente mandato Episcopi » (G**ARDELLINI,** *Decreta authentica Congregationis Sacrorum Rituum,* app. III, n. 5274, tom. V, pag. 26).

[2] « Sacra eadem Congregatio, ut Missalis Rubricae inviolatae serventur, districte praecipit omnibus et singulis sacerdotibus tam saecularibus, quam regularibus cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam necessario exprimendi, ut in posterum omnino dictam Rubricam servent, ita ut missas privatas pro defunctis, seu de Requiem, in duplicibus nullatenus celebrare audeant, vel praesumant. Quod si ex benefactorum praescripto missae huiusmodi celebrandae incidant in festum duplex, tunc minime transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio -animabus suffragia expectantibus detrimento sit, sed dicantur de festo currenti cum applicatione sacrificii, iuxta mentem eorum benefactorum, curentque ecclesiarum rectores, sacristae, aliique, ad quos pertinet, ut huiusmodi Decretum inviolate servetur, et in sacristia affixuni retineatur, ubi commode ab omnibus celebrare volentibus conspici ac legi possit. In eos autem, qui contra facere ausi fuerint, vel praemissa adimplere neglexerint, locorum Ordinarii tum Saeculares, tum Regulares, pro modo culpae animadvertant... Et facta de praedictis SSmo relatione, Sanctitas Sua annuit, et cum applicatione Sacrificii satisfieri, ac benefactorum mentem impleri voluit » (G**ARDELLINI,** *Ibid.,* n. 2178, tom. I, pag. 370).

Ad VI. Negative, et detur decretum in una *Carmelitarum excalceatorum provinciae Poloniae,* 29 ianuarii 1752 \

Ad VII. Affirmative ad effectum de quo in casu.

Ad VIII. Affirmative vel negative iuxta regulas tabellae concurrentiae, non secus ac si de ipsis factum esset officium.

Ad IX. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam, et detur decretum in *Veronen.* 17 sept. 1853 [2].

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 23 aprilis 1875.

C. Card. PATRIZI.

Episc. Ostien. et Velitern., *S. R. C. Praef.*

Piae. Ralli, *S. R. C. Secretarius.*

MECHLINIEN.

Memoriale Rituum iussu Benedicti XIII editum permittitur adhibendum pro aliquibus praestantioribus sacris "functionibus persolvendis in minoribus ecclesiis pa-

[1] En dubium de quo agitur. « 9. Iis in ecclesiis Regularium, in quibus non est consuetudo cantandi quotidie missam currentis officii, utrum in missa solemni, quae sola canitur pro re gravi, vel ob occursum festi solemnis, de quo eodem die officium nequit fieri, non cantata missa diei, nempe de dominica privilegiata; feria maiori, vel festo aliquo, debeat addi collecta illius diei officii currentis, nempe festi alicuius, dominicae, feriae maioris? - Ad 9. In missis votivis solemnibus, quae pro re gravi, vel ob occursum festi solemnis in aliam diem transferendi, etsi unica tantum cantetur missa, unica oratio dicenda est» (GARDELLINI, *Ibid.,* n. 4223, tom. II, p. 433).

[2] En dubium de quo agitur: « 4. Iuxta Decretum S. R. C. diei 2 Augusti 1691, in *Romana, Dubiorum,* ad 10, feria VI post Octavam Ascensionis fieri potest de festo semiduplici translato, quod ad aliam diem esset amandandum; si in praedicta feria occurreret dies infra octavam Titularis ; quaeritur an in hoc casu agendum sit officium de praedicta feria, ut autumant nonnulli; vel de die infra Octavam Titularis, cui aliunde Symbolum iure competit? - Ad 4. Agendum de die infra Octavam » (GARDELLINI, *Ibid.,* n. 5196, App. II, vol. IV, p. 176).

rochialibus. In dioecesi autem Mechliniensi plures existunt ecclesiae non parochiales et oratoria regularium, fratrum religiosorum, et monialium seu foeminarum religiosarum, in quibus, ob defectum sive ministrorum, sive paramentorum, officia hebdomadae sanctae aliaque similia solemniter celebrari nequeunt, convenienter vero persolvi possunt iuxta praefatum parvum Memoriale Rituum prout in pluribus ex dictis ecclesiis et oratoriis, etiam fieri solent. Porro nonnullis dubitantibus, num sibi eo Memoriali uti liceret, et dubia sua exponentibus compositori Kalendarii dioecesani, ipse ad quaestionem dirimendam, approbante Emo et Rmo Domino Cardinali Archiepiscopo, ad Sacram Congregationem recurrit, et humiliter ab eadem exquirit.

I. An in dictis minoribus ecclesiis non parochialibus et oratoriis officia hebdomadae sanctae aliaque similia iuxta Memoriale Rituum Benedicti XIII persolvi possint ?

II. Si negative, supplicatum ut Sacra Rituum Congregatio eius usum in praefatis ecclesiis et oratoriis dioecesis Mechliniensis indulgere dignetur.

Sacra porro eadem Congregatio, re mature accurateque perpensa, auditoque voto Rmi Adsessoris eiusdem Sacrae Congregationis, rescribendum censuit:

Ad dubium: negative.

Ad postulatum vero, pro gratia iuxta modum, nimirum: ut petita facultan concedatur solummodo oratoriis sive publicis sive privatis Monialium sub clausurae lege viventium, et aliis oratoriis sive ecclesiis publicis pro locorum necessitate, sive magna utilitate, iuxta prudens Rmi Ordinarii pro tempore arbitrium, et facto verbo cum Sanctissimo.

Die 16 martii 1876.

Pacta autem de praedictis Sanctissimo Domino nostro Pio Papae IX per infrascriptum Secretarium fideli

relatione, Sanctitas Sua benigne annuit pro gratia ad tramitem supradictae resolutionis, limitato tamen tempore ad proximum quinquennium.

Die 23 eiusdem mense et anno.

Ita reperitur in Actis et Regestis Secretariae Sacrorum Rituum Congregationis.

Ex eadem Secretaria die 26 aprilis 1876.

Placidus Ralli, *S. R. C. Secretarius.*

DECRETUM.

ROMANA. Beatificationis et canonizationis ven. servae Dei, Elisabeth Canori Mora tertiariae ordinis excalceatorum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum.

Instante Rmo Patre Fr. Georgio a Virgine, Sacerdote Professo Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum et huius Causae Postulatore, subscriptus Cardinalis Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus et Causae Ponens, sequens proposuit Dubium in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis; nimirum: *An sententia lata a Rmo Cardinali Urbis Vicario super Cultu praedictae Ven. Servae Dei nunquam exhibito, seti super paritione Decretis sa. me. Urbani Papae VIII, sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?* Emi porro et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore, rescribere censuerunt : *Affirmative;* seu *sententiam esse confirmandam.* Die 27 maii 1876.

Facta postmodum de praedictis Sanctissimo Domino N. Pio Papae IX, ab infrascripto Sacrorum Rituum Con-

gregationis Secretario fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habere et confirmare dignata est. Die 1 iunii anni eiusdem.

C. Card. PATRIZI,
Episc. Ostien. et Velitern., *S. R. C. Praef.*

L. ©S.

Placidus Ralli, *S. R. C. Secretarius.*

DECRETUM.

ROMANA seu LUCANA. Beatificationis et Canonizationis ven. servi Dei Ioannis Baptistae Cioni Sacerdotis Professi e Congregatione Clericorum Regularium Matris Dei et primi Socii Beati Ioannis Leonardi Fundatoris praedictae Congregationis.

Quum tertio nonas iunii anni 1875 Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX benigne induisent, ut de validitate omnium Processuum in eadem Causa constructorum ageretur in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria absque interventu et voto Consultorum; instante Rmo P. Aloisio Narcisso Biagioni Causae Postulatore, Emus et Rmus D. Cardinalis Aloisius Bilio Causae Ponens, sequens Dubium discutiendum proposuit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum subsignata die habitis, nimirum : *An constet de Validitate Processuum in Causa praedicti Ven. Servi Dei constructorum: Testes sint ac recte examinati, et iura producta legitime compulsata in casu et ad effectum de quo agitur?* Emi porro ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore, respondendum censuerunt: *Affirmative, exclusis in Processu Ordinario Informativo praecipue Teste* ***207*** *Causae Postulatore, nec non Testibus* ***7, 75, 77, 78, 126, 127,*** *et* ***201;***

demptisque attestationibus extraiudicialibus, quae adminiculi loco habeantur. Die 27 maii 1876.

Praedictis per infrascriptum Secretarium fideliter relatis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX; Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit. Die 1 Iunii anno eodem.

C. Card. PATRIZI,
Episc. Ostien. et Velitern., *S. R. C. Praef.*

L. gg S.

Placidus Ralli, *S. R. C. Secretarius.*

EX VATICANO

Litterae Apostolicae

VENERABILIBUS FRATRIBUS EPISCOPIS BRASILIANAE REGIONIS

PIUS PP. IX

VENERABILES FRATRES, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Exortae in ista ditione superioribus annis perturbationes ex parte eorum, qui massonicae sectae addicti in piorum christianorum sodalitate irrepserunt, uti vos, venerabiles fratres, in dioecesibus praesertim Olindensi et Belemensi de Para in gravem adduxere conflictum, sic nostro animo, ut scitis, molestae admodum et acerbae extiterunt. Non enim poteramus sine dolore respicere, quod exitiosa illius sectae pestis ad corruptionem praedictarum sodalitatum manasset, atque ita ea instituta quae ad sincerum fidei et pietatis spiritum fovendum ordinata essent, superseminata funesta zizaniorum messe in miseram conditionem essent prolapsa. Hinc nos Apostolico nostro munere admoniti, et paterna caritate impellente qua istam Dominici gregis partem prosequimur,

huic malo occurrendum esse incunctanter existimavimus, ac Uteris datis die 29 maii anno 1873 ad te, venerabilis frater Olindensis, nostras voces contra hanc deplorandam perversionem in Christianas sodalitates invectam extulimus, ea tamen lenitatis et clementiae ratione erga deceptos et illusos massonicae sectae asseclas adhibita, ut ad congruum tempus reservationem censurarum in quas ipsi inciderant suspenderemus, in eum finem ut nostra benignitate uterentur ad detestandos errores suos, et ad damnatos, quos iniverant coetus, deserendos. Mandavimus insuper tibi, venerabilis frater Olindensis, ut eo temporis spatio elapso nisi ipsi resipuissent, praedictas sodalitates supprimeret ac suppressas declarares, easque novis sociis adscriptis ab omni massonica labe immunibus, iuxta suae originis rationem de integro restituens. Praeterea cum Nos in encyclica epistola ad catholici orbis episcopos data die 1 novembris anno 1873 fideles omnes adversus sectariorum artes et insidias pro munere Nostro munire studeremus, palam ea occasione pontificias constitutiones contra pravas societates sectariorum editas in memoriam fidelium revocavimus, atque ediximus iis constitutionibus non unos percelli massonicos coetus in Europa constitutos, sed omnes quotquot in America aliisque totius orbis plagis habentur. Hinc nos non potuimus non vehementer mirari, venerabiles fratres, quod, cum auctoritate nostra, et consiliis errantium salutem spectantibus interdicta sublata essent, quibus in ista regione nonnullae Ecclesiae et sodalitia ex massonicis asseclis late conflata, subiecta fuerant, ex hoc occasio capta fuerit in vulgus disseminandi, massonicam societatem in istis plagis consistentem apostolicarum damnationum exsortem esse, ac proinde eosdem sectarios tuto posse in piorum christianorum sodalitatibus partem habere. Sed quantum haec a veritate et a nostri animi sententia aberrent, id aperte declarant tum ea acta, quae

superius memoravimus, tum epistola ipsa quam ad serenissimum Imperatorem istius regionis scripsimus die 9 februarii 1875, in qua dum interdictum, quod nonnullas Ecclesias istarum Dioecesium afficiebat, revocatum iri spondebamus, ubi vos venerabiles fratres Paranensis et Olindensis, iniusto carcere detenti in libertatem essetis restituti, eam tamen reservationem et conditionem adiecimus, ut scilicet massonici asseclae ab officiis quae in sodalitiis gererent, summoverentur. Quae ratio providentiae nostrae non aliud habuit neque habere potuit propositum, nisi ut Imperatoris votis hac ex parte expletis, ac tranquillitate animorum revocata, opportunitatem imperiali Gubernio praeberemus pias sodalitates, massonica labe depulsa, in pristinum statum restituendi, ac efficiendi, ut damnatae sectae homines nostra erga ipsos clementia permoti a perditionis via sese eripere curarent. Ne vero in re tam gravi ullum dubium superesse posset vel ullus deceptioni locus, nos non omittimus hac occasione iterum declarare et confirmare, massonicas societates, sive quae in ista regione, sive quae alibi terrarum existunt, quaeque a multis vel deceptis vel decipientibus socialem tantum utilitatem et progressum, mutuaeque beneficentiae exercitium spectare dicuntur, Apostolicis constitutionibus et damnationibus esse proscriptas atque perculsas, eosque omnes qui sectis iisdem nomen infauste dederint, ipso facto in maiorem excommunicationem Romano Pontifici reservatam incidere. Vehementer autem cupimus, venerabiles fratres, ut sive per vos, sive per cooperatores vestros de hac exitiosa peste fideles admoneatis, eosque omni qua potestis ratione ab ipsa incolumes praestare adnitamini. Nec minori cum sollicitudine vestro zelo commendamus, ut religiosa doctrina per praedicationem verbi Dei, per opportunas instructiones Christiano populo isthic sedulo tradatur; scitis enim quae utilitas ex hac ministerii parte, si rite impleatur, quae

damna gravissima si negligatur, in Christianum gregem dimanent. At praeter ea de quibus hic egimus, deplorare etiam cogimur potestatis abusum ex parte eorum qui memoratis sodalitatibus praesunt, qui nempe, ut ad No» perlatum est, omnia ad suum arbitrium revocantes, indebitum ius in rebus et personis sacris, et in iis quae spiritualia sunt ibi vindicare praesumant ita, ut ecclesiastici viri et Parochi ipsi in sui officii muneribus obeundis, eorum potestati obnoxii reddantur.

Quae res non modo ecclesiasticis legibus, sed et ipsi ordini a Christo Domino in Ecclesia sua constituto omnino adversatur; non enim laici homines a Christo positi sunt rerum ecclesiasticarum rectores, sed ii pro sua utilitate et salute legitimis pastoribus subesse debent, eorumque et pro singulorum statu sese Cleri auditores praebere, non autem sese immiscere in iis rebus quae sacris Pastoribus sunt a Christo concreditae. Quapropter nihil magis necessarium agnoscimus, quam ut praedictarum sodalitatum statuta ad rectum ordinem exigantur; et quae in iis abnormia et incongrua hac ex parte sunt, cum Ecclesiae regulis et canonica disciplina rite componantur. Ad hunc finem assequendum nos, venerabiles fratres, spectatis rationibus quae inter ipsas sodalitates et civilem potestatem intercedunt in eo quod attinet ad earum in temporalibus constitutionem et ordinationem, iam Cardinali nostro a secretis status opportuna mandata dedimus ut cum imperiali Gubernio agat, et concordia cum ipso studia ad optatos effectus obtinendos convertat. Confidimus potestatem civilem in hanc rem suas curas nobiscum studiose collaturam, ac Deum enixe precamur, a quo bona cuncta procedunt, ut hoc opus quod ad religionis et societatis civilis tranquillitatem pertinet, sua gratia prosequi et adiuvare dignetur. Horum votorum ut compotes simus, vos etiam, venerabiles fratres, vestras preces nostris adiungite, ac in pignus sincerae dilectionis

nostrae accipite Apostolicam Benedictionem, quam vobis et clero ac fidelibus cuiusque vestrum curae concreditis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die xxix aprilis anno MDCCCLXXVI, Pontificatus Nostri anno tricesimo.

PIUS PP. IX.

EX ACTIS PONTIFICIS LOCO CONSISTORIALIUM

EX ACTIS PONTIFICIS LOCO

Nominationes Episcoporum et Ecclesiarum descriptiones quibus sunt praepositi.

Die 21 iunii 1876.

Sanctissimus in Consistorio habito die 26 iunii 1876 sequentes proposuit Ecclesias [1]:

CATHEDRALEM ECCLESIAM SANCTI DEODATI vacan, per translationem R. P. D. Ludovici Mariae Iosephi Eusebii Caverot ad Metropolitanam Sedem Lugdunen, in Delphinatu; Sanctissimus ad nominationem perillustris Viri Mauritii de Mac-Mahon Ducis Magentae, reipublicae Gallicae Praesidis, evexit ad recensitam Ecclesiam R. D. Mariam Camillum Albertum de Briey ex legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus in paroecia nuncupata de Magné Pictaviensis dioeceseos progenitum et in quinquagesimo aetatis suae anno constitutum. Romae Presbyteratus ordine et penes Gregorianam Universitatem, doctorali laurea dudum donatus est. Superior, vel Director Congregationis Sororum S. Andreae Pictaviensi in urbe adlectus, illiusque Antistitis Vicarius Generalis honorarius plures per annos enunciatus est.

In provincia ***des Vosges*** in planitie ad collis radices optimo sub coelo sita est civitas Sancti Deodati continetque incolarum octo circiter millia, qui omnes catholici sunt sub temporali gallico dominio.

[1] Alias eiusdem diei nominationes iam retulimus praecedenti fasciculo, pag. 286 et seqq.

Cathedralis Ecclesia sub invocatione Sancti Deodati Episcopi architecturae partim gothicae, partim romanae bene sarta est, et Archiepiscopo Bisuntino suffragatur.

In eius Capitulo novem habentur Canonici titulares, inter quos alter poenitentiarii, alter theologalis munere fungitur, tres Vicarii, et pueri de choro nuncupati, quibus solemnioribus festis adiunguntur etiam alumni maioris seminarii pro divino servitio.

Per Canonicum-Archipresbyterum a praedictis Vicariis adiutum animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Altera praeterea reperitur in urbe Sancti Deodati paroecialis Ecclesia baptismali fonte munita, plures pro educatione utriusque sexus iuventutis religiosae domus, nonnullae laicorum sodalitates, hospitale, mons pietatis, magnum seminarium et duo parva in dioecesi.

Dioeceseos ambitus totam complectitur provinciam ***des Vosges,*** pluraque sub se continet loca.

CATHEDBALEM **E**CCLESIAM **V**ALLIS-**V**IDONIS vacan, per dimissionem a R. P. D. Casimiro Alexio Iosepho Wicart libere ac sponte in manibus Sanctitatis Suae peractam, ab Eademque admissam; Sanctissimus ad nominationem perillustris Viri Mauritii de Mac-Mahon Ducis Magentae, reipublicae Gallicae Praesidis, evexit ad relatam Ecclesiam R. D. Iulium Dionisium le Hardy du Marais ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in civitate Valencenarum archidioeceseos Cameracensis progenitum, et quadragesimum tertium aetatis suae annum supergressum. Presbyteratus ordine et penes romanam universitatem in facultate theologica dudum doctorali laurea donatus est. Antistitis Suessionis Vicarius primum in spiritualibus Generalis, et hucusque Archipraesulis Aquensis honorarius renunciatus est.

Civitas Vallis-Vidonis, vulgo ***Lavai,*** caput provinciae Meduanae, ad ripam fluminis Meduani partim in colle, partim in planitie sita, bono sub coelo, triginta circiter continet incolarum millia sub temporali dominio Gallico.

Cathedralis Ecclesia sub titulo SSmae Trinitatis gothicam et romanam praefert structuram et Archiepiscopo Turonensi suffragatur.

Eius Capitulum novem recenset Canonicos titulares, seu Capitulares cum theologo, et poenitentiario, nonnullos Vicarios, queis adiunguntur seminarii alumni et pueri de choro pro divino servitio.

Per Canonicum-Archipresbyterum a quatuor Vicariis adiutum animarum cura exercetur praedicta in Ecclesia.

Tres aliae praeterea in urbe Vallis-Vidoni insunt paroeciales Ecclesiae cum baptismalibus fontibus, duae itidem virorum et plures

mulierum piae domus, aliquot laicorum sodalitates, bina hospitalia, magnum seminarium et parvum in dioecesi; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus ad totam Meduanam provinciam sese extendit, et plura complectitur centena incolarum millia.

CATHEDRALEM ECCLESIAM VIVARIEN. vacan, per obitum bo me. Ludovici Delcusy ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus ad nominationem perillustris Viri Mauritii de Mac-Mahon Ducis Magentae Gallicae Reipublicae Praesidis, evexit ad recensitam Ecclesiam R. D. Iosephum Michaelem Fridericum Bonnet ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen ***Lungogne*** dioeceseos Mimatensis progenitum et in quadragesimo primo aetatis suae anno constitutum. Petrocoricensis Antistitis a Secretis agens, eiusdem dioecesis Vicarius in spiritualibus Generalis hucusque renuntiatus est.

Vivariensis civitas vel Vivarium in provincia Ardeschae ad ripam Rhodani, partim in planitie, ac partim in colle salubri sub aere sita, ultra bis mille continet incolas sub temporali dominio gallico.

Cathedralis Ecclesia magnifica et gothicae structurae, S. Vincentii Diaconi et Martyris titulo gloriatur, atque avenionensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum novem recenset titulares Canonicos cum theologo, ac poenitentiario, atque alios Presbyteros, qui cum seminarii alumnis solemnioribus festis, atque pueris de choro divinas perconcinunt laudes.

Canonicus-Archipresbyter a duobus Vicariis adiutus animarum curam administrat ipsamet in Ecclesia.

Nulla alia Vivariensi in urbe reperitur paroecialis Ecclesia, nullum monasterium, nec mons pietatis, sed seminarium magnum, ac duo parva in dioecesi.

Dioeceseos ambitus totam continens provinciam Ardeschae ad triginta circiter leucas in longitudinem, ad quindecim plus minusve in latitudinem protenditur, pluraque sub se complectitur loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM TUDEN. vacan, per obitum bo. me. Raymundi Garcia y Auton ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti : Sanctissimus promovit ad recensitam Ecclesiam R. D. Ioannem Mariam Valero Nacarino ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen ***Malpartida*** Cauriensis dioeceseos progenitum et in quadragesimo primo aetatis suae anno constitutum. Presbyteratus ordine ac tum in sacra theologia doctorali laurea tum

in sacris canonibus licentiae gradu dudum donatus est. Conchensis seminarii Rector, Theologicae facultatis Decanus, et Conchensis Cathedralis Canonicus Lectoralis hucusque renunciatus est.

Tudae vulgo ***Tuy*** urbs Hispaniae, et provinciae Hellenis, ***Pontevedra,*** in Gallaecia ad Minium flumen et in Portugalliae confinio sitas, quadringentis conflatur domibus, et ab ultra quingentis inhabitata familiis sub temporali dominio Serenissimi Regis Catholici.

Cathedralis Ecclesia perantiquae ac solidae structurae Bmae Virginis Mariae in coelum assumptae titulo gloriatur, atque Compostellano Archiepscopo suffragatur.

Eius Capitulum ex Apostolicis luteris ***«Ad Vicariam*** » datis nonis Septembris 1851 quinque adnumerat dignitates, quarum post pontificalem, prima Decanatus, quatuor insuper cum theologo ac poenitentiario Canonicos ***de oficio,*** septem ***de gracia,*** ac duodecim Bénéficiâtes divino servitio addictos.

Animarum cura ad normam earumdem Literarum Apostolicarrum constituenda, adhuc per duos Vicarios ab Episcopo adprobatos ipsamet exercetur in Cathedrali.

Praeter Cathedralem nulla alia reperitur Tudensi in urbe paroecialis Ecclesia, sed unicum mulierum monasterium, aliquot laicorum sodalitates, hospitale, ac seminarium cum alumnis; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus ad duodecim circiter leucas in longitudinem ad quinque in latitudinem protenditur, ac biscentum septuaginta sub se complectitur paroecias cum. totidem locis.

EPISCOPALEM ECCLESIAM CYDONIEN. sub Archiepiscopo Cretensi in partibus infidelium vacan, per translationem R. P. D. Ioannis Baptistae Bagalà-Blasini ad Cathedralem. Sedem Grossetanam; Sanctissimus evexit ad eamdem Cydonien. Ecclesiam R. D. Franciscum Vitaliano ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Neapoli progenitum et in quadragesimo septimo aetatis suae anno constitutum, atque in Coadiutorem cum futura successione deputavit R. P. D. Vincentii Matarozzi Antistitis Rubensis ac Bituntini, qui ob suam provectam aetatem ac dioeceseos amplitudinem alterius indiget ope ad pontificalia, coeteraque pastoralia munia in utraque civitate ac dioecesi salubriter ac fructuose in Domino obeunda.

Cavensi clero adscriptus, Presbyteratus ordine ac tum in sacra theologia, tum in utroque iure doctorali laurea ac magisterio dudum donatus, ac penes Neapolitanum collegium Theologorum numero adscriptus, in ecclesiasticis obeundis functionibus, signanter Dei ver-

bum etiam in sacris missionibus praedicando, fideliumque excipendo sacramentales confessiones, solerter incubuit. Ad SS. Rochum et Sebastianum Rectoris, Archiconfraternitatis nobilium Directoris spiritualis ac Praesidis, in Presbyterorum sodalitio Superioris, et commissionis pro piis legatis a Secretis perfunctus est muneribus. Cavae Iudex pro-synodalis, ac sive inibi et in dioecesi Nullius SSmae Trinitatis, sive Nuceriae Paganorum Examinator pro-synodalis adlectus, et hucusque Cavensi in Concathedrali Canonicus Theologus renunciatus est.

Cydonia ampla quondam et celebris insulae Cretae civitas sub infidelium iugo adhuc miserrime ingemiscit; quocirca status eius infandus silentio praeteritum

Rubi vero, vel Rubus, ac Bituntum sive Butuntus ac etiam Buduntum Apuliae Peucetiae civitates, quarum prima supra collem aedificata, in suo duorum fere milliarum ambitu mille et quingentas domos ac ultra quindecim mille continet incolas; altera vero plano in loco aedificata reperitur et in suo trium circiter milliarum ambitu quotuor mille domos et viginti sex mille habitatores complectitur.

Utraque Civitas suam habet Cathedralem sub invocatione Beatissimae semperque Virginis Mariae in Coelum Assumptae veteris et gothicae structurae et Archiepiscopo Barensi suffragatur.

Rubense Capitulum quatuor recenset Dignitates, quarum maior post pontificalem est Archidiaconatus, vigintiquatuor Canonicos cum utraque praebenda, plurimosque Mansionarios, Capellanos participantes nuncupatos : Capitulum vero Bituntinum sex constat Dignitatibus, quarum post pontificalem maior est pariter Archidiaconatus, triginta Canonicis cum utraque Praebenda; triginta sex Mansionariis; non desunt ceterum in dictis Cathedralibus alii presbyteri, et Clerici qui divinis inserviunt.

In primodicta Cathedrali animarum cura est penes Capitulum: exercetur tamen per Presbyterum ab eodem electum, et ab Episcopo adprobatum; in altera vero per binos canonicos ab episcopo electos et ad ipsius nutum amovibiles.

4 Praeter Cathedralem nulla alia in Rubensi civitate parochialis Ecclesia reperitur, insunt tamen nonnulla virorum et unum mulierum monasterium, quaedam laicorum sodalitia, et mons pietatis. Bitunti autem septem aliae paroeciae recensentur cum fonte baptismali, plura virorum, et bina mulierum monasteria, unum conservatorium, nonnulla laicorum sodalitia, orphanotrophium, hospitale, mons pietatis, et seminarium.

Dioeceses unitae ad octo pene milliaria protenduntur et plura sub se continent loca.

EPISCOPALEM ECCLESIAM PARIEN. sub Archiepiscopo Cyziceno in partibus infidelium vacan, per obitum bo. me. Aloisii Caroli Buquet ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti ; Sanctissimus ad eamdem Ecclesiam evexit atque pro civitate ac dioecesi Mauriannensi in Apostolicum Administratorem deputavit, iuxta decretum Sacrae Congregationis Consistorialis a praefata Sanctitate Sua adprobatum, R. D. Michaelem Rosset ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco ***Betonnet*** nuncupato archidioeceseos Cameriensis progenitum et in quadragesimo sexto aetatis suae anno constitutum. Metropolitanae Camberiensis Canonicus Jionorarius, illius seminarii Rector, ibique pluribus abhinc annis sacrae theologiae Professor renunciatus est.

Parium vel Parion urbs Mysiae in Asia minori ad oram Propontidis, sub infidelium iugo adhuc detinetur; quare miserrimus eius status silentio praeteritur.

EPISCOPALEM ECCLESIAM ALALIEN. sub Archiepiscopo Damasceno in partibus infidelium vacan, per successionem R. P. D. Antonii Mariae Curcio ad Cathedralem Sedem Oppidensem; Sanctissimus ad eandem Ecclesiam evexit atque in Auxiliarem R. F. D. Ioannis Rudolphi Kutschker Archipraesulis Viennensis in Austria deputandi ad pontificalia, caeteraque pastoralia munia in illa civitate et archidioecesi de eius consensu ac lubitu obeunda, iuxta decretum Sacrae Congregationis Consistorialis a praefata Sanctitate Sua adprobatum R. P. D. Eduardum Angerer ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in suburbio Leopoldino Vindobonae progenitum et in sexagesimo aetatis suae anno constitutum. Animarum curae in oppido Brunn prope Viennam aliquando addictus est. Inter Sanctitatis Suae intimos Cubicularios ad honorem primum, dein vero inter domesticos Praelatos adscitus, pro civitate et archidioecesi Viennensi Vicarius in spiritualibus Generalis designatus est.

Alalia civitas Phoeniciae sub infidelium iugo adhuc misesrime detinetur; quare status eius infandus silentio praeteritur.

EPISCOPALEM ECCLESIAM ROSEN, sub Archiepiscopo Anazarbeno in partibus infidelium vacan, per obitum bo. me. Ioannis Bochenski ultimi illius Episcopi extra Romanam curiam defuncti; Sanctissimus ad eandem Ecclesiam evexit atque in Auxiliarem R. P. D. Caroli Gigli Antistitis Tiburtini deputavit ad pontificalia, caeteraque pastoralia munia de eius consensu ac lubitu in illa civitate ac dioecesi obeunda

R. D. Petrum Saulini ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in oppido Civitellae Sublacensis Abbatiae progenitum et quinquagesimum primum aetatis suae annum supergressum. Presbyteratus ordine ac penes archigymnasium romanum tum in sacra theologia laurea ad honorem, tum in utroque iure doctoratus gradu cohonestatus est. Apud sacram. Concilii Congregationem studiis addictus et in romana curia Advocatus electus, inter Sanctitatis Suae intimos Cubicularios ad honorem adscitus est. Pro Verulana civitate ac dioecesi semel, iterumque et ad praesens usque Vicarii in spiritualibus Generalis munere perfunctus, et ad eamdem dioecesim uti ordinarius regendam specialiter delegatus est. In illo seminario Collegio utriusque iuris et criminalis institutionum Professor adlectus, Convisitator, Iudex, Examinator Synodalis et ipsa in Cathedrali Canonicus hucusque enunciatus est.

Rosea perantiqua civitas provinciae Ciliciae Secundae adhuc ab infidelibus detinetur; ideoque status eius infandus silentio praeteritur.

Ecclesiam Episcopalem Abydensem in partibus infid. Sanctissimus ad eamdem Ecclesiam promovit R. P. D. Aloysium Bruschetti, Sacerdotem e Dioecesi Cingulana, Protonotarium Apostolicum, et vices Nuntii gerentem apud Brasilianum Imperium.

Per Breve Pontificium provisae fuerunt sequentes Ecclesiae : *Ecclesia Archiepiscopalis Marianopolitana* in part. infid. collata fuit R. P. D. Ignatio Bourget iam Episcopo Montis regalis in Canada.

Ecclesia Episcopalis Claudiopolitana in part. infid. collata fuit R. P. D. Idelfonso Infante y Macias ex ordine S. Benedicti, presbytero archidioecesano Hispalis, cubiculario intimo Sanctitatis Suae, administratori apostolico Gadîtan. et Septem atque S. Theologiae Doctori.

Ecclesia Episcopalis Raphanen. in part. infid. collata fuit R. F. Francisco Duboin, Sacerdoti e Congregatione S. Spiritus, Deputato Vicario Apostolico Senegambien.

Ecclesia Episcopalis Dibonen. in part. infid. collata fuit R. D. Iacobo O' Connor Sacerdoti Archidioecesano

Philadelphien. deputato Vicario Apostolico Nebraska in statibus foedere iunctis Americae.

Tandem S. Pallii postulatio facta fuit Sanctissimo Patri pro Metropolitanis Ecclesiis Lugdunensi atque Albiensi.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

MISSAE CONVENTUALIS.

Die 4 martii 1876.

Compendium facti. Canonici et Mansionarii Cathedralis S. quae sub dominio Venetae Reipublicae mansit dum viguit nobilis illa Respublica, diversis temporibus, diversimode applicuerunt Missam conventualem.

Primo enim Missam eandem pro Serenissima Republica applicuerunt ; a qua contributionum exonerationem obtinuerunt. Dein pro Imperatore Austriae in cuius ditione Venetiae ceciderunt.

Missa vero pro Benefactoribus in genere vel tantum die sabbato applicabitur, vel nullimode contra Canonum sanctionem.

Verum a die 30 iunii 1828 per Litteras Apostolicas *Locum B. Petri* a Leone XII datas Capituli praedicti status immutatus fuit. Idcirco Capitulum illud ex hoc tempore quatuor tantum habuit canonicos una cum duabus Dignitatibus; Praeposito nempe et Decano. Cuicumque canonico annua pensio a gubernio assignata fuit ; et eadem methodus applicandi Missam conventualem usque ad annum 1840 servata fuit.

Antistes tamen, auditis et consentientibus Capitularibus, a die 17 iunii anni praedicti statuit ut Missa con-

ventualis ad tramites SS. Canonum et praesertim Constit. Benedictus XIV *Qtium semper oblatas* quotidie a capitularibus, absque gradus distinctione per turnum celebra re tur, et applicaretur pro benefactoribus in genere nec non ut diebus a rubricis generalibus praescriptis, secundae et tertiae Missae obligatione detenti essent.

Hoc decreto Mansionarii soluti sunt ab obligatione canendi Missam conventualem in diebus feriatis; haec enim per turnum coepit quotidie celebrari et applicari a canonicis, exceptis quibusdam solemnitatibus, in quibus Praepositus^et Decanus specialiter designati sunt a capitularibus statutis. Secunda vero et tertia Missa in diebus designatis a rubricis generalibus celebrari quidem coepit sed libera applicatione. His enarratis circa consuetudinem Missae conventualis, retulerunt Capitulares aliquando evenire vacationem alicuius Canonicatus, vel Dignitatis, et tunc Missae conventualis celebratio fit quidem ab aliis per turnum, vel ab alia dignitate, aut seniore ex Canonicis iure devolutionis, sed libera applicatione. Ita pariter mos est in praefato capitulo ut vacante Sede Episcopali, vel Episcopo Pontificalia non peragente, atque impedita prima dignitate, nempe Praeposito, ad quem in diebus Episcopi spectaret celebratio et applicatio Missae conventualis, vi capitularium statutorum, hic eleemosynam tribuat pro eiusdem applicatione illi canonico, qui eum repraesentat, iure devolutionis, excepta prima Missa die Nativitatis D. N. I. C. quae est liberae applicationis.

Praetereundum haud est canonicos in tali nunc esse conditione, qui a Gubernio civili, super *religionis fundo,* pensionem mensilem recipiant. Ita ut pensio pro Episcopo, Sede vacante, et pensiones canonicatuum vel Dignitatum quae vacent apud *religionis fundum* maneant. Alium haud extare fundum qui eleemosynas praebeat pro Missis conventualibus celebrandis tempore vacationis, ab illo, ad quem iure devolutionis pertineat.

Quapropter Canonici apud S. C. Congr. humiliter declarari petierunt: 1.° *An Episcopo impedito, vel Sede vacante, dignior Capituli, qui Praeposito demortuo succedei, iure devolutionis in celebratione Missae in diebus Episcopi, teneatur ad illam Missam applicandam pro benefactoribus in genere.* 2.° *An hic primus Substitutus legitime impeditus teneatur subministrare eleemosynam Missae in diebus Episcopi illi Canonico, qui ipsi succedit iure devolutionis.*

Disceptatio synoptica

EA QUAE FACIUNT ADVERSUS MISSAE APPLICATIONEM. Quacumque non obstante in contrarium consuetudine, aut redituum tenuitate, Missa Conventualis in omnibus ecclesiis Patriarchalibus, Cathedralibus et Collegiatis quotidie celebranda est et pro Benefactoribus in genere applicanda. Id colligitur ex praescriptione Honorii III in *cap. Cum creatura, de celebr. Miss,* ex Benedicto XIV in sua Constit. *Cum semper oblatas* et ex innumeris S. C. Congr. resolutionibus et praecipue in *Casertana, Missae Conventualis **24** maii **1873** § Haec sunt.* Quinimo si perpendantur verba praefatae constitutionis non modo una Missa conventualis quotidie est celebranda et pro benefactoribus applicanda, verum etiam et eadem manet obligatio circa secundam et tertiam Missam in diebus a rubricis generalibus praescriptis dummodo Capitula exemptionem non obtinuerint, attenta canonicatuum et beneficiorum tenuitate; legitur enim *loc. cit. § **21*** - ibi : *Iamque ante illius* (quaestionis) *propositionem compertum fuerat alias ab eadem Congregatione responsum fuisse, concedendam esse exemptionem ab onere applicandi secundam ac tertiam Missam conventualem pro benefactoribus in genere, attenta Canonicatuum et beneficiorum tenuitate; ex quo inferri poterat, huiusmodi applicationis debitum manere, ubi de Ecclesiis pauperibus non ageretur.*

Quod vero huic oneri per turnum a capitularibus satisfieri debeat ex citata Constit. § 12 scatet. Cui concinit S. C. Congregatio in pluribus resolutionibus: praecipue vero in *Faventina 29 aprilis* ***1786,*** *§ Prae oculis; Caietana, Missae Conventualis* ***16*** *decembris* ***1837*** *§ Hucusque.*

Pluries insuper dubitatum est ad quemnam pertineret in solemnioribus Missam Pontificalem celebrare absente vel impedito Episcopo : et constans fuit hac super re responsio S. R. C. pertinere ad primam dignitatem vel ad alias si adsint, secus ad antiquiorem canonicum teste Ferraris V. *Canon. a.* ***5,*** *n.* ***85*** - ibi : « Missas Pontificales « celebrare, absente Episcopo, pertinet ad primam Digni- « tatem vel ad antiquiorem canonicum, non autem ad « canonicum hebdomadarium S. C. R. in *Tarantina* 10 ia- « nuarii 1597 et in *Vallisoletana* 11 iunii 1606 et in *Pisau- ((reu.* 21 martii 1609 », et n. 88 - ibi : « Dignitas prima, si « velit functiones episcopales facere, debet etiam Missam « canere, alias pertinent ad subsequentes, cum eadem con- **ci** ditione S. R. C. in *Aretina* 30 ian. 1612, in *Tirasonen.* « 1614 et in *Neritonen,* eodem die et anno ». Quibus S. R. C. resolutionibus concinit S. Concilii Congr. in *TJlixbonen. Orientalis* diei 5 decembris 1882 in qua praeter cetera sequentia dubia proposita fuere. L *An Dignitates Ecclesiae Cathedralis TJlixbonen. Orientalis legitime non impeditae teneantur per se celebrare Missas solemnes in maioribus anni Festivitatibus, non celebrante Archiepiscopo, vel potius eas celebrare valeant per substitutum in casu.* II. *An concurrente legitimo impedimento illius Dignitatis, quae celebrare debebat, celebranda sit dicta Missa solemnis per aliam proximam Dignitatem non impeditam vel potius celebrari valeat per quemcumque canonicum aut alium substitutum vel hebdomadarium in casu.* Et responsum fuit : Ad I. *A* ***formative*** *quoad primam partem et negative quoad secundam.* Ad II. *Celebrandam esse Missam solemnem per proximam Dignitatem si prima sit*

legitime impedita, et de impedimento constet ad formam statuti, et legitime impeditis omnibus Dignitatibus uti supra, Missam esse celebrandam a canonicis tantum successive incipiendo ab antiquiore.

Praemissis hisce iuris principiis haud videretur celebratio Missae spectare ad digniorem. Nam decreta memorata neque verbum quidem de dicta applicatione faciunt, sed tantum de solemni celebratione; proindeque nec ex lege generali, neque ex statuto capitulari Decanus detineri videtur obligatione Missam conventualem applicandi in diebus Episcopi sive sede vacante, sive ipso impedito, et vacante Praepositum, hoc onere minime gravandus esse videretur. Celebrationem enim praescriptam, applicationem non secumferre constat ex resolutionibus S. C. C. praesertim *in Collen. Applicationis Sacrificii* 17 decembris 1679 *lib. 4 Decret, fol. 4* atque aliis multis. Quod fortius in themate huiusmodi admittenda esset conclusio, ne Dignitas in hisce diebus duplex sentiret incommodum, Hebdomadarius vero totum commodum contra praescriptum *L. Novis. ff. ad leg. hoc de iact.* Quare cum celebrante Episcopo, Hebdomadarius vel ille, cui inest illa die obligatio Missam Conventualem applicandi, tenetur illam ante vel post Missam Pontificalem lectam celebrare, uti decretum fuit a S. R. C. *in Marsorum* 12 nov. 1831 ad dubium 20 relata a Gardellini n. 4669 - ibi - « Quum Epi-
<(scopus diebus festivis applicare debeat pro ovibus suis,
« quaeritur an Episcopo hisce diebus festivis pontificaliter
« celebrante Canonici debeant Missam Conventualem pro
« benefactoribus cantare et quando. Responsum prodiit :
« Hebdomadarius, vel is, cui onus inest Missae Conven-
ti tualis, illam celebret lectam ante vel post Missam *Pon-*
ti tificalem »; ita et in casu nostro quodammodo dicendum videretur, nempe celebrationem Missae pontificalis spectare ad Decanum vel digniorem de Capitulo, applicatio-

nem autem pro benefactoribus in genere faciendam ante vel post dictam Missam ab Hebdomadario.

EA QUAE FAVORE APPLICATIONIS MISSAE PROSTANT. Attamen ex adverso praeteriri nequit ex iisdem verbis citatae Constitutionis apparere celebrationem Missae conventualis ab eiusdem applicatione pro benefactoribus in genere minime disiungi posse. Praecipit enim laudatus Pontifex sub § 11 : *ut scilicet Missa Conventualis quae singulis diebus canitur a clero praedictarum Ecclesiarum pro earumdem benefactoribus in genere quotidie applicetur;* et § 20 : *quum nuper a nobis dictum fuerit primam Missam Conventualem quotidie pro Benefactoribus in genere celebrandam et applicandam esse.* Ergo ad illum spectare videretur conventualis sacri applicatio hisce diebus, ad quem eiusdem pertineret celebratio. Atqui celebratio ex recitatis decretis tum S. R. C. tum S. Concilii C. pertineret ad subsequentem dignitatem et in eius defectu ad Canonicos successive incipiendo. Quapropter Episcopo Pontificalia non peragente et Praepositura vacante, applicatio Missae Conventualis ad Decanum spectaret, et in eius defectu ad antiquiorem de Capitulo. Quod et recta ratio suadere videretur, cum maxime congruat, ut succédât in onere qui substituitur in honore *reg.* ***77*** *de regul. iuris in* **6,** unde vulgare adagium *ubi honos ibi onus.* Atqui honos in themate tribueretur Decano, et in eius defectu antiquiori de Capitulo. Ergo dicendum est ut succédât et in onere.

Nil videtur prodesse si contraria observantia adducatur, quae monet numquam in similibus casibus applicatam fuisse a Decano Missam Conventualem. In hac enim materia quaelibet praescriptio aut consuetudo tamquam corruptela reprobata fuit a Benedicto XIV *loc. cit.* ***§ 16*** et a S. C. C. in ***A*** *lexandrina* ***26*** *aprii.* ***1753.***

Ex nonnullis S. C. C. resolutionibus erui videtur sub nomine celebrationis non venire applicationem et ideo in

thremate Decanus vel antiquior ex Canonicis excusaretur ab applicatione Missae conventualis. At id contra regulam iret certam eiusdem S. Congregationis; qua constituitur quod Missa sit applicanda pro fundatore, quamvis ipse applicationem non expresserit [1]

Quoad dubium secundum videtur esse explorati iuris eleemosynam solvendam esse ex massa distributionum, ceu plures id probant S. C. C. resolutiones. Ita in *S. Severini, eleemosyn. Missae conventualis 18 februarii 1746 § 5 Vallen, super eleemosyna Missae convent. 22 augusti 1874* inter Summaria Precum relata. Quod si casu distributionum massa non extaret, tum conficiendam esse prudenti Episcopi iudicio pluries resolutum fuit a S. C. C. In themate non adfuisse communem Massam certum esse ex confessione Capitularium, et haec iuris principia haud applicari posse videntur. Attamen quum certum sit de altari vivere debere qui altari inservit, congruum videtur ut in casu legitimi impedimenti eleemosyna pro dicta Missa ab eo ad quem pertinet iure devolutionis, sit largienda. Idque probatur etiam per consuetudinem eiusdem Ecclesiae, quae potius fovenda, quam destruenda est.

Ex adverso animadvertendum est. Quando per turnum Missa conventualis celebratur, si praebendae separatim administrentur, tempore vacationis, a subcollectore spoliorum eleemosyna pro Conventualibus Missis est solvenda: Lucidi *de Visit. SS. LL. vol. i pag. 311, n. 131.* S. Congr. C. in *Firmana, miss, convent. 20 Ian. 1838,* in qua proposito dubio : *An et a quo persolvenda sit eleemosyna Missae Conventualis pro tempore vacationis praebendae in casu:* responsum fuit: *affirmative a subcollectore spoliorum.* Attamen cum *religionis fundus* in quaestione ista locum teneat Subcollectoris Spoliorum, ab hoc fundo eleemosyna solvenda esset pro Missa conventuali,

[1] Recole Volumen VIII pag. 661; et deductiones peractas pag. 666.

minime vero a Capitulari, cui spectat iure devolutionis celebratio dictae Missae in solemnioribus diebus. Capitulares praeterea deberent a praedicto *fundo religionis* repetere summam pro eiusmodi Missis; et si nihil obtinerent, absque eleemosyna celebranda esset a quolibet canonico, cui iure devolvatur dicta obligatio. Nam Capitulo universo missae conventuales inhaerent; et celebrandae sunt nullo recepto stipendio. *Fanen.* ***15*** *aprilis* ***1780,*** *§ Rursus.* Pignat. *tom.* ***l,*** *consult.* ***321,*** *n.* ***1*** *et seqq.* Ferraris *loc. cit. n.* ***76*** *et seqq.* Ideoque cum de iure dicta obligatio esset alteri devoluta, ad ipsum spectaret applicatio, nullo recepto stipendio.

Animadversis hisce aliisque pro utraque parte, duo proposita fuere dirimenda

Dubia.

I. An Episcopo impedito vel Sede vacante dignior Capituli, qui Praeposito demortuo succedit, iure devolutionis in celebratione Missae in diebus Episcopi, teneatur ad Ulam Missam applicandam pro Benefactoribus in genere in casu.

Et quatenus affirmative.

EE. *An hic primus Substitutus legitime impeditus teneatur subministrare eleemosynam Missae in diebus Episcopi illi Canonico, qui ipsi succedit iure devolutionis in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii die 4 martii 1876, causa cognita, respondere arbitrata est:

Ad I. *Negative; et Missam pro Benefactoribus applicandam esse eo die ab hebdomadario.*

Ad II. *Provisum in primo.*

EXINDE COLLIGES :

I. Constare ex S. R. C. resolutionibus Missam Pontificalem in solemnioribus anni diebus spectare ad primam

Dignitatem, vel ad alias, si adsint quatenus Episcopus absit, vel impeditus fuerit.

II. Quinimo a S. C. C. saepius responsum fuisse, si prima Dignitas, vel aliae Dignitates impeditae fuerint, Missam pontificalem esse celebrandam a Canonicis tantum successive incipiendo ab antiquiore.

III. Si tamen certum sit ad Digniorem ex Capitulo in absentia Episcopi spectare Missae celebrationem in solemnioribus anni diebus, non idem dici posse de eiusdem Missae applicatione.

IV. Erui enim ex compluribus S. Concilii Congr. resolutionibus, hanc praescriptionem quae Digniori celebrationis onus imponit, haud secumferre etiam Missae applicandae obligationem.

V. Admisso enim eiusmodi Missae celebrationem secumferre etiam applicationis onus, Digniorem duplex pati incommodum, Hebdomadarum vero omne referre commodum.

VI. Ex hoc nam consequi, quod Hebdomadarius vel ille cui missae applicandae onus inest pro illa die, eximeretur ab obligatione applicationis Missae ; quam lectam celebrare debet ante vel post Missam Pontificalem; Digniori autem onera imponerentur tum peragendi pontificalia, tum applicandae Missae.

VII. In themate si primus substitutus onere gravaretur vel applicandi Missam pro Benefactoribus in genere, in diebus Episcopi: vel si ipse impeditus subministrare teneretur eleemosynam Canonico illi, qui ipsi succedit, obligationem ferre indebitam obstringeretur, omne tradens commodum Hebdomadario.

CIRCA AETATEM RECIPIENDORUM IN SEMINARIO.

Die 10 iunii 1876.

Per Summaria precum.

Reverendissimus Archiepiscopus Archidioeceseos U. haec exposuit S. C. Congregationi: « Consuevi recipere « in Seminario Archiepiscopali huius Archidioecesis pue- « ros alendos ac religiose educandos, et ecclesiasticis di- <(sciplinis instituendos statim ac annum aetatis duode- « cimum inceperint; ratus intelligi posse illa verba S. Con- **ce** cilii Tridentini - *recipiantur, qui ad minimum duode- « cim annos... nati sint* - *(sess.* ***23,*** *cap.* ***18*** *de Reform.),* « iuxta commune erratum - *Annus inceptus habetur pro <(completo,* - et iuxta praxim Ecclesiae quoad annos pro <(ad Sacros Ordines promovendis statutos *(c.* ***12*** *eiusd. « sessionis).*

« Nonnulli hanc interpretationem et meam praxim **K** reiiciunt, contendentes Tridentini verba esse intelli- « genda pro annis solidis et completis; ita ut nonnisi qui « duodecimum annum expleverint recipi possint: et « instant urgentes, ut quos inchoato anno duodecimo iam « recepi, dimittere debeam.

((Ut vero opinionibus finis imponatur, supplex ac- **ce** cedo ad istam S. Congregationem, cuius est authenticas « interpretationes in Textum Concilii Tridentini pronun- **ce** tiare, humiliter sequens dubium proponens, cuius reso- « lutio ex peculiaribus loci circumstantiis apprime urget: « An verba Concilii Tridentini, quibus statuitur aetas « puerorum in Seminario recipiendorum, quae sunt - *re-*

<(*eiciantur qui ad minimum duodecim annos ... nati* <•. *sint,* - intelligi possint pro anno duodecimo incepto, vel « tantum pro anno duodecimo completo? »

Disceptatio synoptica.

Ferraris Verb. *annus § 2* ait : « Annus ut recte acei-
te piatur in SS. Canonibus, Bullis, Decretis, Statutis et si-
et milibus, est regulandus secundam sequentes regulas a « Theologis et Canonistis observatas.

« § 3. - 1.° Si leges, Bullae etc. assignent annum in ge- « nitivo, ut si dicatur - ne quid fiat ab aliquo nisi fuerit <(20 annorum, tunc requiritur annus completus : Sylve- <(ster in *Summ. verb. aetas q.* ***2.*** *Azor. tom.* ***l,*** *Inst. Moral. « lib.* ***5,*** *cap.* ***28,*** *§ Dubiae est quaestionis,* Portellus in *dub. « Regul. verb. Annus,* Lezzana et alii.

§ 4. - 2.° Si assignent annum per accusativum et prae- « positionem *ad,* ut si dicant ad quatuor annos sufficit **«c** quod sint incepti, *I. Qui filium ff. ad Trebell. et DD. « citati.*

« § 5. - 3.° Si assignent annos in accusativo cum prae- ((positione *per* v. g. si dicatur per septem annos, requi-
ei runtur anni completi : leg. *Non putabam, leg. si annos « ff. de condit, et demonstr. et citati DD.*

§ 6. - 4.° Si assignent annos cum praepositione *ante,* « et cum accusativo v. g. si dicatur ante annos viginti « duos tunc sufficiunt incepti ; colligitur *ex Conc. Trid.*
ee *sess.* ***23,*** *cap.* ***12,*** ubi assignans annos requisitos ad Or-
et dines SS. recipiendos, dicit, ante viginti tres, ante vi-
te ginti quinque, quod de annis inchoatis praxis Ecclesiae
ee demonstrat.

ee § 7. - 5.° Si assignent annos cum praepositione *post*
et et accusativo v. g. si dicatur, post decem annos, tunc
e< intelligendum est de annis completis : colligitur *ex*
ee *Conc. Trid. sess.* ***23,*** *cap.* ***11*** ubi praecipit ut nulli pro-
ee moveantur ad SS. Ordines, nisi post annum a susce-

« ptione postremi gradum minorum Ordinum, quod de
« anno completo per DD. intelligitur.

« § 8. - 6.° Si assignent annum cum praepositione *in*
« et ablativo, v. g. si dicant quod fiat aliquid in anno
« quinto sufficit annus quintus inceptus, ita ut quocum-
« que die illius quinti anni fieri possit, cum, per quem-
« cumque diem sit inchoatus ille annus quintus, dicatur
« id fieri in anno quinto.

§ 9. - 7.° Si in Bullis, Decretis etc. nulla reperiatur ali-
« quando ex supradictis particulis, et res sit dubia, an
« debeat intelligi de annis inceptis, vel completis, tum in
« materia favorabili sufficiunt anni incepti, leg. *Ideo de*
« usu cap.. l, de aetat. de testament, leg. ad Rempub. ff.
« de Municip. et in materia odiosa requiruntur anni com-
ic pleti *leg. in omnibus de action, et oblig. I. 3, § minorem*
« ff. de Minorib., et Rota Romana, part. 175, n. 7, complu-
« ribus ibi cit. ».

Ex dictis videtur erui posse, quod expressio *«qui ad minimum duodecim annos.... nati sint* », aequivaleat alteri « *qui ad minimum in aetate duodecim annorum reperiantur* ». Iamvero hisce in casibus non de completis, sed de inchoatis annis agi ab expositis compertum est. Hanc autem interpretationem eo vel magis capiendam esse animadvertebatur, quia agitur in themate de re favorabili quam large interpretandam esse edocet tritum illud principium « *favores sunt ampliandi* ».

Veruntamen expressio illa a Concilio adhibita *qui ad minimum duodecim annos nati* secumferens praepositionem *ante* ceu innuit Facciolati in suo Calepino verbo *annus,* videtur non de annis inchoatis intelligenda esse, sed de completis. Sane si nati esse debent saltem ante duodecim annos, videtur annus duodecimus completus esse debere, secus non verificaretur invocatum enatum, quod in re dubia et favorabili annus inceptus habeatur pro completo, quia praeterquam quod haud dubia res est

sed clara, praeiudicium alterius esse posset, qui aetatem illam iam expleverit, hinc non de re favorabili agi sed odiosa, ideoque non larga, sed stricta interpretatio facienda videretur.. Videsis ad rem ***Viterbien. diei 27 februarii 1875.***

His breviter expositis remissum fuit iudicio EE. CC. quonam responso dubium esset dimittendum.

RESOLUTIO. Sacra C. C. die 10 iunii 1876, causa cognita, respondere censuit:

Qui aluntur expensis Seminarii posse recipi inchoato anno duodecimo; reliquos vero non comprehendi in lege Tridentini.

EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

EXECUTIONIS RESCRIPTI SUPER CONVERSIONE PAROECIAE SAECULARIS IN REGULAREM.

Die 2 iunii 1876.

Compendium facti. Ecclesia Paroecialis S. Stephano dicata in civitate C. Imperio Austriaco subiecta, longo f atiscens tempore, tandem anno 1803 lapsa concidit ruina. Quamobrem curavit Austriacum Gubernium ut ad tempus animarum cura apud Patres Carmelitas transferretur: iet pro Parochi eiusque Vicariorum habitatione partem constituit Conventus. Curia Archiepiscopalis interdum Breve Apostolicum efflagitavit, atque a Leone XII obtinuit; quo Carmelitae supprimebantur; eorumque bona Ecclesiae S. Stephani addicta fuere.

Verumtamen, brevi interiecto temporis intervallo, Carmelitae consequuti sunt, (precibus populi, Senatus,

et cleri ad id ad S. Sedem admotis) ut suppressionis decretum revocaretur, suoque Monasterio pristina iurium suorum libera possessio redderetur.

Ne Archiepiscopus Rescripto exequutionem. daret, Carmelitis conditiones adiecit, quae eisdem graves visae sunt, ipsique decreto adversae. Ideoque, quamvis inaniter, ad S. Sedem recursum habuerunt Carmelitae. Accidit vero ut anno 1856 S. Stephani paroecia vacaret; quo in adiuncto PP. Carmelitae Ecclesiasticum Consistorium adivere et civile Gubernium, expostulantes vel ut Paroecia S. Stephani in aliam transferretur ecclesiam; vel ut beneficium saeculare in regulare converteretur, cuius administratio PP. Carmelitis cederet. Annuit S. Sedes, et Vicario Capitulari benigne concessit facultates omnes quibus devenire posset ad unionem peragendam Ecclesiae S. Stephani beneficio curato Ecclesiae S. Annae eiusdem civitatis. Quae tamen translatio haud civili Gubernio arrisit; quippe quae paroeciarum numerum imminueret, in populorum detrimentum. Quapropter instantius a S. Sede petierunt Carmelitae, explicito Gubernii civilis desiderio innisi, ut Beneficium S. Stephani e saeculari potius regulare fieret quam alii uniretur ecclesiae paroeciali. Sese enim adiecerunt haud amplius ferre potuisse vexationes, damna, et scandala, quibus pene quotidie afficiebantur. Nam accidit, caeteris omissis, ut dum quadam die (pro Ordine solemniori) Patres divinum canerent officium, coram magno fidelium numero, parochus saecularis ex adverso, in eadem Ecclesia, eademque hora, Missam decantaret pro mortuis, vestibus indutus nigris. Clausuram haud amplius servari posse, dixerunt; dum ad Conventum aditus utriusque sexus pateat personis: Templum splendide PP. Carmelitarum cura et impensis extructum, eo Parochorum socordiâ venisse ut squallor in toto sederet. Ex quibus clarum fieri aiebant, opus esse, ad perturbationes et scandala removenda, ut sibi tantum

crederetur Ecclesiae illius cultus et administratio in quam magnus Peregrinorum numerus pietate ductus convenire solet.

Disceptatio synoptiea.

EA QUAE CONVERSIONI OPPONUNTUR. Antistes in cuius ditione dicta Ecclesia manet, conversioni eiusmodi obstaculum opposuit his fretus rationibus : 1.° Enim magnam clero saeculari irrogari iniuriam edixit si beneficium saeculare S. Stephani, propriam exuens indolem, in regulare converteretur; 2.° Id fieri vetari ab Universitate C. quae privilegio gaudet quod S. Stephani parochus eligi debeat inter eiusdem universitatis professores; 3.° Gubernium civile sese opponere conversioni huic : quod, ait Ordinarius, *ut mihi persuasum est, nullo modo admitteret ut beneficium, de quo sermo est, e saeculari fiat regulare, idque eo minus quum idem Regimen vindicat sibi quoad Beneficium S. Stephani iuspatronatus.* Maximas tandem fuisse impensas in aedificii restaurationem peractas ad inibi parochi domum extruendam; ita ut, sine magna iniuria, parochus et administratores saeculares ab eo loco haud arcerentur. Difficultates ab Ordinario exhibitas eiusque firmam voluntatem adversus eiusmodi conversionem, basim habere in iure neminem latet. Stat absque dubio eiusdem favore *cap. In Ecclesiis de cap. Monachor. In Ecclesiis ubi Monachi habitant, populus per Monachum non regatur:* et *cap. Monachi de statu Monachorum Monachi non pretio recipiantur in monasterio, nec peculium permittantur habere, nec singuli per villas et oppida per quascumque parochiales ponantur Ecclesias, sed in maiori conventu, aut cum aliquibus fratribus maneant, nec soli inter saeculares homines spiritualium hostium conflictum expectent.* Ex quo Bouix *tract, de Iur. Regular, pag. 5, cap. 4* multorum auctorum opinione fretus, arguit antiquas maximas fuisse immutatas, vi quarum etiam

monachis committi poterat saecularium Paroeciarum administratio. Antistes praeterea, cui stricte onus incumbit sui cleri iura protuend i, generali fulcitur principio, quod ecclesiae oeconomiam moderatur, nempe *ut beneficia saecularia saecularibus, regularía regularibus conferantur.* Quae regula pluries in iure canonico confirmationem recipit per plura capita ; inter quae Clementina *Quia regulares, de supplenda negligentia Praelatorum.* Praescripserat enim Clemens V in Concilio Viennensi Ordinarios supplere debere praelatorum Regularium negligentiam, qui-tempore praestituto conferre beneficia neglexissent, his verbis regulam citans: *Beneficia huiusmodi illa videlicet, quae consueverunt per saeculares clericos gubernari, saecularibus clericis; alia vero quae religiosis dumtaxat committi sunt solita vel conferri, religiosis monasteriorum conferendo.*

Tandem Fagnanus quamvis admittat Regulares consequi posse paroecias saeculares, praevio indulto Apostolico ex resolutione S. C. Concilii 1581 a Gregorio XIII approbata; colligit ex eadem resolutione dispensationem concedi debere ad Ordinarii instantiam. Sic in *cap. Quod Dei timorem, de statu monach, n.* ***17*** *: Cum fuerit quaesitum an regularis possit praefici curae animarum ab Episcopo sine dispensatione Apostolica, Sacra Congregatio Concilii censuit non posse, nisi accedente dispensatione, quae non videtur concedenda nisi instante Episcopo pro necessitate vel utilitate Ecclesiae. Et alias consulta an Ecclesiae parochiali ex necessitate, nempe ob penuriam Sacerdotum, regularis perpetuo possit praefici, respondit permitti posse ita ut deducto victu, quod reliquum fuerit in utilitatem Ecclesiae et pauperum convertatur.* His omnibus accedere certum est Concil. Trid. quod *sess.* ***24,*** *cap.* ***13*** *de ref.* prohibet unionem ecclesiarum paroecialium monasteriis et collegiis : *Ecclesiae paroeciales monasteriis quibuscumque, aut abbatiis seu di-*

gnitatibus... non uniantur. Aliqui tamen auctores, ceu Barbosa verba commentando cit. capitis excipiunt uniones illae: *quae fiunt pro fundatione, augmento vel conservatione collegiorum et aliorum locorum ad fidei catholicae defensionem et propagationem, bonarum artium cultum.* Et pro hac sententia citatur resolutio S. C. G. in *Cracovien.* ***5*** *decem.* ***1739.***

Nihilo secius Ordinarius exceptionem quoque posuit dicens : indolem beneficii saecularis iam esse constitutam; seque haud arbitrari opportunum quod eiusmodi dispensatio et derogatio concedatur in praeiudicium futurorum vocatorum, dum ille tutor et vindex exstet iurium quoque saeculares cleri.

EA QUAE CARMELITARUM FAVORE FACERE VIDENTUR. Inficiali tamen nequit eiusmodi conversiones et paroeciarum translationes semper fuisse admissas quoties iustae concurrerent causae, et Apostolicum beneplacitum adesset. Idque facile colligi posse ex modo quo uniones paroeciarum perficiuntur cum monasteriis, tum quoad *temporalia tantum,* tum *pleno iure* ceu docet Engel, *in tit. de cap. Monach, num.* ***10:*** « Unio *quoad temporalia* tunc cen-
« setur facta, quando decimae, aliique reditus parochiae
« sunt assignati Monasterio, sed ius instituendi rectorem
« beneficii pertinet ad Episcopum, solo iure praesentandi
« monasterio relicto. *Pleno iure* dicuntur unitae seu in-
« corporatae parochiae quando praeter ius percipiendi
« temporales reditus, etiam administratio spiritualium,
« scilicet cura animarum, in monasterium translatum
« est, atque in tali parochia rector principalis censetur
« esse Abbas Monasterii ». Certum est eiusmodi modum uniendi paroecias comprehendere etiam saeculares paroecias. Nam omisso etiam, quod generaliter de paroeciis illis loquatur, certum est fieri posse eiusmodi conversiones iuxta praxim hodiernam. Bouix op. c, *cap.* ***4,*** *prop.* ***3:*** *Omnino certum est de iure communi hodierno*

haud posse parochias saeculares regularibus conferri absque dispensatione pontificia. Id certum evasit pluribus S. Congregationis Concilii declarationibus Sedis Apostolicae auctoritate firmatis quas inter citat duas quae a Garcia referuntur *de benef. par.* ***7,*** *cap.* ***10,*** *n.* ***30.*** Et totum id confirmat auctoritate Benedicti XIV in sua Constit. *Quod inscrutabili diei'****9*** *iulii* ***1745;*** in qua refertur quod dubio: *An Canonici regulares capaces sint obtinendi, et retinendi Ecclesias parochiales saeculares absque indulto Apostolico, saepe responsum est: absque Apostolico indulto ad saeculares parochias promoveri non posse. Ita respondit Congregatio Concilii de an.* ***1581,*** *eiusque responsum approbatum fuit a Gregorio XIII.*

Ceterum quatenus Ordinarius privatum bonum publico anteponere nolit, non videtur adesse in religiosis viris incapacitas ad regendas paroecias saeculares, dum id haud sit cum eorum statu incompatibile; Suarez *de Rei. t.* ***41, 3,*** *c.* ***9.*** *Suppono in primis religiosum ex vi professionis suae non esse incapacem beneficii etiam curam animarum annexam habentis.* Et idem auctor *cit. loc. S,* observat communiter retineri in canonica iurisprudentia Religiosos haud incapaces esse retinendi beneficia curata saecularia; quod transmissum est qualis permissio a sacris canonibus contemplata. Quoad principium vel axioma : *beneficia regularía regularibus, saecularia saecularibus sunt conferenda,* respicere dicendum est tantum beneficia simplicia, ceu habet Engel, in *tit.* ***37,*** *lib.* ***3,*** *Decr. n.* ***5.*** « Quoad beneficia haec regula non aeque pro-
ce cedit. Nam in primis si beneficia habeant curam *fori*
« externi eorum capaces esse regulares exinde manife-
<(stum redditur quoçl religiosus etiam possit eligi in Epi-
« scopum, quamvis ecclesia sit saecularis per textum ex-
« pressum in Clementina I *de Electione.* Quod si beneficia
« habeant solum curam *fori interni* uti Ecclesiae paro-
« ciriales communis est Doctorum sententia, religiosos de

« iure generaliter capaces esse beneficiorum saecularium « curatorum, et ita ob favorem curae, et utilitatem spiri- « tualem animarum esse exceptionem ab illa regula, quod « saecularia beneficia tantum saecularibus conferenda '(sint ».

A remotis quoque Ecclesiae temporibus arbitratum est haud religiosis regularibus inconveniens fuisse beneficia consequi animarum curam habentia. Sic Siricius Papa ad Imerium Tarraconensem: *Monachos quoque, quos tamen morum gravitas, ac vitae, ac fidei institutio commendat clericorum officiis aggregari et optamus et volumus.* Idem constitutum fuit a S. Gregorio in Concil. Romano anno 592, a Bonifacio IV anno 610, a Concilio Nemausensi sub Urbano VIII. Idemque *Conc. Trid. sess. 25, cap. 11, de reform. In Monasteriis seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum saecularium, praeter eas, quae sunt de illorum monasteriorum, seu locorum familia, personae tam regulares, quam saeculares huiusmodi curam exercentes subsint immediate in iis, quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi et correptioni Episcopi, in cuius Dioecesi sunt sita. Nec ibi aliqui etiam ad nutum amovibiles deputentur, nisi de eiusdem consensu, aut praevio examine per eum, aut eius Vicarium faciendo* admittit atque moderatur praxim conferendi Regularibus Ecclesias paroeciales. Tandem Pius VI in sua Bulla Dogmatica *Auctorem Fidei* uti falsam atque exitiosam damnat lansenistarum sententiam in Synodo Pistoriensi prolatam: *Regula prima, qua statuit universe et indiscriminatim statum regularem componi non posse natura sua cum animarum cura, cumque vitae pastoralis muneribus.*

Tandem observatum fuit, quod si S. Sedi sufficientes visae fuerint causae a Carmelitis adductae, ita ut illi petitam consequantur conversionem, auctoritas Episcopa-

lis tamen sarta tectaque manet. Nam Benedictus XIV *Constit.* ***109,*** *Firmandis, de Iurisdictione Episcoporum, quoad Eccesias parochiales Regularium, et personas curam animarum subditorum saecularium in eis exercentes* ***§19*** *sic habet:* « In omnibus autem praemissis exem-
« ptionum casibus salvum semper atque illaesum esse
« volumus eorum Episcoporum ius, si qui sunt, qui su-
« pradictas parochiales Ecclesias earumque Rectores vi-
te sitare consueverint, nimirum tam illas quae monaste-
« riis seu domibus iis adnexae sunt, in quibus Generales
« Ordinum superiores Sedem Ordinariam principalem vel
((a suorum Ordinum Constitutionibus vel ab inveterata
<(consuetudine praefinitam habent, quam eas quae ab
« ipsis superioribus, alias pro ordinaria principali resi-
ci dentia fuerint electae, et nihilo minus huiusmodi resi-
« dentia durante Episcopi visitationi, iurisdictioni et
« correptioni subiectae fuerint ».

His ultro citroque adductis, iudicio atque sapientiae EE. CC. remissum fuit enodandum

Dubium.

An, et quomodo concedenda sit in administratione Paroecia S. Stephani Patribus Carmelitis e Conventu vici A. in civitate C. in casu.

RESOLUTIO. Sacra EE. et RR. Congr. die 2 iunii 1876, causa ad trutinam vocata, respondere arbitrata est :

Affirmative iuxta modum; et modus est, quod paroecia administretur a Carmelitis donec restauretur Ecclesia S. Stephani, et quod bona Paroeciae maneant ad dispositionem Ordinarii, facto verbo cum SSmo.

EXINDE COLLIGAS.

I. Regulares, praevio Apostolico indulto, et iustis adstantibus causis, consequi posse saecularia beneficia curam animarum habentia.

II. Constare enim usque a primis Ecclesiae temporibus per Summos Pontifices indultum fuisse ecclesias paroeciales obtineri posse a Regularibus viris ; qui gravitate morum (ut Siricius Papa edixit) et vitae fideique instituto, prae aliis commendarentur.

III. Proindeque axioma « *beneficia regularía regularibus, saecularia saecularibus sunt conferenda* » respicere dicendum esse beneficia tantum simplicia.

IV. Itemque ex canonica iurisprudentia certum esse Regulares ceu capaces sunt beneficiorum, quae curam *fori externi* habeant, quia iidem ad Episcopatum evehi possunt ; ita capaces esse, ex DD. sententia, beneficiorum, quae tantum habeant curam *fori interni* uti sunt ecclesiae parochiales.

V. Huc accedere quod Concilia varia, et praecipue Tridentinum, admittunt atque moderantur praxim conferendi Regularibus Ecclesias paroeciales ; et Pius VI uti falsam et exitiosam damnaverit oppositam sententiam [1]

VI. Uniones beneficiorum saecularium cum Monasteriis fieri posse duplici modo : *quoad temporalia;* quando nempe decimae reditusque paroeciae cum iure praesentandi Rectorem Monasterio tribuuntur, relicto Episcopo instituendi iure : *pleno iure,* praeter temporalia, in Monasterio transfertur cura animarum, ita ut principalis rector esse censeatur Abbas Monasterii.

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM.

Feria* IL *Die 12 iunii 1876.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX Sanctaque Sede

[1] Bulla Dogmatica *Auctorem Fidei.*

Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Eepublica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 12 Iunii 1876 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque vel alias damnata atque proscripta in Indicem Librorum prohibitorum referri mandat quae sequuntur Opera.

La Régénération du monde. - Opuscule dédié aux douze tribus d'Israel par Joseph de Félicité. - Courtrai 1860. — *La Résurrection dans le Système de la Régénération du monde.* - Opuscule dédié aux douze tribus d'Israel par Joseph de Félicité. - Bruxelles 1869.

Ganganelli. *A Egreja e o Estado,* por Joaquim Saldanha Marinho. — Latine : *Ecclesia et Status,* Auctore Joachimo Saldanha Marinho. - Rio de Janeiro 1874-1875.

Arnaldo da Brescia e la Rivoluzione Romana del XII secolo, studio di Giovanni de Castro. - Livorno coi tipi di Francesco Vigo 1875.

Dio, l'Universo, e la Fratellanza di tutti gli Esseri nella Creazione, per S. P. Zecchini. - Torino stamperia dell'Unione tipografìco-editrice 1875.

Per una Protologia secondo i progressi e i bisogni delle scienze naturali a compimento del sistema filosofico di Vincenzo Gioberti, note di G. B. Garrione. - Torino tip. lit.-Camilla e Bertolero 1876. - *Auctor laudabiliter se subiecit et opus reprobavit.*

*La Semaine ou le **3**[e] Commandement de Dieu,* par Migorel curé de Malétable. - Prohib. una cum praefatione ms. et numismate panni coloris rubri, in quo haec verba leguntur : *Dieu le veut, et N. D. de la Salette: Decr.* ***6*** *decembris* ***1875.***

Le temporalità della Chiesa e la questione romana, pel canonico Mario Ayala Rosso. - Castrogiovanni tipografia 1). Pagano 1874. *Decr. S. Off.* ***17*** *nov.* ***1875.***

Otto mesi a Roma durante il Concilio Vaticano, impressioni di un contemporaneo per Pomponio Leto. - Firenze, successori Le-Monnier 1873. *Decretum S. Off. 28 mart.* ***1876.***

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX per me infrascriptum S. I. C. a secretis relatis, Sanctitas Sua Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 12 iunii 1876.

ANTONINUS Card. DE LUCA, *Praefectus.*

Fr. Hieronymus Pius Saccheri, Ord. Praed.
S. Ind. Congreg, a secretis.

EX S. APOSTOLICA POENITENTIARIA

Eme et Revme Domine,

Nonnulli Sacerdotes Confessarii in Alma Urbe humiliter exponunt, hoc tempore per eam circumferri quoddam folium continens programma typis impressum cum adnexis schedis associationis, quo fideles sollicitantur ad adhaerendum cuidam Societati in eum finem institutae vel instituendae, ut quandocumque Apostolica Sedes vacaverit, populus romanus concurrat in Summi Pontificis

electione. Societati nomen inditum est - *Società cattolica italiana per la rivendicazione dei diritti spettanti al popolo cristiano ed in ispecie al popolo romano.* - Qui autem huic Societati dant nomen declarare expresse debent, prout ex schedarum forma, se assentire doctrinis in programmate enunciatis, et obligationem coram duobus testibus contrahunt, se operam daturos, ut tales doctrinae propagentur, et Societas ipsa dilatetur. Itaque accedentibus (Dei opitulante gratia) ad Sacramentalem Confessionem iis, qui huius pravae societatis promotores extiterunt, vel qui subscripserunt, coeterisque adhaerentibus et fautoribus, praefati Confessarii, ut eos rite absolvere valeant, programmatis et schedarum exemplum S. Poenitentiariae expendendum remittunt, et sequentium dubiorum solutionem expostulant.

1. *An omnes et singuli praedictae Societati nomen dantes, vel eam promoventes, aut ei quomodocumque faventes, vel adhaerentes, excommunicationis maioris poenam ipso facto incurrant?*

2. *Et quatenus* affirmative *an huiusmodi excommunicatio sit Romano Pontifici reservata?*

Sacra Poenitentiaria attentis omnibus expositis[1], et inspecta natura ac fine huiusmodi Societatis: facta praemissorum relatione Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX, et eodem SSmo Domino approbante, ad proposita dubia respondet ut sequitur :

Ad primum. *Affirmative.*

Ad secundum, *Incurri excommunicationem latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatam.*

R. Card. MONACO, *pro P. M.*

Hip. Can. Palombi, *S. P. Secr.*

EX S, CONGREGATIONE SS. RITUUM

VENETEN. Concessionis et approbationis Officii et Missae propriae Manifestationis S. Imaginis B. Annae apud Britones pro die 7 martii, Officii et Missae propriae in honorem eiusdem S. Annae pro die 26 iulii, nec non concessionis et approbationis Missae votivae propriae.

NARRATIO HISTORICA MANIFESTATIONIS IMAGINIS S. ANNAE.

Intra fines cuiusdam paroeciae *Pluneret* nuncupatae, Dioecesis Venetensis [1] extat oppidum quoddam a S. Anna nomen habens (le Bourg de Sainte-Anne) tribusque leucis distans a civitate Venetiarum (Vannes) una autem leuca ab Urbe Aurea (Auray). Apud hoc oppidum primis Ecclesiae saeculis, in agro quodam *Bocenno* dicto, Capella quaedam extitit b. Annae dicata, quae tamen anno 699, bello ubique in Gallia ob barbarorum incursiones saeviente, funditus eversa est. Illius tamen memoria fidelium animis minime exciderat; quin imo penitus infixa manebat ex eo praesertim, quod pars illa campi, qua praefata Capella ruinis obruta delitescebat, numquam aratro versari ac perfodi potuit, etiamsi crebris conatibus id adniterentur agricolae. Ex hoc facto arguebant omnes quod Virginis Mater veluti sibi sacrum locum illum nempe haberet; proindeque sibi quisque ominabatur, quod Capella rursus a ruinis excitanda foret. Neque spes vana fuit; placuit enim Deo eamdem Capellani ad gloriam pristinam maiorem vindicare, sequenti ratione.

* In Britannia Armorica, quae dicitur etiam Britannia Minor, ut a Britannia Maiori distinguatur, Dioecesis eiusmodi extat, quae pars Galliae a remotis etiam temporibus, fidei sinceritate et morum integritate prae aliis provinciis regni illius excelleat.

Pius quidam Colonus nomine Ivo, cognomine autem Nicolazic, a teneris usque annis specialissima erga Deiparam Virginem eiusque Matrem pietate enituit. Huic inter mira supernae gratiae dona, quibus a Deo illustratos est, illud accidit singulare, quod b. Anna tam quiescenti, quam iter agenti pluries apparuerit. Quam rem praeclariori modo evenisse tradunt historici anno 1624 die 25 iulii: pridie nempe festivitatis b. Annae, cum nempe pio colono in horreo orationi vacanti ingens strepitus, multiplices hominum voces, pedumque tumultuantium crepitus, quasi turbarum undequaque confluentium exaudiri visus est.

Dum istarum rerum causam secum quaereret, subitus splendor in hórreo refulsit, eique b. Anna visibili forma se conspiciendam praebuit, ac iussit ut Parocho referret, Dei voluntatem esse ut Sacellum quod antiqui Britones in ea regione omnium primum ei dicaverant, et postea, lapsu temporis, excisum fuerat, rursus a fundamentis excitaretur. Huiusmodi visione licet Ivo summopere recreatus fuisset, attamen graviter timens ne forte a se narranda veluti indocti deeeptique hominis commenta traderentur, per aliquot dies mandata facessere distulit, donec iterum a b. Anna admonitus ad parochum suum se contulit, eique rem totam aperuit. Verum ab ipso veluti somniator reiectus, aeger animoque deiectus b. Annae preces admovit, ut aliquo praeclaro signo voluntatem suam omnibus ostenderet atque comprobaret. His annuit precibus b. Anna; nam die 7 martii 1625 dum pius agricola noctu domi maneret, et a diurnis laboribus requiesceret, lux quaedam insueta statim emicuit, et eidem adstans b. Anna praecepit, ut agrum Bocennum peteret, imaginem in diruto sacello olim asservatam certo inventurus. Itaque Ivo e lecto consurgens, quatuor testibus sibi adiunctis, et praeeunte usque mirabili face, ad locum diruti Sacelli in agro Bocenno pervenit, ubi ea constitit, ferque ad solum

sese inclinans, veluti indicii causa, protinus evanuit. Terram ibi efïodere coepit, et vix unum aut alterum pedem progressus Imaginem b. Annae vetustate attritam invenit.

Ob hunc prodigiosum eventum animo erectus ad Capellani aedificandam mentem suam applicuit. Verum ea, qua cupiebat celeritate id assequi non potuit. Etenim Episcopus Venetensis rigoroso et longo examini eumdem subiecit; ipsiusque desideriis tunc solum obtemperandum censuit, cum de rei veritate nulla amplius ambigendi ratio suppetere posset. Per id temporis parochus ille, qui toties Ivonem acerbe reiecerat, fidemque adeo obstinate eiusdem narrationi detrectaverat, graviter vapulavit, neque prius convaluit quam facti poenitens veniam atque opem suppliciter a b. Anna imperaverit. Extructa tandem Capella est et statim peregrinorum undequaque affluentium multitudine miraculisque a Deo patratis celeberrima evasit. Ita enim eiusmodi sanctuarium pietate et frequentia colitur fidelium, ut veluti arx quaedam sacrumque receptaculum considerari posset, in quo ipsi confugium, solatium, robur, tutamen ac fortitudinem inveniant. Ibi fidelis Britonum populus opem, auxilium, beneficia cuncta a Deo per Annae intercessionem petere consuevit. Attamen aliquid deerat ad illorum fidelium pia vota ferventissimamque pietatem erga b. Annam explendam. Idcirco a S. R. Sede duo expostularunt Britones. *].° Nempe ut die 7 martii festum Manifestationis S. Imaginis b. Annae celebrare valeant cum officio et Missa propria;* 2.° *ut die 26 iulii, qua ab universa Ecclesia festum eiusdem S. Annae recolitur, aliquid distinctius ac specialius ratione specialissime ipsorum devotionis habere liceat; idest officium, et Missam propriam.* Petierunt insuper Missam votivam propriam ; quae petitio cum secunda petitione coniuncta est.

ADVOCATI DEFENSIO \

Solers patronus ad rem sibi creditam facilius perficiendam, ut nempe vota et petitiones Britonum imploren tur, hunc praestituit ordinem sibi esse sequendum. Egit ideo de facto historico manifestationis S. Imaginis b. Annae ; de miraculis ex eiusdem intercessione apud Britonos a Deo patratis ; de particulari illius populi erga inclytam patronam pietate; de Principum, Regum et praesertim Romanorum Pontificum in praefatum Sanctuarium liberalitate; tandem de validis argumentis, quibus Britonum preces innitebàntur.

DE HISTORICA VERITATE. Quoad veritatem historicae narrationis iam peractae, monumenta comprobantia eruit advocatus ex Bollandianis *Acta Sanctorum mensis iulii tom. VI, die* **26,** *pag.* **249-52** *et pag.* **279-87.** - Antuerpiae 1729.

Ab eisdem adducta fuit prae caeteris auctoritas P. Ioannis Thomae Cirillo qui in sua *Matre honorificata cap.* ***85, § 12,*** et a Bollandianis relata *loco c. pag.* ***251,*** *columna* ***2*** ita se habet - ibi : *Variis argumentis veritas huius historiae probatur:* 1.° *Locus ab immemorabili tempore civitas vel oppidum S. Annae dictus.* 2.° *Lumen a pluribus et diversis supra locum, qui modo Ecclesiae fabricam sustentat, frequenter notatum.* 3.° *Hominis simplicis omnibus vicinis et incolis passim nota vitae innocentia et integritas, i.° Concentus suavissimus ibidem iterum iterumque auditus, et arrha pecuniae rustico ad ipsum ad fabricae opus animandum, prodigiose oblata.* 5.° *Incolarum fuisse quondam ibi sub S. Matris Annae titulo sacellum, constans et immemorabilis traditio.* 6.° *Evidens*

[1] Advocatus Dominicus Ferrata Britonum petitiones exposuit atque tuitus est stylo nitido, et argumentis omnino efficacibus ; ita ut quidquid petierit a S. R. C. obtinuerit. Non omnia, de more, hic argumenta referimus, quibus ille feliciter usus est, sed nonnulla tantum, spatii brevitate coacti.

quoddam et quasi continuum prodigium, quod ibidem arantibus aratrum vel vomer numquam glebam illaesus transierat, adeo ut incolis « CAVEANT A LOCO SACELLI » *in tritum abierit proverbium. 7° Horreum ex sacelli quondam ruderibus extructum, -flamma coelitus concepta depastum et consumptum.* 8.° *Post concurrentes tot moras et obstacula, puta hominum contradictiones et oppositiones, felix tamen et expeditus devotionis huius successus; praeterquam quod monasterium recens extructum magnificentia sua ad rariores totius patriae fabricas accedat.* 9.° *Rudera et antiqui aedificii vestigia, cum praesentis ecclesiae poneretur fundamentum, scilicet vitra, lapides et eiusmodi inter fodiendum eruta ».*

Testimonium eiusmodi nedum protueri sed etiam evincere veritatem ait patronus, quia nihil prorsus invenire queat quod sanae critices principia narrationem istam aliquo modo infirmare aut labefactare possit. Attamen multa alia congessit ordinavitque testimonia, inter quae aliqua tantum referemus.

Spondanus Apamiensis Episcopus et Cardinalis, qui in *Continuatione Annalium Ecclesiasticorum tom. 3 ad annum Christi 1655, n. 3* ita loquitur: « Non fuit huic de-
ce creto *(est istud decretum Urbani VIII circa cultum san-*
ti ctorum, de quo paulo ante meminerat) obnoxia sanctae
« Annae Matris Dei Genitricis veneratio, quippe ab omni
((christiano aevo in Ecclesia et urbe receptissima ac pro-
ce batissima; quae et hoc ipso anno novo miraculo mani-
ci festata legitur in Britannia Armorica in vico Ker-Anna
« Dioecesis Venetensis, ubi divinitus revelata cuidam pio
« aratori nomine Ivoni Nicolasio mense martio, vetus
« quaedam sacra imago praedictae beatae Annae terrae
« profunde infossa, confestim coepit innumeris et claris-
« simis iuxta ac stupendis clarere miraculis etc. ».

Omitti nequit adiunctum a P. Arthuro Martin Societate Iesu relatum in opere *Pèlerinage à Sainte Anne d"Au-*

ray. Narrat enim quod Ivo Nicolasius cum die 13 maii 1645 in Carmelitarum Coenobio instanti morte teneretur, coelesti quodam gaudio laetitiaque perfusus, oculosque in coelum tendens, quasi aliquid mirabile cerneret, in extasim rapi videbatur. Interrogatus quidnam conspiceret; *ecce,* inquit, *Mariam Virginem adspicio, et cum ea Beatam Annam Dominam, meam.* Iam vero ipsius Confessarius P. Renatus a S. Guillelmo novum certumque argumentum de historiae veritatis posteris mandare cupiens, ab Ecclesia Imaginem b. Annae sustulit eamque morienti exhibuit, inquiens • *Frater antequam ad tribunal supremi Iudicis appareas vis iterum, quae hucusque affirmasti solemniter confirmare ?* Tunc Ivo coram filio suo, qui Carmelitarum religioni nomen dederat, nec non coram tota religiosa familia, quae in eius cubiculum convenerat respondit : *confirmo et attestor. Nonne periucundum tibi est,* subdit Confessarius, *diem obire supremum coram Imagine illius, a qua tot donis gratiisque auctus fuisti?* Affirmavit Ivo, pedesque Imaginis magna cum pietate deosculans, placidissime obdormivit in Domino.

Iuxta notissima principia, nulla prorsus dubitatio exoriri potest circa aliquod historiae factum, si a viris probis opportunaque scientia praeditis narratur, ceu in casu habentur. Sunt enim omnes viri spectatissimi, et pietate eximia ac religione praediti.

Insuper Ivo decipere nequivit omnes, quia simplex est et simulatoris charactere destituitur. Huc accedit quod b. Anna ad plenam fidem Ivoni conciliandam, signum dedit omnibus visibilem in inventione sui imaginis. Quapropter uti certum eiusmodi factum est habendum, nisi sanae critices normas posthabere velimus. Eactum hoc tandem confirmatum manet constanti ac perpetua traditione, qua facile alicuius facti existentia evincitur; quia *opinionum, commenta delet dies.*

DE MIRACULIS APUD BRITONES OPERATIS PER INTERCESSIONEM BEATAE ANNAE.

Quamquam b. Anna, gloriosissima Virginis parens, ubique terrarum invocetur, Fideliumque preces ac vota suscipiat; voluit tamen Deus ut singularem honorem in Britannia Armorica reciperet, ibique impensiore studio coleretur, nec non frequentiores ad eam aftraherentur ex dissitis etiam regionibus fideles, iique vicissim copiosiora ab ipsa beneficia assequerentur.

At cum pene impossibile evaderet omnia et singula persequi prodigia eiusmodi; nonnulla tantum in medium proferentur documenta, quibus de iis indubie doceatur. Quapropter, caeteris auctoribus omissis, haud praetereunda est Spondanus iam superius allatus; qui *loc. cit.* ita pergit: *vetus quaedam sacra Imago praedicta b. Annae, terrae profunde infossa confestim coepit innumeris et clarissimis clarere miraculis; quae locum frequentissimum populorum concursu reddiderunt; collocata Imagine in Ecclesia ex piis eleemosynis magnifice constructa, prope oppidum Aureum, auctoritate Sebastiani Rosmaderi Episcopi Venetensis loci Ordinarii, qui miracula probatissima ad eam continue fieri consueta Decreto publico confirmavit et promulgari permisit per fratrem Hugonem a S. Francisco Carmelitanum Reformatum Provinciae Armoricae.*

Iussu Ordinariorum examen criticum super veritate eiusmodi miraculorum institutum fuit ; cuius exitus a Boliandianis ita exprimitur : *porro haec omnia beneficia tot tantisque testimoniis confirmata sunt, ut homines etiam hypercriticos de veritate convincere debeant, maxime cum RR. PP. Carmelitae incredulis longiores informationes, et authenticus processus possint illic ostendere.*

DE ANTIQUA ET CONSTANTI DEVOTIONE BRITONUM ERGA B. ANNAM.

Simul ac b. Anna Ivoni Nicolasio apparens suamque Imaginem manifestans, peculiarem cultum ac pietatem a Britonis exigere visa est, statim in istorum animis quidquid est dulciorum ac ferventiorum affectuum excitatum fuit. Omnium amor ipsius Imago effecta est, omnibusque adeo cara ac venerabilis, ut eius aliquod exemplar sive lino depictum, sive charta impressum, sive aere caelatum, aut marmore lignove sculptura praecipuum domorum ornamentum, et singulare incolarum evaserit tum solamen, tum refugium. Quod procul dubio in Proceram aulis non secus ac in pauperum tuguriis conspiciendum fuit. Verum cum pietas ac cultus in Deiparae parentem magis magisque effloresceret, primumque templum nimis angustum videretur, novelli et quidem magnifici templi erectio anno 1866 decreta fuit; et spatio sex annorum aedes amplissima surrexit. Ex hoc apparet quam fecunda et efficax advenarum, et Britonum pietas; dum nullis impensis aut laboribus pepercerint, ut templum S. Annae magno splendore et decore nitesceret.

DE REGUM ET ILLUSTRIUM PERSONARUM FAVORE AC DONIS, NEC NON DE ROMANORUM PONTIFICUM ET PRAESERTIM PII IX GRATIIS, ATQUE CONCESSIONIBUS.

Vix ac b. Anna coelestium apparitionum et miraculorum vi Britones certiores fecit, Dei voluntatem esse ut in ea regione et praecise prope locum *Auray* qui nominatur, sibi honor cultusque ferretur, nedum populus sed ipsi reges ac magnates Galliarum nil suavius ac iucunclius putarunt, quam eidem Annae venerationis pietatisque argumenta certatim praebere..

Complures autem Pontifices gratias et concessiones fecerunt favore b. Annae; silentio praeteritis aliis, loquendum est de eo quod fecit Pius Papa IX. Etenim instanti Episcopo Venetensi sub die 22 maii 1868 Breve edidit quo nimirum tum Virginis Mariae, tum Annae simulacro corona imponi liceret. Omissis tandem brevitatis amore pluribus aliis gratiis et concessionibus, praeteriri nequit illud Pontificiae benignitatis argumentum quo nimirum Sanctuarium S. Annae ad Basilicae Minoris gradum evectum fuit.

DE CONGRUENTIA ANNUENDI BRITONUM PETITIONIBUS.

Revera ad primam petitionem quod attinet, ea omnia concurrere, quae ab Amplissimo hoc Ordine exigi solent, ut officii et missae propriae concessioni locus fiat, pluribus et peremptoriis argumentis evinci potest.

Ac primo iuxta doctrinam a summo Iuris nostri Moderatore traditam *Lib. IV, part II, cap. VII, n. l; prodigia coelestium apparitionum* titulum suppeditant ad festivitates celebrandas et ad concessionem officii et missae obtinendam. Revera die octava Maii festum peragitur in commemorationem apparitionis S. Michaelis Archangeli in Monte Gargano; pariter ad recolendam apparitionem B. M. Virginis Beato Simoni Stock factam, cui scapulare exhibuisse fertur, ut ea coelesti veste sacer Ordo Carmelitarum dignosceretur et a malis ingruentibus liberaretur, festum cum officio et missa indultum fuit (Benedictus XIV, *lib. 4, p. 2, cap. 9, n. 10).* Rursus officium proprium cum octava die 17 iulii recitatur in Urbe a Clericis Regularibus Congregationis Matris Dei ex Indulto H. S. C. die 13 iunii 1679 in commemorationem apparitionis S. Imaginis S. Mariae in Porticu. Denique, ut caeteras huius generis concessiones utpote notissimas silentio praeteream, ad recolendam apparitionem S. Mariae *de*

Pilar S. Iacobo Maiori factam officium proprium obtinuerunt Hispani (Benedictus XIV, *lib. 4, part. 2, cap. 8, n. 2,* et *cap. 9, n. 17).* Iamvero B. Annam Ivoni Nicolasio apparuisse per ea, quae in primo capite disputavimus, manifestissime patet.

Rursus, ut idem Pontifex tradit *lib. 4, part. 2, cap. 7, n. 1,* sacrarum reliquiarum inventio alium titulum praebet pro concessione officii eo in loco in quo accidit inventio. Iam vero etsi Imago S. Annae in agro Bocenno inventa inter sacras reliquias stricte sumptas recenseri nequeat; nemo tamen inficias iverit, quod ipsa tum ob venerandam vetustatem, tum ob modum prorsus specialem et prodigiosum quo inventa est, tum ob fidelium maximam venerationem veluti sacrum pignus dulcissimumque mnemosynon sit habenda.

Neque satis : alter titulus pro concessione officii et missae desumitur *ab insignibus beneficiis* a Deo alicuius Sancti intercessione concessis (Bened. XIV, *lib. 4, part. 2, cap. 7, n. 1).* Revera Pius VI Pont. Max. Viterbiensi Dioecesi indulsit officium et missam propriam in ooommemorationem Beneficiorum S. Imaginis B. M. V. *ad Quercum* et Pius VII ad Cleros Civitatis Montisfalisci et Corneti ac Dioecesum eamdem gratiam benigne extendit.

Verum istarum concessionum praecipua causa atque titulus desumitur *a pio populorum affectu.*

Ordo B. Virginis de Mercede anno 1850 a S. Sede postulavit peculiare institui festum die 24 septembris in memoriam apparitionis B. Mariae Virginis, quae S. Petro Nolasco contigisse ferebatur. E regestis S. Congregationis minime apparet instantiam fuisse inde discussam sed ad novas fortasse exhibitas preces Benedictus XIV indulsit officium Dominica infra octavam B. M. V. de Mercede celebrandum, et hanc clausulam adiecit, *citra tamen approbationem praetensae apparitionis. Die 30 maii 1753.* Denique hisce exemplis aliud potissimum accedit eam-

dem b. Annam respiciens, et thesim nostram nedum illustrans, sed probans omnino atque evincens. Die 29 maii 1856 approbata fuerunt ab H. S. Congregatione officia propria Dioeceseos Avenionensis, inter quae officium *Inventionis* corporis S. Annae pro feria II post Dominicam *in albis* et alterum *Translationis* corporis eiusdem S. Annae pro die 4 maii. In istis duobus officiis tum hymni, tum orationes, tum lectiones II Nocturni, tum Homiliae in III, omnia denique propria sunt.

Antistitum denique petitiones, quae alterum hisce concessionibus titulum praebent (Bened. XIV, *lib. cit., cap. 6, n. 2)* quaeruntur? Prostant apud S. H. Congreg. Episcopi et Cleri Venetensis eifusae preces, quibus fidelium omnium vota ac desideria vehementissima adhaerent.

Omnes igitur legitimi tituli, quibus istiusmodi concessiones fulciri solent ad Britonum petitionem roborandam atque commendandam unanimiter concurrunt. Quare si unus tantummodo ex illis saepe sufficiens iudicatus est ad gratiam impartiendam, potiori ratione id nobis sperandum licet, qui causam omnigenis titulis suffultam tuemur.

Maximi etiam fiet, prouti spero, ab H. S. C. quae liberalissimam semper hisce in rebus sese exhibere consuevit, quod hic agitur de celeberrimo Sanctuario nulli profecto secundo sive antiquitas et dignitas, sive religio et miraculorum gloria, sive populorum frequentia et peregrinorum celebritas attendatur. At vero celebrioribus Sanctuariis S. H. C. huiusmodi gratiam, passim indulsit.

Haec quoad primam petitionis partem; nunc aliqua de secunda, nempe de officio et Missa propria pro die 26 iulii. Rationes quae istius petitionis maximam congruentiam ostendunt ex iis praesertim derivant, quae iam a nobis exposita sunt. Luculentissime enim, uti puto, probatum fuit, b. Annam sibi elegisse Britanniae regio-

nem veluti propriam, Britonesque veluti populum sibi gratum acceptabilemque innumerabilium beneficiorum numero et magnitudine sibi divinxisse. Maxime igitur consonum est tum ex parte b. Annae, tum ex parte illius fidelissimi populi, ut die 26 iulii Annae sacrato aliquid distinctius, praeclarius atque honorabilius apud Britonum Sanctuarium in festo peragendo habeatur. Revera hisce aequitatis rationibus adducta saepe H. S. Congr. si quando aliquis Dei Famulus ad aliquem Religiosum Coetum, Civitatem, Dioecesim ac etiam Regnum strictiori quodam vinculo et intimiore relatione pertinuisset, haud dubitavit officium et missam indulgere ab ea distinctam, qua eodem die universalis Ecclesia uteretur. Ita Franciscana familia, ut de pluribus exemplis in re notissima sileam, officium S. Francisci, S. Antonii, S. Bonaventurae aliorumque Sanctorum diversum ac distinctum ab eo recitat, quod communi Breviario insertum reperitur.

Hisce iisdem de causis paucis abhinc annis obtinuerunt sibi Hiberni officium proprium et distinctum S. Patritii, qui regionis illius iure meritoque dictus fuit apostolus, ob gravissimus exantlatos inibi labores uberrimosque fructus exinde relatos. Pariter yalentina Dioecesis die 22 septembris ex benignitate H. S. C. non illud, quod universae Ecclesiae commune est, sed officium proprium ac peculiare recitat S. Thomae de Villanova, qui nimirum dum viveret dioecesim per undecim annos ita rexit, ut sanctissimi et vigilantissimi pastoris partes adamussim expleret. Quare si hisce omnibus in casibus tanti existimata fuit specialis populorum pietas, ut S. H. C. ad eam magis magisque^roborandam petitas gratias benigne induisent, eam spem animo foveo, quod etiam Britonum preces hodierna die favorabile responsum relaturae sint. Eo vel magis quod heic agitur de inclyta totius provinciae patrona, quae quidem circumstantia saepissime ab hac

S. Congr. tanti facta est, ut ea sola sufficiens habita fuerit ad officium et missam propriam concedendam.

Caeterum ait advocatus, (et hic loquimur de utraque petitionis parte) dum agitur de gratia aliqua indulgenda notissimum principium est, quod qualitates et merita postulantem praesertim attendi debeant, nec non incrementum cultus divini exinde dimanaturum. At vero de Eritonum laudibus ac meritis nihil dicam; dicam tantummodo iisdem pulchrum ac decorum esse mori potius, quam a patrum fide et Petri Sede vel latum quidem unguem desciscere.

Hisce per Advocatum deductis, Sacra Rituum Congregatio, plenis comitiis, die 29 maii 1876, re discussa, respondere censuit:

Pro gratia et ad Eminentissimum Ponentem cum Promotore Fidei iuxta emendationes ab Eminentissimis Cardinalibus propositas \

DECRETUM.

QUO INDULGENTIA 300 DIERUM CONCEDITUR CHRISTIFIDELIBUS ARCHIDIOECESIS NEAPOLITANAE RECITANTIBUS LITANIAS SSMI. NOMINIS IESU, QUAE HIC REFERUNTUR.

NEAPOLITANA. — Praeter litanias illas Sanctissimi Nominis Iesu, quas Sacra Rituum Congregatio ad preces quorundam Episcoporum et Principum praesertim Germaniae probari posse rescripsit die 14 aprilis 1646, quatenus summo Pontifici placuisset, successu temporis in aliis orbis plagis non parum diversae a primis in lucem prodiere Litaniae eiusdem Sanctissimi Nominis Iesu, earumque usus adeo diffusus, et propagatus est, ut absque fidelium offensione et scandalo tolli nequeat, uti

[1] Emendationes eae respiciunt tantum officiorum et Missarum schemata pro approbatione exhibita; super quae placuit Emis ut aliquid immutaretur,

Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX ingenue exposuerunt permulti externarum gentium Revmi Antistites, quorum aliqui cardinalitia etiam dignitate spectabiles, occasione solemnis Canonizationis Romae degentes. Et quoniam eosdem Antistites non latebat monumenta desiderari, ex quibus deduci possit Summos Romanos Pontifices aliquando adprobasse Litanias diversas a Lauretanis, et ab illis Breviarii Romani; nec recitantibus Litanias Sanctissimi Nominis Iesu concessisse unquam Indulgentias, quae enunciantur; hinc ne fideles in errore versentur, eumdem Sanctissimum Dominum supplices exoraverunt, ut super hoc satis gravi negotio de Apostolica benignitate opportune providere dignaretur, ac decernere inter varias Litanias Sanctissimi Nominis Iesu, quae unice retineri possint, easque sacris Indulgentiis ditare. Sanctitas porro Sua, perpensis expositis rerum adiunctis, ac instante Emo et Revmo D. Cardinali Xisto Riario Sforza Archiepiscopo Neapolitano, ad relationem infrascripti Sacrorum Rituum Congregationis Secretarii, indulsit ut utriusque sexus Fideles Archidioeceseos Neapolitanae qui infra adnotatas Litanias Sanctissimi Nominis Iesu, et non alias quascumque ab eis diversas, quas suprema auctoritate omnino abolevit, devote recitaverint, lucrari valeant Indulgentiam tercentorum dierum in forma Ecclesiae consueta. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 23 martii 1876.

C. Card. PATRIZI,
Episc. Ostien. et Velitern., *S. R. C. Praef.*

L. iii S.

Placidus Ralli, *S. R. C. Secretarius.*

LITANIAE SANCTISSIMI NOMINIS JESU.

Kyrie eleison
Christe eleison
Kyrie eleison
Jesu, audi nos
Jesu, exaudi nos
Pater de coeli s, Deus,
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus Sancte, Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,
Jesu, fili Dei vivi,
Jesu, splendor Patris,
Jesu, candor lucis aeternae,
Jesu, rex gloriae,
Jesu, sol iustitiae,
Jesu, fili Mariae Virginis,
Jesu, amabilis,
Jesu, admirabilis,
Jesu, Deus fortis,
Jesu, pater futuri saeculi,
Jesu, magni consilii angele,
Jesu, potentissime,
Jesu, patientissime,
Jesu, obedientissime,
Jesu, mitis et humilis corde,
Jesu, amator castitatis,
Jesu, amator noster,
Jesu, Deus pacis,
Jesu, auctor vitae,
Jesu, exemplar virtutum,
Jesu, zelator animarum,
Jesu, Deus noster,
Jesu, refugium nostrum,
Jesu, pater pauperum,
Jesu, thesaurus fidelium,
Jesu, bone pastor,
Jesu, lux vera,
Jesu, sapientia aeterna,
Jesu, bonitas infinita,
Jesu, via et vita nostra,
Jesu, gaudium angelorum,
Jesu, rex patriarcharum,
Jesu, magister apostolorum,
Jesu, doctor evangelistarum,
Jesu, fortitudo martyrum,
Jesu, lumen confessorum,
Jesu, puritas virginum,
Jesu, corona sanctorum omnium,
Propitius esto, parce nobis Jesu,
Propitius esto, exaudi nos, Jesu,
Ab omni malo,
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
Ab insidiis diaboli,
A spiritu fornicationis,
A morte perpetua,
A neglectu inspirationum tuarum,
Per mysterium sanctae Incarnationis tuae,
Per nativitatem tuam,
Per infantiam tuam,
Per divinissimam vitam tuam,
Per labores tuos,
Per mortem et sepulturam tuam,
Per resurrectionem tuam,
Per ascensionem tuam,
Per gaudia tua,
Per gloriam tuam, Libera nos, Jesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis, Jesu.
Jesu, audi nos.
Jesu, exaudi nos.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui dixisti: Petite et accipietis; quaerite, et invenietis ; pulsate, et aperietur vobis : quaesumus, da, nobis petentibus, divinissimi tui amoris affectum, ut te toto corde, ore, et, opere diligamus, et a tua numquam laude cessemus. - Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum, quia numquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuae dilectionis instituis. Per Dominum, etc.

EX VATICANO

Sanctissimi in Christo Patris et Nostri Domini Pii Divina Providentia Papae IX, Litterae Apostolicae quibus Universitas Lavallensis nuncupata in Urbe Quebeci canonice erigitur.

PIUS EPISCOPUS.

SERVUS SERVORUM DEI.

VENERABILIBUS FRATRIBUS ELEAZRO ALEXANDRO TASCHEREAU ARCHIEPISCOPO QUEBECENSI CAETERISQUE EPISCOPIS REGIONIS CANADENSIS NEC NON DILECTIS PILUS THOMAE STEPHANO HAMEL RECTORI ALIISQUE PROFESSORIBUS CATHOLICAE UNIVERSITATIS LAVALLENSIS IN URBE QUEBECI.

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Inter varias sollicitudines, quibus pro iniuncto Nobis Apostolico munere rite obeundo undique angimur, illam libenter amplectimur, per quam ubique locorum litterarum studio vacare cupientibus, illarum addiscendarum occasio et commoda opportunitas tribuatur, ut errores, qui ob litterarum inscitiam plerumque enati, quique Sacram Christianae Reipublicae doctrinam deturpant, pe-

nitus, si fieri possit, destruantur; quavis enim aetate experientia docet ad id obtinendum plurimum contulisse publicas studiorum Universitates.

Iamdudum, venerabiles fratres, Archiepiscopus Quebecensis Petrus Flavianus Turgeon, caeterique Episcopi Regionis Canadensis nobis per S. Congregationem Christiano nomini propagando praepositam significaverunt, sibi in votis esse ut Catholica Universitas in Urbe Quebeci canonice erigeretur.

Cum vero illa Universitas sub patrocinio B. M. Virginis sine labe conceptae a Seminario Quebecensi viginti quatuor abhinc annis fundata sit praevio S. Sedis beneplacito plenoque civilis potestatis consensu, ac nuperrime venerabilis frater Eleazrus Alexander Taschereau Archiepiscopus Quebecensis, nec non dilectus filius Thomas Stephanus Hamel eiusdem Universitatis Rector supplices Litteras pro canonica institutione impetranda nobis porrexerint, nos per eosdem venerabiles fratres S. R. E. Cardinales Sac. Consilii Christiano nomini propagando in generali conventu diei VIII maii MDCCCLXXVI coadunatos, compertum habentes, Quebeci Urbem Catholicae Religionis in America Septentrionali veluti Metropolim habendam esse, ex eo quod sexaginta Dioecesum mater existat, ac insuper facilem ad eam patere accessum ex omnibus Canadensis regionis partibus, compertum praeterea habentes, Universitatem, cuius institutio canonica expostulatur, vastissimis aedificiis qua artis opificio, qua sumptus magnificentia admiratione dignis, copiosa bibliotheca variisque lectissimis museis in omnigenae scientiae subsidium exornari, ac sapientium virorum magisterio et moderatore gubernari, quorum plures in hac ipsa SS. Apostolorum Petri et Pauli Urbe apud Archigymnasium Gregorianum Societatis Iesu et S. Apollinaris scholas doctrinam hauserunt, reique Christianae ipsique civili Societati uberrimos fructus attulisse, ado-

lescentibus a morum corruptela cohibendis, magnis extructis aedibus ad eorumdem institutionem sub sollertium Sacerdotum disciplina providisse, atque ampliora exinde in Religionem et bonos mores commoda expectari posse, censuimus praedictam Universitatem canonice et celebriorum Universitatum pariformiter et aeque principaliter erigere instituere et confirmare.

Ad mentem vero eorumdem venerabilium fratrum nostrorum volumus et decernimus, ut haec institutio ea ***lege*** fiat, ut eiusdem Universitatis Protector sit Praefectus pro-tempore praedictae S. Congregationis de Propaganda Fide, qua munere hodie auctus est dilectus filius noster Alexander Tituli S. Mariae Transtyberim S. R. E. Presbyter Cardinalis Franchi nuncupatus, et Cancellarii Apostolici munere fungatur Archiepiscopus Quebecensis, atque eidem Universitati ius sit Doctoratus lauream aliosque inferiores gradus academicos in singulis facultatibus ad consueta Universitatum Statuta conferendi, ac ut doctrinae et disciplinae, idest fidei ac morum suprema vigilantia penes Archiepiscopum et Episcopos omnes Provinciae Quebecensis seu Canadae inferioris extet, in caeteris vero omnia esse moderanda iuxta sententiam Sacrae Congregationis de Propaganda Fide editam die i februarii MDCCCLXXVI et iuxta ipsius Universitatis leges, quarum congruentiam et utilitatem diuturna experientia probavit.

Cum vero Magnae Britanniae Regina Victoria iampridem Universitatem amplo adprobationis diplomate, cui in nulla re derogatum volumus, muniverit et cohonestaverit, plenamque propterea magisterii libertatem concesserit; hinc .censuimus ex eorumdem Venerabilium Fratrum Nostrorum consilio ut eadem Regina et gubernia tum Foederale tum Provinciale Quebecense, adductis de causis, debitis laudibus prosequantur.

Tandem vehementer hortamur Episcopos Quebecen-

sis Provinciae, ut eidem Universitati Lavallensi, quae tam luculenta exhibuit et exhibet sanae doctrinae et integritatis fidei testimonia, eorum Seminaria et Collegia aggregare curent; ut ita alumni magis magisque idonei ad eamdem frequentandam reddantur, omnibus vero Archiepiscopis et Episcopis Dominationis Canadensis commendamus, ut bonae spei adolescentes in ipsam Universitatem mittere studiorum causa satagant et parentibus suadeant ne filios suos propriae libertati permissos, in Quebeci urbe vagari sinant, sed potius in illis recipi hospitalibus aedibus unice ad eorum moralem institutionem facilioremque scientiarum progressum, tot tantisque sacrificiis per Seminarium Quebecense a solo extructis, quibusque manutenendis in studiosae iuventutis commodum, summa liberalitate Professores ac Moderatores ipsi, maiorum suorum exempla sequuti, concurrere non destiterunt.

Praesentes vero Litteras et in eis contenta, etiam ex eo quod in praemissis interesse habentes seu habere praetendentes, ad hoc vocati citati et auditi non fuerint, aut ex quibusvis aliis causis occasionibus vel praetextibus de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae, vel quovis alio defectu, notari, impugnari aut alias infringi vel quomodolibet retractari, suspendi, restringi, limitari, vel eis in aliquo derogari nullatenus posse, easque omnino sub quibusvis constitutionibus, revocationibus, limitationibus, dérogationibus, modificationibus, decretis, vel declarationibus generalibus vel specialibus, etiam motu scientia et potestatis plenitudine similibus, minime comprehendi; sed semper ab illis exceptas et perpetuo validas, firmas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; ac ab omnibus ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, perpetuo et inviolabiliter observari, ac dictae Universitati, ut praefertur erectae, illiusque personis per-

petuis futuris temporibus plenissime suffragari debere: sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios vel delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores ac etiam S. R. E. Cardinales, censeri, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum et inane decernimus.

Quocirca dilecto filio nostro Alexandro S. R. E. Presbytero Cardinali Franchi nuncupato nostro S. Congregationis de Propaganda Fide Praefecto, eiusque successoribus pro-tempore existentibus per Apostolica scripta mandamus, eique facultatem auctoritatem omnimodamque iurisdictionem tribuimus et elargimur; ut ipse praesentes nostras litteras et in eis contenta exequi curet, eidemque Universitati et illius personis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat nostrae et apostolicae Sedis auctoritate ipsas praesentes et in eis contenta huiusmodi ab omnibus ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari ipsamque Universitatem illiusque personas quas praesentes concernunt, omnibus et singulis harum tenore elargitis pacifice frui et gaudere, contradictores, servatis servandis, compescendo.

Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra et Cancellariae nostrae Regula *de iure quaesito non tollendo,* aliorumque Praedecessorum nostrorum Pontificum editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, dictaeque Universitatis Statutis, Indultis quoque et Litteris Apostolicis quibuscumque tenoribus et formis ; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut alia quaevis exquisita forma servanda foret ad hoc, illorum

omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, latissime et plenissime derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod earumdem praesentium transumptis, etiam impensis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et Sigillo personae in ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae erectionis, institutionis, confirmationis, subiectionis Indulti, hortationis, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo sexto idibus maii, Pontificatus Nostri anno trigesimo.

F. Card. ASQUINIUS.

C. Gori, ***Subdatarius.***

VISA

DE CURIA J. DE ¿QUILA E VICECOMITIBUS

Loco £B Plumbi

I. Cugnonius.

Reg. in Secretaria Brevium.

LITTERAE APOSTOLICAE

AD EPISCOPUM LICTENSEM

PIUS PP. IX.

VENERABILIS FRATER SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Qui iam ab ineunte martio anni 1874 iniustitiam reprobavimus editae postea mense maio legis, ausumque taxavimu§. laicae potestatis in ecclesiastica bona; deplorare nunc cogimur, praeter cetera detrimenta, quae iam tunc secutura praediximus, iniuriam per illius legis exequutionem illatam Clericis ecclesiastico proventu gaudentibus et obiectam inde difficultatem inopibus, quibus per eorumdem proventuum resectionem consuli vellet. Equidem *Dominus ordinavit iis, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere;* et aequissimum est omnino, ut *qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edant, et qui altari deserviunt, cum altari participent.* Id tamen ut rite perficiatur, opus est ecclesiastica auctoritate, et in casu, de quo agitur, Romani Pontificis, qui non solum beneficia conferre, sed etiam, uti generalis sacrorum bonorum administrator, beneficiis iisdem et religiosis domibus onera imponere potest in pauperioris Cleri sustentationem. At ubi a laica potestate omni iure destituta, legitimi ecclesiasticorum proventuum possessores immanibus gravantur tributis, si lex praeterea e redituum reliquiis subsidia decernat in pauperes eroganda Clericos, cum aliena ecclesiastica bona sic pro lubitu transferantur in alios, patet, huiusmodi suppeditationes percipere non licere. Verum cum angustiae cleri ad inopiam redacti sit omnino prospiciendum, et res, quatenus *extrinseco* laborat illegitimae potestatis vitio, licita fieri possit auctoritate nostra; merito sane, venerabilis frater, negocium

istud" ad hanc Apostolicam Sedem detulisti, eius imperaturus opem: quod sane et a Coepiscopis tuis, qui in eodem casu versentur, factum iri non ambigimus. Itaque, consideratis adiunctis rerum et temporum, *potestatem tibi facimus indulgendi Clericis, quibus subsidia decernentur, veniam ea percipiendi libere et licite.* Ne tamen quis abitretur illa sibi obvenire e saeculari auctoritate, neve, quod ad tempus conceditur, in consuetudinem transire valeat et quamdam veluti praescriptionem inducere ; tuum erit Clericis ita adiutis praecipere, ut quotannis, vel quolibet biennio, eamdem a te veniam postulent, ac praeterea iisdem, atque etiam Gubernio significare, prudentiore qua censebis ratione, haec admitti subsidia, non ex lege sed ex auctoritatis ecclesiasticae benigna concessione. Id vero fieri ad graviora tantum mala vitanda, atque ut eorum conscientiae consulatur, qui iam subsidia istaec a Gubernio indicta percipiunt. Cum autem prudenter animadvertens, fieri posse, ut qui iam ingentibus gravantur tributis, non modo fructuosorum bonorum nomine, opprimantur praeter ea irrogatione subsidii : poteris certe a Clericis, quibus illa aliquanto largius decernentur, partem aliquam acceptae pecuniae repetere, apud te deponendam, ut, ratione habita illati singulis detrimenti, valeat a te, iuxta aequitatis leges, contribuentibus reddi. Ceterum, cum in invalescente quotidie rerum difficultate copiosiore semper egeamus divino lumine supernaque virtute, haec tibi affatim adprecamur ; caelestisque favoris auspicem esse cupimus Apostolicam Benedictionem, quam tibi, venerabilis frater, universaeque Dioecesi tuae praecipuae nostrae benevolentiae pignus peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die xxix maii MDCCCLXXVI, Pontificatus nostri anno xxx.

PIUS PP. IX.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

CADUCITATIS A PENSIONE.

Die á martii 1876.

Compendium facti. Sacerdos M. anno 1859 nuncium misit suae paroeciae; curavitque ut a Sede Apostolica ei reservaretur annua pensio libellarum 150 super Beneficio parochiali; quod per Bullas Apostolicas ei indultum fuit. Verum paucum post tempus Presbyter ille vestes Sacerdotales exuit, libellos Romano Pontifici et Ecclesiae Catholicae infensos conscripsit, typisque promulgavit; et impiis Ephemeridibus in Helvetia manum suam valide adiunxit. Tandem, quod nefas est, non solum prolapsus est in illorum haeresim, qui *Veteres Catholici* appellantur, verum a potestate laica sibi delatum paroeciae Helveticae regimen suscepit; a qua legitimus rector iam, modis nefandis, exturbatus fuerat. Haec quum innotuissent Parocho B. qui onere pensionis gravabatur ex quo Sacerdoti in haeresim prolapso successerat, proprium adivit Ordinarium parochus ille petens ut Sacerdotem haereticum et Romano Pontifici infensum excidisse decerneret a percipiendi pensionem iure. Renuit Ordinarius perhibens se hac potestate carere, tum quia per Bullas Apostolicas eiusmodi obtinuerat ille pensionem, tum quia iam inde a quatuordecim annis Augustae Taurinorum moraretur.

Cognita Episcopi sententia Parochus B. ad S. C. Congregationem confugit; quae eiusdem oratoris preces excipiens Ordinarium rogavit de sua sententia quoad legitimam petitionis causam. Praeter ea quae supra scripta

scederet, fratri suo cessit ius percipiendi annualem pensionem, pro numeratae pecuniae summa, quam tum recepit. Proindeque presbyterum eumdem haberi posse ceu apostatam, intrusum, et graviter simoniae suspectum.

Tunc S. Congregatio C. litteram presbytero M. dedit, quae loco trium monitionum valeret eo consilio, ut nisi infra terminum unius mensis in aliqua pia domo se recepisset exercitiorum spiritualium causa, clericales vestes resumpsisset, haeresis abiurationem, ac retractationem errorum emisisset, paroeciam improbe susceptam deseruisset, in eum tamquam contumacem, atque in scelere persistentem ad ulteriora procederetur. At iste contumax perstitit nihil respondens; hinc die 21 augusti 1875 decretum editum fuit per *Summaria precum.*

Disceptatio Synoptica.

EA QUAE FACIUNT PRO SUSTINENDA PENSIONE. In iure privatio pensionis ceu res odiosa habetur; proindeque nulla negligi potest interpretatio ut excludatur. Hinc haud videtur privari posse presbyterum M. iure percipiendi pensionem annualem; eo quod eiusmodi pensio habenda est ceu praemium laborum, quos ipse tulit dum parochiale munus obiret. Idque eo magis quia ipse Tonduti *de pens. Eccles, cap. 26* ait: pensiones appellatione beneficiorum non contineri in poenalibus et odiosis, quia pensio est quid separatum ab ipso beneficio, nec sonat in titulum beneficii. Proinde etsi alicui poenae vel etiam privationi beneficiorum presbyter M. subiiciendus esset, tamen numquam pensione qua gaudet, spoliandus videretur.

EA QUAE FACIUNT PRO TOLLENDA PENSIONE. Card. De Luca in Summa de pensionibus *cap. 8, n. 64* ita loquitur : *Per ea vero crimina pensio ecclesiastica amittitur, per quae resultat vacatio beneficiorum, quorum iure in proposito illa regulatur, ideoque si crimen aptum non est ad beneficiorum amissionem, multo minus ad Ulam pensionum;*

in beneficiis autem ea solum crimina hunc effectum ipso iure causant, in quibus ita expresse in iure statutum est; puta ob simoniam, sacrilegium, stuprum monialis, falsi--ficationem Litterarum Apostolicarum, haeresim, assassi-nium et simuia, de quibus in beneficiorum sede, secus autem pro aliis, in quibus id statutum non sit ».

Ast presbyterum M. haereticum fuisse validis proba-tionibus evinctum est; proindeque iuxta doctrinam rela-tam Cardinalis De Luca privandus est annua pensione super beneficio parochiali. Insuper Summus Pontifex Pius IX iiL-epistola encyclica diei 21 nov. 1873 ut haereti-cam damnavit sectam illorum qui *Veteres Catholici* vo-cantur; in quam sectam prolapsus est presbyter M. Au-diantur ad id Summi Pontificis verba: **<c** Accedit etiam
« patrocinium a Borussico aliisque Guberniis Germanici
« imperii aperte susceptum, pro *novis illis haereticis* qui
« se veteres catholicos dicunt per huiusmodi nominis abu-
« sionem, quae ridicula plane foret, nisi tot errores men-
ci struosi istius sectae adversus praecipua catholicae fidei
((principia, tot sacrilegia in re divina conficienda, et in
« Sacramentorum administratione, tot gravissima séan-
ce dala, tanta demum animarum Christi sanguine redem-
« ptarum pernicies vim lacrymarum exprimerent... Po-
ce tiori certe iure adversus istos, quam olim per Augusti-
(c num contra Donatianos, exsurgit Ecclesia in omnes dif-
« fusa gentes, quam Christus Filius Dei vivi aedificavit
cc super petram, adversus quam portae inferi non praeva-
cc lebunt, et quacum ipse, cui data est omnis potestas in
cc coelo et in terra, se esse dixit omnibus diebus usque ad
<c consummationem saeculi.... pereant haeretici, pereant
cc quod sunt, et inveniantur ut sint quod non sunt ».

Pariter dubitari nequit presbyterum M. esse paro-chum intrusum; quod liquidis argumentis constat, dum administrandam susceperit paroeciam in Helvetia a laica potestate sibi delatam. Ast ex eadem Encyclica., qui ita

agunt ipso facto incurrunt in excommunicationem maiorem peculiariter reservatam S. Sedi. Ibi sane legitur: <(Nos itaque ex officii nostri debito auctoritate nostra Apo-
ce stolica eas (leges) solemniter reprobamus et condemna-
« mus, declarantes simul illicitum esse ac plane sacrilegum
« iuramentum ab ipsis indictum, eosque propterea omnes
« qui in Gebennensi tractu aut alibi, iuxta earumdem le-
ce gum decreta, aut non absimili modo suffragante populo,
ee et confirmante civili potestate electi, audeant obire mu-
cc nia ecclesiastici ministerii ipso facto incurrere in ex-
« communicationem maiorem peculiariter reservatam
ee huic S. Sedi, aliasque poenas canonicas, adeoque eos
ee omnes f ugiendos esse a fidelibus iuxta divinum monitum
ee tamquam alienos et fures, qui non veniunt, nisi ut fu-
ee rentur, mactent et perdant ». Eiusmodi maiori excommunicatione innodari presb}^terum M. dubitari nequit; ast qui in hanc incidit, nedum beneficii fructibus sed et pensionis proventibus privari potest ex Tonduti *de 'pensionibus eccles, cap. 7, n. 13. Est generalis regula excommunicatum excommunicatione maiori privari fructibus beneficiorum, etiamsi excommunicatio sit occulta, quamvis hoc in sententia expressum non fuerit,* Iul. Clar. *in praxi **55** final., quaest. 37, n. 7;* Covarruv. *lib. 3 resol., cap. 13, n. 8.* Paris, *de résignât, lib. 4, quaest. 3, n. 62 et lib. **5,** quaest. 6, n. 76;* Genuens. *in pract. Eccl. quaest. 266. Unde etiam pensionum proventibus privandus est^* Garcías *de benef. part. i, cap. **5,** n. 131 et part. 7, cap. 13, n. 114;* Séraphin, *decis. 1144, n. 2. Est enim verior opinio non esse necessario inserendam in sententia excommunicationis poenam privationis fructuum, pensionum, aliorumque proventuum, quam tuetur* Ricciul. *de iure per son. dicto lib. 4, cap. 14, n. 21;* Scacc. *de appell, quaest. 17 limit. 2, num. **9.***

Ultra quod relatum fuit de presbytero M. adiiciendum est eumdem considerari posse ceu apostatam a Sacro Or-

dine ob temerarium transitum a statu clericali Sacri Ordinis ad laicalem conversationem, et ob graves suspiciones quod ille civile matrimonium contraxerit. Et ob hanc quoque rationem privari debere pensione ecclesiastica docet Tonduti *cap.* ***75*** *omittuntur pensiones et beneficia per contractum matrimonii, quamvis matrimonium esset nullum;* Ligi *de pensionibus, quaest.* ***71,*** *n.* ***9*** cuius sententiae fuit Senatus Tolosanus apud Maynard, *dicto libro 4 qu. sing., cap.* ***55,*** *n.* ***9*** *ea ratione, quod voluntas recedendi ab Ecclesiasticae castitatis observantia, probatur etiam ex actu nullo sic.*

Ex dictis ergo visum est presbyterum M. privari potuisse iure percipiendi annualem pensionem super beneficio parochiali.

Animadversum pariter ex officio fuit cum Maschat, *de sententia excomm. lib.* ***5,*** *tit.* ***39*** *- Clericus in excommunicationem incidens ipso iure ei facto non privatur fructibus beneficii antea canonice obtenu:* ita Sánchez *Lay m. Salmant. et alii; nam id nullo clare iure statuitur siquidem cap.* ***55*** *de appell, in verbo subtrahantur, sufficienter indicatur, quod privatio fructuum facienda sit ministerio iudicis, sicut denunciatio excommunicationis; neque. Papa respondet, quod privatio fructuum incurratur eodem modo, quo privatio communionis fidelium, sed quod ista sit causa sufficiens illius, quia meretur clericus fructibus privari, qui communione fidelium privatus est, et ita consuetudo textum istum interpretatur.*

His praenotatis EE. CC. prudentiae remissum fuit quid in themate esset decernendum.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii die 4 martii 1876, causa cognita, ita respondit:

Sacerdotem M. a iure percipiendi pensionem excidisse.

EX QUIBUS COLLIGES :

I. Pensiones ecclesiasticas amitti per eadem crimina, quibus beneficia amittuntur, eo quod iure eodem moderentur, tum illae, tum ista.

II. Quaelibet crimina haud secumferre beneficiorum privationem; sed illa tantum quae in iure expresse notantur ut puta simonia, haeresis, falsificatio Litterarum Apostolicarum, aliaque in iure relata.

III. Ex DD. sententia erui illum qui excommunicatione maiori plectitur, non solum beneficii fructibus, sed quoque pensionum proventibus privari (posse).

IV. Haud tamen ipso iure et facto fructibus, et proventibus eiusmodi privari qui in criminibus a iure notatis inciderit; ast privationem eamdem ministerio iudicis declarandam esse \

V. A Summis enim Pontificibus haud declaratum fuisse fructuum privationem incurrí eodem modo quo incurritur communionis fidelium privatio; sed tantum proclamatum fuisse excommunicationem maiorem causam praebere sufficientem, qua iidem reditus omittantur.

VI. In themate haud dubitari posse presbyterum M. fuisse intrusum quia paroeciam a laica potestate recepit; infectum fuisse haeresi illorum qui sese appellant *Veteres-Catholicos,* et apostatam fuisse ab Ordine sacro; proindeque a iure pensionis excidisse pro singulis hisce causis.

[1] MA-SGHAT, lib. V, tit. 39, n. 30, innuit quid Clerico excommunicatione maiori irretito agendum sit, quoad reditus beneficii perceptos excommunicationis tempore. *At post sententiam tenetur Clericus fructus tempore excommunicationis perceptos restituere, donec absolvatur; si tamen pauper sit, eos sibi applicare potest, cum fructus isti distribuendi sint pauperibus vel Ecclesiae.*

DISTRIBUTIONUM.

Die 1 aprilis 1876.

Compendium facti. Episcopus A. S. Congregationi exposuit: in sua Cathedrali Ecclesia consuetudines invaluisse quae sequuntur.

L ((Tum Canonicos tum Mansionarios Divini Officii « tempore missas celebrare ».

II. a Existente in Sacrario parva capella, ibi **qui** « adversa valetudine laborant celebrare, dum chorale ser**ie** vitium expletur ».

III. « Ab immemorabili Canonicos et Mansionarios, « expletis mane *Capitulo ad laudes*, et a prandio *Capitulo « ad vesperas*, fidelium confessiones audire toto superex« tante tempore divini officii, immo ex eis quosdam, etiam « tempore Matutini et Vesperum, de Ordinarii licentia « confessionibus adstare ».

Verumtamen quoad primam et secundam esse praemonendum, Mansionariorum et Canonicorum numerum ad sexaginta circiter evehi: Missas vero quotannis ex voluntate testatorum celebrandas esse 10500, et maxima ex parte ipsi Cathedrali Ecclesiae, vel altaribus assignatas: easque dividi inter Canonicos et Mansionarios quorum ad minimum viginti in Ecclesia constanter celebrant. Ingenti huic missarum numero et adventitias accedere.

Praemonendum quoque esse, ab hora octava ad decimam cum dimidio quotidie chorum protrahi: et usque ad meridiem cum Episcopus pontificalem missam celebrat.

Rebus in facto ita se habentibus, ante chorum celebrationem expleri nequire, quia pro celebrantium numero

indumenta deficerent : post chorum, incommodum grave vitari non posse, quia prope meridiem quisque ad alia vocatur.

Confessiones quod attinet, sciendum : habitualem animarum curam penes Capitulum et Mansionarios esse; et quotannis e Capitulo parochum, ex Mansionariis duos capellanos eligi pro actuali animarum cura. Sciendum esse etiam populum solere pro confessionibus ad Cathedralem se ferre cum noverit ibi se confessarios inventuram.

Itaque instabat Episcopus A. ut

1.° Canonicis ac Mansionariis liceret Divini Officii tempore missas celebrare.

2.° Nec non confessiones audire.

3.° Quoad praeteritum, fructus percepti illis condonarentur, qui intra chorum missas celebrare ac confessarii munus exercere consueverunt.

Ad haec cum S. Congregatio rescripsisset: *Eidem Episcopo, qui curet una cum Capitulo conficere normam seu ordinem quo Capitulares celebrare missas ac audire confessiones tempore Divinorum Officiorum valeant;* ipse normam proposuit quae sequitur :

1.° A chori initio ac deinceps, Canonici et Mansionarii pro stalli ordine missas celebrabunt: ita tamen ut plus quam tertia praesentium pars nunquam abeat.

2.° A Capitulo *ad laudes* et a Capitulo *ad vesperas* poterunt et confessiones audire, dummodo tot Capitulares maneant quot necessitati non modo sed et decori ecclesiae necessarii sunt.

3.° Cantoribus nec celebrare nec confessionibus adesse licebit, quousque opus sit eorum in choro.

4.° Temporibus quadragesimae, iubilaei, aliisque ab Ordinario designandis, quidam ex Canonicis et Mansionariis electi, a chori initio confessionibus excipiendis operam dabunt.

5.° E morbo convalescentibus vel adversa valetudine

laborantibus, licebit in interno Sacrarii Oratorio celebrare ac distributiones quotidianas percipere, exceptis Dominico vel festo quoque die.

Disceptatio synoptica.

QUAE CONTRA NORMAM AB ORDINARIO PROPOSITAM ALLATA SUNT. Axioma exponebatur in iure canonico notissimum, distributiones percipi non posse nisi ab iis qui sunt actu praesentes in choro: quod prostat in decreto Bonifacii VIII *Consuetudinem* relato in *cap. unie, de Cleric. non resid. in 6,* cui Tridentini Concilii confirmatio accessit in *cap. 12, sess.* ***24*** *de reform.*

Haec in genere. Eos autem qui tempore servitii choralis missam celebrant, respicere decretum quod S. Concilii Congr. edidit anno 1573 iussu Pontificis, et extat in *lib.* ***1*** *Decret., pag.* ***51,*** *alleg.* ***77,*** ***17*** his verbis conceptum: « Quia quandoque in Cathedralibus et Collegiatis Eccle- « sus sunt aliqui Canonici, vel alii Officiales qui in iisdem « habent capellanías vel in titulum, vel tamquam merce- **te** narii, quaeritur an eo tempore quo in dictis capellaniis « celebrant, distributiones recipere debeant licet absint a « choro : et quid de illis Canonicis, qui celebrant in eadem « Ecclesia suae devotionis gratia, an, quando hac de causa « a choro absunt, distributiones accipere possint, et dato « quod non, quid, si a superiore ecclesiae eis iniungatur ((ut eo tempore celebrent? Sanctissimus Dominus noster, « etiam ex sententia Congregationis Concilii, declaravit « non posse, nisi quandoque sic iussissent eorum superio- « res, quos tamen admoneri voluit, ut ab huiusmodi abusu <(abstineant ».

Ab hac sententia nunquam recessisse S. Congregationem : siquidem in *Interamnen.* ***23*** *februarii, et in Comen.* ***23*** *novembris* ***1771*** propositum dubium: *An sustineatur consuetudo celebrandi missas a Canonicis tempore hora-*

rum canonicalium - diremit respondens - *Negative nisi de legitimi superioris licentia.*

Idem dicendum de iis Capitularibus qui a choro abscedunt ut in ipsa Capitulari Ecclesia sacramentales confessiones excipiant; privilegium enim tempore divini officii distributiones non amittendi ut confessarii munus exerceatur, pertinere tantum ad Canonicum Poenitentiarium, quia *Concil. Trid. sess.* ***24,*** *cap.* ***S*** expresse sancivit ut solus Poenitentiarius *dum confessiones in ecclesia audiet, interim praesens in choro censeatur.* Hinc caeteros canonicos qui tempore choralis servitii confessiones excipiunt, distributiones amittere : ceu statutum est in causa *Romana, Servitii Chori,* ***23*** *decembris* ***1690.***

Nec sustineri posse consuetudinem in contrarium, ad monitum Fagnani, *lib.* ***S*** *Decret, cap. licet de Praeb. n.* ***118*** et Benedicti XIV, *Instit.* ***107,*** *n.* ***76*** referentis sententiam Passerini, *ad cap. Consuetudinem, de Cler. non resid. in* ***6,*** *reg.* ***10,*** *n.* ***163*** ubi quaeritur an contraria consuetudo hac in re probari debeat ? et respondit : « praecisa deputatione « vel legitimi Superioris licentia, consuetudo introduci u non potest ut Canonici interessentes Choro causa cele- « brandi Missas privatas lucrentur distributiones : nam « causa excitandi Canonicos ad frequentem celebrationem « cum praeiudicio obligationis ad Chorum, nec est ratio- ((nabilis, nec nova causa et specialis, sed generalis et « praevisa a iure et reprobata : ex eo quod tantum tres ((aliae fuerint approbatae : et idem dicendum de absen- **te** tibus causa confessionum audiendarum ».

QUAE AD NORMAM SUSTINENDAM PROPONEBANTUR. Animadversum est in primis, decretum Bonifacii VIII ex adverso relatum, causas tres admittere quae absentiam a Choro excusant: 1.°*infirmitatem iustam et rationabilem,* 2.° *corporalem necessitatem,* 3.° *evidentem Ecclesiae utilitatem,* et videri postremam hanc extendi etiam posse *ad populi commodum* cum haec clausula plerumque

adiecta fuerit a S. C. C. uti in causa *S. Miniatis diei* ***8*** *februarii* ***1817*** et *in Tranen, diei* ***20*** *decembris* ***1862.***

In Cathedrali Ecclesia A. ingentem legatorum numerum haberi quibus satisfacere necesse est. Capitularium saltem viginti quotidie in Cathedrali celebrare : qui omnes si vellent ante Chori initium celebrationem explere, nec paramenta sufficerent nec ministri. Aliquos cogere ad celebrandum post Chorum onerosum maxime esse, nec fideles inveniri qui ad Missas audiendas ea hora conveniant. Hinc necessitatem celebrandi tempore choralis servitii. Iamvero extantibus legitimi Superioris licentia et populi commodo, S. Congregationem benignae concessioni contrariam non fuisse in ipsa *Comen.* ***23*** *novembris* ***1771,*** ex adverso citata, nec non in causis *S. Miniatis* ***8*** *februarii* ***1817*** et *Tranen.* ***20*** *decembris* ***1862.***

Quoad confessiones Divini Officii tempore audiendas, unum maxime prae oculis esse habendum : nempe curam habitualem animarum penes Capitulum manere, eamque exerceri ab uno Canonico et duobus Mansionariis quotannis eligendis. Hanc ob rationem dici posse, Canonicos omnes parochialibus iuribus frui. Itaque si Choro non intersint ut confessiones excipiant, vel alia ad curam animarum spectantia exerceant, distributiones suas facere posse, ut eadem S. Congregatio tenuit in *Mediolanen.* ***13*** *februarii* ***1639*** et *in Teorten.* ***19*** *septembris* ***1643.***

Haberi etiam in casu in Cathedrali Ecclesia populi frequentiam ad confitendum : ideoque necessitatem ut aliqui ex capitularibus tempore choralis servitii confessiones audiant.

His ex officio praemonitis, proposita sunt

Dubia.

I. An et quomodo ad effectum lucrandi distributiones sustineatur consuetudo celebrandi Missas tam in Ecclesia quam in Sacello tempore Divinorum Officiorum in casu?

II. *An et quomodo ad effectum lucrandi distributiones sustineatur consuetudo excipiendi sacramentales confessiones tempore Divinorum Officiorum in casu?*

Et'quatenus *negative.*

III. *An consulendum SSmo pro absolutione et condonatione perceptarum distributionum in casu?*

S. Congregatio causa cognita respondere censuit:

Ad I et II. *Consuetudinem non sustineri: attentis tamen peculiaribus circumstantiis, normam ab Episcopo de consensu Capituli propositam admitti posse: addito de licentia Praefecti Chori, et Episcopus curet ne ante et post Chorum desint Missae.*

Ad III. *Affirmative: celebrata una Missa cum cantu, universo adstante Capitulo.*

EXINDE ERUES :

I. Obligationem adstandi Divinis Officiis talem esse pro Capitularibus ut nonnisi de legitimi Superioris licentia et gravibus existentibus causis ab ea deflectere liceat.

II. Nec consuetudinem opitulari in contrarium existentem quia ratio celebrandi Missas privatas vel confessiones audiendi tempore Divini Officii non est nova et specialis sed generalis et a iure praevisa et reprobata : ideoque nec rationabilis censeri potest ut absentiam a Choro excuset.

III. Tres tantum admitti in iure legitimas absentiae causas : eas scilicet quae in Decreto Bonifacii VIII enumerantur.

IV. Propterea Missam cum cantu celebrandam S. Congregationem Capitulo indixisse, pro male perceptis in praterito.

V. In casu iustam et rationabilem necessitatem, nec non evidentem Ecclesiae et populi utilitatem normam ab

Episcopo praestitutam et probandam fecisse quoad futurum. Necessitatem haberi si impossibile sit vel nimis incommodum ut omnes ante vel post chorum celebrent; utilitatem vero ne in eximia Cathedrali Ecclesia populo Missae aut Confessarii deesse dicantur.

DECIMARUM.

Diebus 20 decembris 1873, 12 septembris et 12 decembris 187'4, et 2-septembris 1876.

Compendium facti. Cum primum causa istaec acta inter Plebanum S. et Familiam N. relata est in vol. VII, pag. 387 finis videbatur impositus controversiae coram S. Congregatione, quae die 14 decembris 1872, ad dubium *An et quomodo Plebano S. ius competat decimandi in casu,* respondere censuit *affirmative iuxta vicesimam partem reddituum.*

Verum, cum Familia N. novae audientiae beneficium implorasset ac obtinuisset, causa, gravitate haud destituta, iterum proponi meruit in Congregatione diei 20 decembris 1873 per assuetam dubii formulam *An sit standum vel recedendum a decisis:* et acriter dimicante Familia N. rescriptum prodiit *Dilata, et praefigatur parocho tempus duorum mensium ad deducendum ulteriora iura sua, idque notificetur Episcopo.*

Facti speciem non recolimus quae loco citato prostat, ad quem lectores remittimus. Duo quaestionis capita praecipua : primum de iure decimandi in fundis familiae N., alterum de quantitate decimae rependendae. De his diversa omnino tractatio hinc inde habita est, pro opportunitate quaestionum quae tum in iure tum in facto exortae sunt.

Disceptatio synoptica.

ARGUMENTA FAMILIAE N. Duplicem rei tractationem instituebat qui pro hac Familia decimarum solutionem inficiabatur. Agebat primo loco de iure decimandi; ac praemonebat, alias sacramentales decimas esse, alias vero praediales : illas deberi parocho Sacramenta ministranti, has ei persolvi cuius in ditione praedia sunt posita *cap. 5 de Paroch.* Barbosa *in collect, lib. 3, tit. 29, cap. 5; Rota in decis. 124, par. 5, t. 1, n. 4* et *in decis. 344, n. 11, par. il, Recent.* Ex neutro capite decimas competere Plebano S. Non sacramentales, quia Familia N. ab alio parocho Sacramenta percipit; non praediales, quia ius resistit parochis qui in aliena ditione decimas condicunt, Van Espen *Ius Eccles, univ. par. 2, sect. 2, tit. 2, cap. 3, n. 9,* nisi immemorabilem praescriptionem ostendant. *Quia eas occupasse iniuste verisimiliter praesumuntur, cum proveniant ex praediis intra alienam parochiam constitutis.* Bonifacius VIII *in cap. 2 de restitui, spoliat.*

His in iure praestitutis, totus in eo erat ut probaret, antiquam praedii subiectionem etiam admissam, parocho adversario nil proficere, qui a saeculis eam desiisse fatebatur. Sed eam quoque exsulare : illa enim historica monumenta unde probationes hausit Plebanus, in ipsum converti.

Anniculum cognitorem in rem a Plebano assumptum antiquis inventariis in eius commodum usum fuisse : ac ita relationem condidisse erroribus refertam, et cum omnibus pugnare eius regionis cognitoribus peritissimis.

Secundo loco loquebatur de praedii exemptione sumptuum causa, novalium, atque damnorum. Ac primo innuebat nec contrarium cognitorem negare sumptus in praedio factos ac immane damnum de quo vitando certat Familia N. In praedio cuius valor libellas tres mille haud

superabat, quatuordecim mille libellarum vim impensam fuisse. Novos etiam quotannis sumptus ad culturam requiri : et rem eo devenisse ut praedii ipsius fractus vix impensae pecuniae usuram attingant. Quapropter cum pecunia in agellum insumpta quinquies maior fuerit aestimatione ipsa agri, cumque computatis redditibus impensis et pecuniae illius usura decimam non ex fructu agri sed ex damno Familia rependeret, abnorme esse Plebani preces excipere.

Addebat eius generis fuisse opera in praediolo hoc peracta, cuius vestigium nec unquam antea neque ullibi supererat. Impervium namque ac saxeum montem, aggeribus extructis, ac tophis in pulverem reductis, culturae obnoxium factum fuisse : ideoque novum omnino praedium in antiquo agro constitisse. ïïaec autem omnia novalia exhibere a decimis exempta. Et etiamsi nova opera a decimis non eximerentur, decimas tamen solvi non debere, nisi quousque refectis expensis absque damno solverentur.

Id rationem id aequitatem postulare. Pontifices enim ac Auctores, cum expensas a decimis non subducendas edicunt, illud sumptuum genus intueri quod subiecti natura requirit : scilicet sumptus omnes pro praedii tutela ac pro colligendis fructibus, ReifTenst. *lib.* ***3,*** *tit.* ***30,*** *n.* ***28,*** *absque ulla deductione seminis vel expensarum quae in colendo agro,* v. gr. *colligendis fructibus, pro custodia animalium etc. factae sunt;* Ferraris *voc. Decimae art.* ***3,*** *n.* ***10;*** Sabell. *in Summa voc. Decimae n.* ***6;*** Tiraquel. *de retract. lign. §* ***15,*** *gloss, i, n.* ***10;*** Antonell. *De iurib. cler. lib.* ***1,*** *par.* ***5;*** Garzia *De expens. et melior, cap.* ***1,*** *n.* ***17.*** Ceterum expensarum genus definivisse Innoc. III *in cap.* ***28*** *de decimis* in quo legitur : *Licet circa res adquisitas vel factas de pecunia decimata, cum ipsae venduntur, credamus deducendas expensas, et de residuo, quasi de hiero, decimas persolvendas, ut si vendatur domus,*

ager, vinea, clibanus, molenolinum, grex, aut quaelibet merces, expensas tamen quae fiunt pro fructibus percipiendis, ex illis de quibus fructus proveniunt non credimus deducendas, etiamsi fuerint decimatae, quoniam salva decima, fructus efficiuntur eorum qui faciunt ipsas expensas; - eumdemque Pontificem in *cap. Tua nobis* 26 rationem legis dedisse.

Ex his erui tuto posse : eam esse Decretalium mentem, ut sicut colonus absque deductione expensarum pensionem domino praestare debet, sic et dominus decimas Ecclesiae, immunes ab expensis. Atqui tralatitium in iure esse, conductorem, si operibus fundi aestimationem auxerit, a pensione solvenda eximi quousque fundum compensaverit *leg. Colonus 61 ff. locati leg. Dominus 55, § 1 ff. eod.* Aequitati autem repugnare ne inter duos eiusdem rei participes, alter commodum percipiat alter damnum. Pontifices ita voluisse agrorum possessores obligari ut conductores obligantur : et magnos sumptus deduci qui perpetuam praediis utilitatem afferunt.

Verumtamen perpetuam exemptionem derivare ex morali agri natura Fagnan. *in cap. 1 cum contingat n. l* - *qui praescribit decimas in aliena parochia, si hic insurgunt nov alia, ipsorum decimas non habebit.* Nec novalia excludere quae Plebanus opponit ex *cap. quid per novale 21 de verb. sign,* nihil aliud accipi hoc nomine quam - *agrum de novo ad culturam redactum de quo non extat memoria quod aliquando cultus fuisset;* - idque Familiae N. aptari non posse, quae ex praedio fructum aliquem, utcumque minimum, semper percipere potuit. Novalia enim antiquitus fuisse praedia nunquam exculta quae ad culturam redigebantur. In eo autem esse rationem legis 1.° quod iniquitate temporum obsoleverat agrorum cultura ; 2.° quod si magnis impensis decimae onus accessisset, cultura plus detrimenti quam utilitatis attulisset. Hodie, aliquot saeculorum lapsu praedia omnia exculta

esse, ita ut nuspiam fere gentium verus novalis fieri possit : immo etsi quis ager nondum excultus remaneret, hic novalium exemptione per usurpationem potius quam legis voluntate frueretur. Longe facilius hodie esse intactum solum perrumpere, quam ex enervi et exhausto fructum exprimere.

Inversam igitur rationem esse ex mutatione temporum : et culturae incrementum eiusque privilegia alio tendere. Immanem vectigalium molem praediorum fructus, si qui sunt, consumere : unam salutem esse, maximos aggredi sumptus, novum quodammodo praedium excitare, et nova exquisitioris culturae genera moliri. Rei agrariae conditionem diversam esse ab antiqua : novalia a decimis exempta fuisse quia sola haec erat ratio melioris culturae. Ea ratione expleta opus esse aliam adhibere quae longe gravior et sumptuosior est novis culturae operibus quae in agris coniiciuntur.

Ceterum legis causam flagrare ex perspicua mente Gregorii IX *in cap. 33 De privilegiis - Cum alias nonnumquam contingeret indulgentiam de novalibus plus eis dispendii quam utilitatis afferre* - eamque subiectae materiae plenissime convenire.

Tandem si non mens legis sed littera attendatur, hanc casui aptari; cum non exigua praedii pars quae saxis ac tophis undique constabat, ac antea inculta erat, omnino nunc primo coli coeperit. Decimam quae antea parocho solvebatur vigintiquatuor annuas libellas non excessisse, ex eaque minimum praedii reditum agnosci. Libell. 14000 in cultura insumptas, fructus ex agello diversos ac uberiores quam antea dedisse : sed Familiam K computatis praedii valore, culturae manutentionis vectigalium sumptibus, nihil adhuc lucrifacere. Si haec prae oculis habeantur, et e contra innotescat in finitimo praedio tabularum septuaginta, plebanum, duobus abhinc saeculis ex conventione scutata duo percipere ; ac agello qui com-

plectitur dumtaxat tabulas triginta septem, et in quo iuxta veterem culturam libellas viginti quatuor condicere potuisset, quinquaginta oblatas libellas recusare: iam planum esse ipsum cum aliena iactura locupletari velle.

ARGUMENTA PLEBANI. Ad rationes iam in primo certamine allatas redibat ipse ut ostenderet : ex vetustissima Episcopi concessione ius decimandi quod sibi vindicat originem ducere: et iam ineunte saeculo undecimo inter Plebanias A. hanc etiam S. fuisse recensitam. Ex his descendere, quod spirituales decimae eae sunt quas ipse condici! Non enim quid hodie fiat, sed quid ab initio factum fuerit esse inspiciendum. Haec aliaque eiusdem generis historicis monumentis confirmare satagebat.

Verumtamen, omnibus etiam deficientibus, se tutum esse immemorabili observantia, et testimonium observantiae luculentissimum haberi ex decimano anni 1739 in quo legitur : ius decimandi in regione P. (in qua praedium Familiae N. situm est) memoriam hominum superare.

Circa culturae mutationem ostendebat : hanc non impedire sibi decimae perceptionem etiam in vino pro vigesima parte. Ex sumptibus in agro factis maximum lucrum venire familiae N. Neque eam quidem contendere rem esse in casu de novalibus proprie dictis, sed de decimis solvendis deductis culturae impensis. Ipsi sed ius resistere ex *cap. non est in potestate* **22** *Decret,* et ex *cap. tua nobis eodem titulo,* et ex *cap. Pastoralis* **28,** *eodem tit. etc.*

Nihil facere responsum a Familia N. allatum, quod nempe his in locis sermo sit de cultura agrorum ordinaria, et in themate disputatur de vere extraordinaria praediorum cultura. Doctores namque omnes tenere : quod novi fructus naturam sequuntur eorum qui prius colligebant^. Rota *in Decis. 44 ct* **48** *cor.* Curillo, *Decis. 114 et 666 cor.* Royas *in Abulen. Decimarum 15 ianuarii 1644*

cor. Peutinger et praesertim *Decis.* ***319,*** *pag.* ***17*** *Recent.* « non obstabat modum culturae in hac tenuta fuisse mu. « tatum, et ubi antea illa serebatur nunc sit reducta ad « pascua animalium; quia etiam pratis et pasculis deci- ((mae debentur, et stante dicto iure universali, cum prae- « dia sint effecta declinatoria ex mutatione seminis aut « modi cultivandi, non tollitur obligatio solvendi decimas « ex fructibus ex nova cultura perceptis vigore cuiusdam c surrogationis. Alias enim repositum esset in facultate « serentium et possessorum, mutando seminam, fraudare « Ecclesiam : et minuere vel auferre decimas ius habon- es tibus eas percipiendi, quod non est permittendum ».

Addebat, fructus augeri quo curae et impensae in fundorum cura augentur : sed longe abesse ut fructibus crescentibus praediorum dominis liceat decimas detrectare. In Dioecesi A. cannabim, frumentum, mustum decimis esse obnoxia : neque vineam Familiae N. fructum dare a musto diversum : super quod iam Plebanus decimandi ius exercebat. Id necessarium modo factum fuisse, ne decimae evanescant. Cum enim ius decimandi antiquitus cannabim, frumentum ac mustum complecteretur, et modo ex praedio de quo sermo est mustum tantum colligatur, si hoc exciperetur, iam nihil amplius haberet Plebanus quod decimaret.

His hinc inde disputatis in Congregatione diei 12 septembris 1874 propositum est

Dubium.

An sit standum vel recedendum a decisis; et S. Congregatio, causa cognita, rescripsit :

In decisis quoad ius decimandi: quoad quantitatem vero placere de concordia: et quatenus partes non conveniant, reproponatur in Congregatione futuri mensis decembris.

Partibus non convenientibus (prouti S. Congregatio divinaverat), sub die 12 decembris superiori rescripto declaratio accessit *In decisis: et quoad quantitatem, quousque perduret actualis cultura vineae, loco vigesimae partis debeatur Parocho trigesima, et amplius.*

CAUSAE PROSEQUUTIO.

Haec S. Congregationis responsa omnia amplexa fuisse videbantur, tum circa fundum decimae obnoxium tum circa rei solvendae quantitatem. Sed nova quaestionibus via aperta est in ipsa rescripti exequutione; quo vix edito Familia N. Ordinario scripsit se paratam praebens ad designandam, quoad praeteritum, collecti musti quantitatem. Quoad futurum, ad lites vitandas pollicebatur permissuram se (si hoc Plebanus vellet) ut ipse vel aliquis ab eo missus vindemiae adstarent, qui vini quantitatem numerarent. Ex alia parte Plebanus instabat pro exequutione rescripti S. Congregationis, postulans praefigi Familiae N. terminum ad deponendum penes Episcopalem Curiam rationes musti recollecti ab anno 1868 usque ad eam diem : et ad confirmandam iureiurando editarum rationum veritatem.

His acceptis, Familia N. ad S. Congregationem iterum confugit, oblato libello, quo, praemissa factorum expositione, profitebatur velle se circa fundum controversum rem iudicatam exequi, et ad hunc finem penes Curiam deponere notulam fructuum ab anno 1868 collectorum. Caeterum ad S. Congregationis iudicium deferre num deberet praetensum a Plebano iusiurandum praestare.

Re ad Ordinarium remissa pro informatione et voto, ceu moris est, et per rescriptum *reproponatur* ad plenam S. Congregationem ablegata, plura allata sunt ex utraque parte argumenta, eaque praecipua quae refert sequens

Noya disceptatio synoptica.

PLEBANI ORATIO. Instabat ipse primo loco circa ius mittendi personam quae vindemiae adstaret, inquiens fundi condominum esse parochum decimatorem : et nulli condomino non licere rei communis statum cognoscere. Hanc agendi rationem pro decimis musti necessariam fieri; et nemini iniuriam facere qui suo iure utitur.

Deinde ad graviora descendens monebat unum prae oculis esse habendum; nempe quod Familia N. se paratam praebuisset ad decimas rependendas tantum super fundo controverso, hoc est, super ea fundi parte de qua praecipue quaestio est instituta. Id iniquum esse, quia in praeteritum ab anno 1858 ad 1867 Familia N. de integrae vineae fructibus decimam persolverat. Coram S. Congregatione actam litem fuisse de universa vinea, quam Familia N. nunquam in plures partes divisit : quapropter cum controversiam de iure decimandi in praedio Familiae N. per affirmativum responsum dimiserit S. Congregatio, nullam praesto esse rationem qua decima ad minimam fundi partem cohiberetur.

ORATIO FAMILIAE N. Praemonebat haec Plebanum in libello ad Episcopum oblato multa petere parum inter se cohaerentia. Velle enim ipsum procuratorem suum toto vindemiae tempore apponi ut de certa musti quantitate constet : velle, eumdem in finem, iusiurandum corniti deferri : velle demum trigesimam persolvi non modo in vinea de qua disputatum est, sed et in finitimo praedio, de quo, particulari conventione aliter placuit nec disputatum est. Quoad priora duo se neutrum denegasse unquam: petere tantum ne utrumque simul concedatur, iusiurandum scilicet et custodis appositionem, cum alterutrum ad eius securitatem sufficiat, et ad veritatem eruendam.

Sed haec minora esse. Acriter se contendere *primo* ut

constituatur quantitas vineae quam affecit S. Congregationis sententia. Vineae mensuram quod respicit, hoc sciendum esse ; nempe in ea regione duo praedia se possidere quae hodie ratione dominii unum corpus efficiunt : ea tamen variis temporibus empta, varia ratione decimae subiecta esse. Alterum ex iis quod patet in superficiem tabularum 70, decimae semper obnoxium fuisse : sed duobus abhinc saeculis, ex conventione dominum inter ac Plebanum inita, quotannis loco decimae persolvi scutata duo, quae hodiernus Plebanus ipse etiam percepit ac percipit ad praesens. In altero ampliori praedio tabularum 87 decimam ex fructibus persolvi. Cum autem hodie praedium istud pro mensura tabularum 37 ad vineae culturam fuerit redactum, in hac parte huius praedii ortam litem fuisse a S. Congregatione definitam.

Rebus ita se habentibus, Plebanum volentem ad alterum praedium transferre quod pro altero praedio sancitum est, cupere veterem conventionem infringere et S. Ordinis sententia abuti ultra petita. Causae namque obiectum fuisse, utrum decima solvenda esset etiam in nova praedii cultura magno sumptu comparata. Hoc praestitisse et ipsam Plebani allegationem pro comitiis diei 12 septembris 1874, in qua aperte dictum est : quaedam esse in regione P. praedia Familiae N. pertenui canoni obnoxia « *quae ad causam* non pertinent ».

Secundo loco se proponere ut prudenti ratione nedum praesentibus sed futuris etiam dissidiis provideatur. Sacrum Ordinem ultimo loco respondisse : *et quoad quantitatem, quousque perduret actualis cultura vineae, loco vigesimae partis musti debeatur parocho trigesima et amplius.* Iam tot quaestiones illum excitasse, quot rescripti verba. Unam spem salutis haberi, ut hinc inde quies comparetur: hanc autem esse, ut canonis versura fiat in pecuniam, eamque Sacer Ordo rependi iubeat in certa quantitate.

Dubium.

An et quomodo petitio Familiae N. seu potius Plebani S. excipienda sit in casti.

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii die 2 sept. 1876, causa cognita responsum dedit :

*Resolutionem datam die **12** decembris **1874** non affecisse neque afficere praedium seu partem praedii pro quo certa quantitae pecuniae in scutatis **2.30** annuis titulo decimae rependitur. In reliquo vero praedio seu in reliqua parte praedii, praeter mensuram tabularum **37.87** in quibus vinea recenter consita fuit, salvum esse parocho ius decimandi fructus quoad, quantitatem et qualitatem, servata veteri consuetudine. **C** etenim Ordinarius rem componat quoad vineam tabularum **37.87** constituta annua certa quantitate pecuniae, loco praestationis in natura.*

Ex HIS COLLIGES.

I. Ea omnia quae ex prima huius causae decisione deducta sunt (vide *vol. VII, pag.* ***392),*** eadem manere.

II. Tunc *novalia* ad tramites iuris haberi, cum loca nunquam antea exculta culturae subiiciuntur.

III. Novalibus quodammodo aequiparari posse nova culturae genera quae nostris temporibus in agris antea excultis sed fessis excipiuntur magna impensa ac labore.

IV. Ob ingentes culturae sumptus, S. Congregationem, aequitate suadente, circa modum decimas rependendi quaedam remisisse in casu, tum circa decimae quantitatem, tum circa modum eam rependendi.

V. Decimam non deberi, cum in praedio annua pensio seu canon, utcumque minimus, loco decimae iam constitutus persolvitur.

EX S. G. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

Minorum Observantium S. Francisci
declarationis rescripti super itineratione in viis ferratis.

Die 21 iulii 1876.

Compendium facti. Ex Cap. III Regulae S. Francisci per Romanos Pontifices solemniter approbatae eruitur quod Fratres Minores *non debeant equitare nisi manifesta necessitate vel infirmitate cogantur.* Quapropter usque ab anno 1863[1] S. Congregationi EE. et RR. dubium proponebatur:^?* *et quomodo usus curruum in viis ferratis, valoris impetu adactorum, Fratribus Minoribus Observantibus permissus sit in casu.* Cui dubio S. eadem Congregatio respondere censuit : *affirmative et rationabili causa, de licentia Superiorum, prout in usu raedarum salvo, quoad locum, spiritu humilitatis.* Verum hac prolata sententia, quae initio veluti maxima habita est et norma his in adiunctis atque temporibus, opinionum varietas enata est super causis modoque eâ utendi. Disceptatum est enim an ad iter in viis ferratis peragendum eaedem adesse deberent causae quae requiruntur ad id ut Religiosis mendicantibus permissio concedatur equitandi vel bigandi adversus regulam praefatam. Quae sententiarum diversitas originem duxit ab apposita clausula in praedicta resolutione, *ex rationabili causa prout in usu rhedarum.* Ex quo factum est ut Procurator Generalis Capuccinorum ad conscientiae quietem et ad vitandas animorum dissensiones peteret a S. Congregatione E. et R. authenticam interpretationem, sequens dubium propo-

[1] **Vide Volumen I, pag. 32 et seqq. harum ephemerichim.**

nens: « *An verbum* prout *quod continetur in enunciato responso referatur licentiae quae a Superioribus exigitur in usu vaporiferi currus vel potius intelligi debeat de causa, quae requiritur ut fratres uti possint via ferrea, videlicet infirmitate aliaque necessitate manifesta, ut loquitur Regula cum de equitando dat praeceptum ».*

S. eadem Congregatio quaesitum istud ad Revmum P. Ministrum Generalem Minorum Observantium remisit, eo consilio ut suam sententiam et votum emitteret in subiecta materia.

Quum Pater Minister Generalis mandatis obtemperans nonnulla praemisisset, quoad dubium de quo agitur, duo ait esse distinguenda in quaestione eiusmodi. Nempe an usus curruum vaporiferorum aequiparanda sit usui bigarum expresse prohibito Religiosis Minoribus ab eorumdem Regula; quod idem est ac quaerere : an usus curruum vaporiferorum permissus sit Fratribus Minoribus. Dubio huic *affirmative* respondisse ait S. E. et R. Congregationem ; quia currus vaporiferi nullimode aequiparandi sunt equitationibus per Regulam prohibitis, proindeque Fratribus Minoribus licent. Atque hoc super puncto ita liquidam fuisse decisionem ut nulli umquam dubitationi occasionem dederit. Ad secundum quaestionis punctum transiens ait : posito quod curruum vaporiferorum usus Fratribus Minoribus liceat; quaeritur (et in hoc quaestionis nucleus ponitur) *quomodo* Religiosi eiusmodi iisdem itineris mediis uti valeant.

Etenim, ait Minister Generalis, opinionum diversitas et conscientiarum angustiae enatae sunt ex illis verbis *« de licentia superiorum, prout in usu rhedarum* ». Ex quo factum est ut Procurator Generalis Capuccinorum authenticam verborum eorumdem exposceret declarationem.

Cui dubio (quod etiam nostrum declaramus), prosequebatur Minister, arbitramur dare posse responsum,

« *ad primam partem affirmative ad secundam, negative* ». Et id dicimus freti ratione, quod iter in viis ferratis non sit *per se* prohibitum, ideoque ob id non requiri easdem conditiones, quas Regula imponit pro itinere super rhedis; quod expresse prohibitum est et quod haud Religiosis permittitur, *nisi manifesta necessitate vel infirmitate cogantur.* Diximus iter in viis ferratis *per se* licere Fratribus Minoribus ; evenire enim posset quod *per accidens* haud liceret, quando nempe recurri deberet ad pecuniam ; quod a Regula prohiberi certum est.

Quamobrem, ait M. Generalis, censemus perutile ad omnes posthac eliminandas opinionum diversitates, ut dubiorum responsum sequatur animadversio : - *A avertendum tamen in casti agi de liceitate itinerationis in viis ferratis per se, abstractione facta a recursu ad pecuniam; si enim ad pecuniam esset recurrendum, non liceret praedicta itineratio, nisi cum conditionibus, cautelis ac modis, quae fratribus minoribus, pro quolibet recursu, iuxta Decretales Nicolai III et Clementis V praescribuntur.*

Disceptatio synoptica.

Praemonitum est usque ab anno 1861 Definitorium generale totius Ordinis Minorum hanc protulisse sententiam: *Coacto in hoc die* ***20*** *novembris* ***1861*** *generali congressu sub praesidentia Revmi Patris Generalis Ordinis in primis proposita fuit quaestio an contra regulam S. P. Nostri Francisci de non equitando sit iter in hodiernis vaporiferis {vulgo* strade ferrate), *adeoque fratribus minoribus illicitum. Patres igitur definitorii generalis viso S. Regulae franciscanae praecepto de non equitando, ceterisque articulis eiusdem S. Regulae paupertatem, et spiritum humilitatis et sapientiae respicientibus maturo examine consideratis et perpensis, unanimiter in hanc devenerunt sententiam scilicet: Usum currus vaporiferi per se a Regula prohibitum non esse, nullatenus tamen*

negatur illum illicitum et a Regula interdictum -fieri, si absque iusta causa ad pecuniam recurrendum sit. Eodem modo nullatenus fratribus permittitur, ut recreationi suae nimium indulgentes in curribus vaponferis inutiles itinerationes suscipiant, imo ne huiusmodi abusus fiant superiores invigilare debent, sine quorum licentia ne deambulationes quidem pedestres et multo minus itinerationes, in viis ferreis suscipi possunt. Eiusmodi sententia roborabatur auctoritate S. Bonaventurae qui (ed. typica Vat.) *Expos, in reg. S. Francisci,* explicans praefatum regulae articulum ait : *sed pro exclusione equità Monis subdit «et non debeant equitare », et per consequens neque bigare nec quadrigare quae maioris sunt sumptus, nisi manifesta necessitate, prolixi vel impediti itineris, vel negotii urgentis, vel infirmitate cogantur; dicit autem « non debeant » pro eo quod est: debeant non equitare.*

Observatum quoque fuit quod S. Francisci regula dicat tantum *debeant non equitare;* ideo prohibitio haec extendi nequit ad alios casus, qui essentialiter differant, ut est iter peractum in curribus vapore actis. Nam S. Franciscus haud iussit fratres pedestres ire; sed tantum ait debent non equitare. Et quamvis inter Regulae eiusdem expositores conveniat quod prohibitio de non bigando vel quadrigando, sub equitandi prohibitione comprehendatur, tamen nullimode convenit ab ea prohiberi iter in viis ferreis. Et id adamussim axiomati adaequatur, quo notum est legem non obligare ultra legislatoris intentionem ; quia omnis obligatio legis dependet a legislatoris libera et seria voluntate, debito modo subditis promulgata, quos intendit ad observantiam obligare. Ideoque in lege non comprehendi dicendum est quod nec in intentione, nec in verbis legislatoris ullo modo continetur. Atqui S. Franciscus unum modum iter instituendi, idest, equitationem prohibens, nullatenus intentionem seu liberam et seriam voluntatem habere potuit in sua prohibitione comprehen-

dendi alium iter instituendi modum prorsus incognitum, dum, iuxta philosophicum principium, nihil est volitum nisi cognitum. Prohibitio ergo curruum vaporiferorum cum in intentione legislatoris non comprehendatur, etiam in ipsius lege vetante non continetur.

Pater Albertus a Bolsano *Exposit. regulae fr. minor. S. Franc. Assis,* duas, inter alias difficultates, proponit: quarum altera *meritum* respicit : altera vero *modum* limitat. Sic ille argumentatur : « Cui prohibetur minus « prohibetur et maius : sed fratribus minoribus prohi- « betur id quod minus est, scilicet equitare, bigare, « quadrigare, ergo prohibetur etiam quod maius est, ni- « mirum curru vaporifero vehi, in quo cum maxima com- « moditate, et celeritate iter perficitur. Respons. Propo- « sitio maior distinguenda est : vera enim est si dicitur ((cui minus prohibetur in una specie prohibetur et maius ((in eadem specie, falsa autem est si dicitur cui minus « prohibetur in una specie, et maius prohibetur in alia « specie, sic ex. gr. Hebraeis prohibita fuit caro *suilla,* « non autem dici potest ergo eis prohibita fuit etiam caro « vitulorum, caponum, et avium pretiosior et sapidior. ((Eodem modo prohibetur quaelibet species equitationis, <(sed ideo non prohibetur navigatio et itineratio in curri- « bus vaporiferis, quoniam utraque ad species equitationis «non pertinet, licet forte itineranti maiora commoda « praebeat ».

Aliam explanat difficultatem circa modum utendi viis ferratis idem auctor. « Si admittitur currum vaporiferum « a regula prohibitum non esse, magna inconvenientia <(sequuntur. Fratribus ansa praebetur ad illicitum recur- *u* sum ad pecuniam ; circumvagationum amantes itinera « sua spiritum penitus dissipantia multiplicant ; saecula- « res autem scandalizantur, dum vident Capuccinos quo- « que modo non pedibus incedere, sed curribus vehi ». Confitetur idem auctor gravem esse obiectionem : ast pro-

sequitur. « Inconvenientia, abusus, et inordinationes « etiam in rebus sanctissimis ex. gr. in confessione et com- <(munione contingere possunt, quin tamen hae ideo protu- **li** bitae fiant. Inconvenientia multa etiam ex itineratione « fratrum pedestri sequi solent. Quoties enim per pluviam « et nivem incedentes sanitatem laedunt, et ad negotia « sua inhabiles fiunt ? Quoties nimia in domibus saecula- « rium conversatione tempus terunt, benefactoribus mo- **li** lesti fiunt, et spiritum penitus dissipant? Haec incon- ((venientia cum illis comparari debent quae in curribus « vaporiferis obtingere possunt, ut iudicium prudens ferri « queat si asseritur, usum currus vaporiferi per se a re- **ce** gula prohibitum non esse; nullatenus tamen negatur « illum illicitum et a regula interdictum fieri, si absque « iuxta causa ad pecuniam recurrendum sit ».

Quamobrem usum curruum vaporiferorum a regula franciscana haud prohibitum esse videtur; quamvis non desint, qui eiusmodi sententiam ut falsam respuunt et ut laxam reprehendunt. Verum isti recolere deberent quod Sancti iidem dum de obligationibus imponendis ageretur potius ad benignitatem quam ad rigorem inclinàndum esse docuerunt. S. "Raymundus dicit : *Non sis pronus iudicare peccata mortalia, ubi tibi non constet per certam scripturam,* et S. Gregorius Naz. : *Quod si res dubia sit, vincat humanitas et fragilitas.* Ac tandem Benedictus XIV *not. is* ait : *Non debent imponi ligamina, si non adest lex clara quae illa imponit.* Et *I. 47 ff. de obi. et act. Ubi de obligando quaeritur propensior e s esse debere nos ad negandum.*

His ergo S. C. adhaerens principiis, etsi declaraverit usum currus vaporiferi licitum esse Fratribus Minoribus, attamen voluit ut id concederetur *ex rationabili causa, de licentia superiorum prout in usu rhedarum :* ast pro rhedarum usu, ex S. Francisci Regula *infirmitas* vel *manifesta necessitas* expetitur. Ergo relativa particula haec

similitudinis innuit rationabilitatis causam genericam, et infirmitatis statum requirit. Neque videri particulam eiusmodi *prout in usu raedarum* exclusive ad Superiorum licentiam referri posse ; nam clausulae istae in periodorum fine relatae cunctas dispositiones connexas quae praecedunt, vel ampliant vel limitant; *clausula enim in fine apposita refertur ad omnia praecedentia:* De Luca *de Tutor, disc.* ***19,*** *n. 4.* Idque confirmatur ex Barbosa *tract. Diction. TJsufrequent. Dictio* ***296,*** *Prout. n.* ***15:*** « Si-
ci militudinem importat haec dictio semper quod aliquid ((diversum ab eo, quod prius positum fuerat, ponitur per « dictionem *prout.* Et ita est repetitiva omnium qualita-
« tum, quae conveniunt circa actum cui fit assimilatio, <(tradunt *Gloss,* verbo *Prout* in *cap. Quamvis de offic.* *« Ordin. lib.* ***6.*** Bartolus in *Extravag. ad reprimendum* *« Signorol. cons.* ***22,*** *n.* ***12*** *in fine* et *n.* ***13*** ubi ait similitu-
« dinem importat, nedum in substantia, sed etiam in qua-
« litate, Geminian. *cons.* ***22*** *in princ,* ubi est quod impor-
le tat omnimodam similitudinem ». Si ergo rescripti verba sint clara locum declarationi alicui non conceditur iuxta forense adagium « *Cum in verbis nulla ambiguitas est, non debet admitti voluntatis quaestio,* Paul, *in leg.* ***25,*** *cap.* ***1,*** *de Legat. III* ». Tandem S. C. decernere poterat usum currus vaporiferi haud in regula franciscana comprehendi ; verum aliis de causis subiicere eumdem usum conditionibus ipsis, quibus licita fit equitatio.

Verum nullimode despicienda videntur rationum momenta tum a P. Procuratore Generali Capuccinorum tum a P. Ministro Generali Minorum allata, qui clausum Iam *prout in usu rhedarum* pertinere asseruerunt ad superiorum licentiam, minime vero ad causarum rationabilitatem. Nam si eaedem requirerentur strictae conditiones pro usu vaporiferi currus, quae pro equitatione praesto esse debent, praeceptum prohibens assimilantur, et quasi confunderetur cum re quae licita renuntiata fuit.

Quod si abscisse attendi oporteret infirmitas, aut manifesta necessitas, nullius fieret effectus data resolutio quoad maximam in genere; nam etiamsi honesta concurrent causa, frui haud ppssent eiusmodi religiosi viri ferratis viis, quibus mille vitare licet pericula, parumque tereré tempus. Adiectae etiam fuerunt nonnullae rectae interpretationis regulae ut resolutio quae summo studio expetebatur iuxta votum mendicantium proferretur. *Verba quae possunt dupliciter intelligi, debeant in humaniorem partem interpretari Leg. -fin. Cod. de com. ser.* Pariter ad evitanda absurda in legibus *interpretatione congrua uti debemus.* Verum utimur benigniori interpretatione si particula *prout in usu rhedarum* referatur tantum ad superiorum licentiam. Eiusmodi enim interpretatione pars quaelibet resolutionis suam exerit efficaciam; neque verbum *sine effectu operandi* remanet, si sub verbis *rationabilis de causa* eliminata intelligantur itinera quae inutiliter peragantur et solum voluptatis gratia. Quin imo benignioris interpretationis vi, praedicta resolutionis verba formulam aequarent istam *prudenti superiorum arbitrio.*

His praeiactis EE. CC. prudentiae suppositum fuit

Dubium.

An ad obtinendam a Superiore facultatem itinerandi in viis ferratis, in vim resolutionis diei ***19*** *Iunii* ***1863*** *sufficiat rationabilis causa, vel concurrere taxative debeant infirmitas aut manifesta necessitas.*

RESOLUTIO :

Sacra Congr. EE. et RR. causa cognita die 21 Iul. 1876 respondere censuit.

Affirmative ad primam, partem: Negative ad secundam.

EXINDE COLLIGES.

I. Licitum esse Franciscanis Fratribus iter facere in viis ferratis ; neque id ullo modo comprehendi sub Regulae prohibitone ceu equitatio.

IL Currus enim vaporis impetu adactos haud aequiparari posse equitationi vel rhedis, de quibus loquitur franciscana Regula, cum ad istarum speciem nullimode pertineant.

III. Super currus vaporíferos itinerandi facultatem suis fratribus tollere nequivisse S. Franciscum vel ex eo etiam erui quod eidem ignotus fuerit eiusmodi iter instituendi modus.

IV. Patere enim, nihil esse volitum nisi cognitum; neque legem obligare posse ultra legislatoris intentionem : dum omnis obligatio legis a seria legislatoris voluntate dependeat, debito modo subditis patefacta.

V. Praeterea S. Franciscum haud iussisse suos fratres pedestres ire; sed tantum edixisse quod *non debeant equitare nisi manifesta necessitate vel infirmitate cogantur.*

VI. Proindeque cum de nova obligatione agatur memoria repetendum esse Benedictum XIV docuisse : *Non debent imponi ligamina, si non adest lex clara quae illa imponit; et I. 47 ff. de obi. et act. ubi de obligando quaeritur propensiorem esse debere nos ad negandum.*

VII. Tandem colligere fas esse, quod si Franciscanis Religiosis haud prohibeatur iter facere in vaporiferis curribus, neque ad id, prout in rhedis, requiratur vel infirmitas, vel manifesta necessitas, requiri omnino causam rationabilem cum Superiorum prudenti licentia, ne scandala ex inordinato usu enascantur.

IURISDICTIONIS TERRITORIALIS.

Die 28 maii 1875 et die 2 iunii 1876.

Compendium facti. In extremo Dioecesis C. confinio a tempore perantiquo extractum reperitur Oppidum, cui nomen *Castellucio superiore.* In alio pariter extremo Dioecesis A. confinio aliud exurgit oppidum, cui nomen *Episcopia.* Inter haec duo oppida, Mons sese elevat; qui naturalis duarum Dioecesium limes habetur. Ex huius Montis septentrionali latere longe protenditur pagus *Agromonte* in quo 1700 incolae morantur; de cuius iurisdictione Episcopali nunc agitur. Uterque enim Ordinarius tum Dioecesis C. cum Dioecesis A., ut eandem **sibi** vindicet enixe contendit, facti et iuris fretus rationibus.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE *m* sui FAVOREM EPISCOPUS A. PROTULIT. Ordinarius iste praemonuit pagum *A gromonte* ceu semper ob civilia negotia subiectum fuit Praesidibus et Iudicibus qui proprium domicilium habebant in Dioecesi A.; sic omni in adiuncto, ob iurisdictionem spiritualem, parocho subiectum fuisse qui intra limites eiusdem Dioecesis constitutus est.

Attamen parochus iste, prosequebatur Episcopus, haud directe curam gessit spiritualem pagi *Agromonte* sed eandem commisit parocho ex *Episcopia* eiusdem Dioecesis; quippe qui valde propior esset pago *Agromonte.* Aliuci in sui favorem elicuit argumentum Ordinarius ille ex distantia; aiebat enim : Agromonte distat a *Castelluccio superiore* duodecim circiter millia passuum, dum ab Episcopia tantum tria millia passuum distet. Factis etiam ad hoc adductis, roboravit probationem suae iurisdictionis. Cum enim fidelis quidam e Dioecesi C. aedificare vel-

let in pago *Agromonte* capellani haud permissionem quaesivit ab Ordinario suo sed ab Ordinario Dioecesis A. Civile quoque Gubernium, quod *exequatur* concessit, ad Episcopum A. litteras misit, ut curaret quod fidelis ille expensas ad id necessarias persolvent. Extructa capella anno 1828 delegatus fuit ab eodem Ordinario Vicarius Foraneus ex *Episcopia* qui eandem visitaret atque benediceret. Recolit autem quemdam suum praedecessorem dedisse presbytero, qui administrabat capellani pagi *Agromonte,* facultatem excipiendi confessiones sacramentales. Usque ab anno 1526 Archipresbyterum et Cantorem ex *Agromonte* obedientiam praestare obligatos fuisse in Ecclesia Cathedrali A. : ex quo facto exurgere, ait, usque ab eo tempore pagum *A gromonte* in Dioecesis A. iurisdictione positum fuisse. Edixit insuper reperisse in parochialibus regestis duobus puellis neonatis ex *Agromonte* administratum fuisse sacrum baptisma in Ecclesia pagi *Episcopia.* Patronus alterius Capellarum quae sunt in *Agromonte,* testatus est annis 1854, et 1859 Ordinarium Dioecesis A. sacram peregisse visitationem earumdem capellarum. Vicarius Foraneus ex pago *Episcopia* retulit sese in *Agromonte* contulisse et sub iuramenti fide quaesivisse a senioribus 1.° ad quem spectaret iurisdictio spiritualis pagi illius, 2.° a quo recepissent Sacramentum confirmationis ; et an Episcopus C. unquam sacram peregisset visitationem duarum capellarum vel confirmationis Sacramentum ibi administravisset. Ad primum sese scire, et ab avis rescivisse responderunt, ad Episcopum A. spiritualem iurisdictionem pertinuisse et pertinere. Ad secundum quod attinet edixerunt confirmationis Sacramentum sese recepisse ab Episcopo illo qui, data occasione, in commodiorem et proximiorem locum reperiretur, ast nunquam Episcopum Dioecesis C. vel administravisse ibi confirmationis Sacramentum, vel capellarum visitationem peregisse.

Dein Ordinarius A. documentum exhibuit extractum ex constitutionibus Synodalibus anni 1702, in quo numerantur Dioecesis illius civitates, oppida, et castella; inter quae etiam *A gromonte* exscribitur.

EA QUAE EPISCOPUS C. IN SUI FAVOREM PROTULIT. Eetulit Ordinarius iste fere 2000 incolas morari hoc in pago *A gromonte;* qui huius saeculi exordio nil aliud erat quam inhóspita tellus et feudum Marchionis e *Castelluccio superiore;* quod in parvis divisum partibus concedebatur per longam locationem, colonis, qui laboribus quotidianis expletis, sero redibant ad domicilium quod in Castelluccio retinebant, nil aliud habentes in *A gromonte* quam, casas ex paleis et lignis contexta^ eo consilio ut ab aquis tegerentur. Nunc *Agromonte* ita excrevit ut sese iungat *Castelluccio superiore;* oppidum magnum a saeculis iurisdictioni Episcopi C. subiectum.

Tandem feudis abolitis, coloni, qui *domini utiles* effecti fuerant, rependentes tantum domino directo annuam praestationem, inibi domus aedificaverunt in quibus tempore messis demorarentur. Ast neque *animo, neque facto* derelinquere arbitrati sunt domicilium, quod adhuc retinent, eo quia illuc familiam, et rerum suarum summam habeant; quae ad normam *I. Cives 7, cap. de incolis* verum constituunt domicilium.

Quoad spiritualia cives illi semper cupierunt dici et esse filii ecclesiae parochialis S. Margaritae e *Castelluccio superiore.* In illo enim fonte baptismali eorum neonati sacrum recipiunt baptisma *Argum. Can. in Sacris* ***56,*** *cons.* ***16,*** *qu.* ***1,*** *cap. cum olim* ***18*** *de praescript.* In coemeterio ijlo sepelire curant eorum vita functos *cap. nos instituta* ***1,*** *et cap. animarum, de sepult, in* ***6:*** in illa ecclesia paroeciali nuptias celebrant : *Trid. sess.* ***24*** *de reformat, matrim,* ibi sacrum poenitentiae tribunal adeunt *cap. Omnip.* ***12*** *de poen. et remiss,* ibi praeceptum implent paschale *Clem. i de privil.* ibi saepe verbum Dei audiunt

Trid. sess. **5,** *cap.* **2** *de reform.,* ab ea SSmum excipiunt viaticum atque unctionem extremam *Clem. cit.* Archipresbytero curato sacramentales decimas *cap. cum a nobis* **2A;** *cap. cum contingat* **29** *de decimis* tradiderunt, donec id fieri per legem italicam vetaretur. Ex quo satis aperta fieri posset deductio, quae omnino conveniret cum doctrina, Schmalzgrueber *vol. VI, par. III, tit.* **28, § 4** *de sepultura parochiali;* quo loco respondetur dubio : « ubi**ci** nam sepeliendus sit qui neque maiorum suorum sepul« turam habet, nec ullam sibi elegit. *De iure sepeliendus est in propria parochia, ubi domicilium habuit, et sacramenta caeteraque divina percepit. Cap. nos instituta* **1** *et cap. animarum de sepultura in* **6.** *Proceditque hoc, etsi non fuisset ibidem mortuus, sed in Villa, vel alibi in loco extra parochiam suam sito, ad quem se contulit recreationis, culturae, vel amici invisendi causa, modo ad parochialem sepulturam commode portari posset, ut statuitur cap. is qui* **3,** *par. hoc tit. in* **6.** *Ratio est, quia per hoc quod quis transeat a loco domicilii ad alium locum, ibique ad tempus habitet, non amittit prius domicilium, nec fit incola, aut parochianus loci, ad quem migravit ob eiusmodi causam I. domicilium* **20** *et I. eum qui* **27;** Celsus **2** *ff. ad municipal.*

In themate Ordinarius C. ait, per aequivocum tantum, quo fundatores capellarum petierunt ab Episcopo A. facultatem easdem aedificandi, arbitratum fuit *Agromonte* comprehendi intra limites "Dioecesis A. quod a veritate abest.

Nam cives ex *A gromonte* domicilio et possessione sunt paroeciani ecclesiae S. Margaritae e *Castelluccio.* Quod iidem sint illius ecclesiae paroeciani per domicilium, ab eodem Episcopo adversario conceditur; quia illorum originem fatetur fuisse ex *Castelluccio.* Quivis enim a patre originem repetit iuxta *legem* **19** *ff. de statu hom. : Patris originem unusquisque sequitur.* Si conceditur enim

eosdem e *Castelluccio* originem ducere et eorumdem habitationem in *Agromonte* esse accidentalem; ergo verum domicilium est locus originis ut sese habet ***l. 17, § 13*** *ad Municipal. Sola domus possessio in aliena civitate domicilium non facit.*

Ad adstruendam praeterea dictam paroecialitatem domicilium adiiciendi etiam sunt *possessionis* actus. Ad evincenda iura parochialia cuilibet probationi semper in iudicio praelata fuit possessio in administratione sacramentorum; et *S. Rota Decis.* ***368*** *coram Crispin., n. 14,* id observavit quoad decimas : ait enim : *ad parochialitatis qualitatem convincendam addidit etiam perceptionem decimarum.*

Neque praescriptionem prodesse Episcopo A.; nam praescindendo ab eo quod Dioecesium limites haud praescribantur, ratio possessionis supra fideles ex *A gromonte* bona fide et iusto titulo comitata tota manet ex parte Episcopi C. ; minime vero ex parte Episcopi A. : quamvis pluries conatus sit ibi suam exercere iurisdictionem.

Tandem ex officio observatum fuit : posito quod incolae ex *A gromonte* unicum habeant domicilium, ceu ostendere sategit Episcopus Dioecesis C. : in tali hypothesi arguendum esse videtur iurisdictionem Episcopalem stare pro eodem Episcopo a quo realiter parochus dependeat qui matrimonia celebravit eorumdem incolarum. Haud erit abs re referre etiam nonnullas maximas canonicae iurisprudentiae quoad parochum proprium matrimonii, non pro eorumdem validitate diiudicanda sed tantum ad elucidationem iurisdictionis territorialis. Quae maximae ab auctoribus collectae, a Benedicto XIV solemnem recepe-runt sanctionem *Instit. XXXIII, n.* **6.** *«* Cum de matrimo-
« nio agitur eum parochum nuncupandum censuit *(S. Conci cilii Congreg.)* in cuius parochia domicilium positum
<(habetur, non vero illum in cuius paroecia vitae primor-
ee dia suscepimus. Cum ordines rite conferri possint per

« Episcopum non *domicilii* modo sed etiam *originis,* ideo
« ad inquirendum locus oblatus fuit, utrum idem ratione
« parochi in celebrandis matrimoniis statuendum vide-
« re tur. Attamen ex ipsis Concilii verbis parochus domi-
« cilii satis aperte deprehenditur, et sacri canones cum
« iisdem verbis parochum quoque originis complecti vo-
ce ruerunt, id expresse declararunt, quemadmodum conti-
ci git cum de sacra Ordinatione sermo haberetur. His ve-
ce luti fundamentis innititur unanimis scriptorum opinio,
cc ob quam si proprius *parochus* pro celebrandis matri-
ce m onus iudicatur, in cuius ditione domicilium consti -
cc tuitur Sánchez *de matr. lib. 3, q. £3, n. 7;* Perez *de not.*
cc *matr. disp. 40, n. 1, part de matr. loc. 5, cap. 13, § l. Sa-*
« era Concilii Congregatio hanc opinionem pariter se-
cc quuta est cum die 18 nov. an. 1702 Mutinensis causa
cc matrimonii proposita fuisset, in qua Card. Bandinus
cc Panciatus, eiusdem Congregationis Praefectus suo prae-
cc sertim suffragio opinionem quam modo exposuimus ma-
ce gno studio, sapienterque tutatus est, eamque unice pro-
« bandam affirmavit. His quoque rationibus adducti plu-
ce rimi scriptores, eum qui duo habet in diversis parochiis
e< domicilia, matrimonium rite coram illo parocho inire
ee posse fatentur, in cuius potestate tunc degit, cum matri-
ce monium contrahitur; Clericatus *Decis. 45, n. 19.* Illud
ce tamen advertunt tunc *solum duobus domiciliis instru-*
it ctum aliquem appellari, cum in *utroque aequaliter col-*
li locatus, prudentium virorum iudicio existimetur, quod
ee etiam iuris pontificii auctoritate probatur: Cum ab eo
ee qui duo habet domicilia se collocans aequaliter in utro-
ee que *I. Assumptio ff. ad legem Municip.* Viris prudenti-
<e bus placuit in duobus locis posse aliquem habere domi-
ec cilium, si utrobique se instruxit, ut non ideo minus apud
ee alteros se locasse videatur » Tandem summus idem
Pontifex *n. 4* variis fretus S. C. C. resolutionibus paro-
chum excludit ruralem : **cc** parochum ruralem non esse

« proprium et verum parochum, quando rus itur causa « recitationis, vel pro rusticanis. In Florentina similiter « respondit: Parochum ruralem non esse proprium paro- <(chum, idque matrimonium coram eo celebratum fuisse « nullum. In una *A bulen,* censuit non valere matrimo- <(nium contractum coram parocho loci, ubi contrahentes « reperiuntur non animo ibi domicilium contrahendi. Die 1 Dec. 1640, *lib. 16 Decret., pag. 470* ». Quae loca ex Constitutione 53 excerpta criterium praebent ex quo dignosci possit an et quomodo matrimoniorum celebratio determinet iurisdictionem territorialem. Quibus omnibus adiici possent ex S. C. Congr. *Romana* seu *Neapolitana matrimonii* 4 maii 1859, et *Comen,* seu *Mediolanen.* 3 decembris 1863, 23 aprilis et 28 maii 1864; in quibus diffuse de domicilio, et quasi domicilio agitur.

Tandem Episcopus C. adiecit: quaelibet futura sit S. Congr. sententia oblivisci nequit in *A gromonte* deficere sacerdotem qui residendo sacramenta administret; ita ut aliam proposuerit quaestionem: quomodo nempe animarum curae providendum sit.

Quibus ab utraque parte in medium deductis, iudicio EE. CC. duo supposita fuere dirimenda

Dubia.

I. *An oppidum Agromonte spectet ad iurisdictionem Episcopi C. sive ad iurisdictionem Episcopi A. in casu.*

II. *An et quomodo providendum sit curae animarum in eodem oppido* (Agromonte) *in casu.*

RESOLUTIO. Sacra EE. et RR. Congr. die 28 maii 1875 respondere censuit: *Dilata et coadiuventur probationes.*

CAUSAE PROSEQUUTIO. Episcopus A. testimonia complurima produxit, in quibus notata fuere mortuorum nomina, baptismatis collationes, et ultimorum sacramentorum administrationes.

Et id animadvertendum esse ait Episcopus : quoties in regestis paroecialibus Oppidi *Episcopia* relatum fuit alicuius demortui (ex *A gromonte)* nomen, adiectum fuisse legitur: quod oppidum *Agromonte* subiectum est in spiritualibus Dioecesi A. Regestum pariter baptizatorum produxit; et post cuiuslibet nomen, habetur *natus,* vel *nata* in *A gromonte* oppido Dioecesis A. Tandem exhibuit depositiones triginta habitantium, qui, praevio iuramento, autumarunt presbyteros e *Castelluccio superiore* tantum venia Episcopi missam diebus festis litavisse in ecclesiis oppidi *A gromonte;* et numquam sacramenta necessaria necessitate medii aut *praecepti* administravisse.

Ordinarius alter nil novi retulit. Quapropter eadem duo dubia reproposita fuere ut resolverentur.

Sacra eadem Congregatio, sub die 2 iunii causam iterum discussit, ac deinceps respondere censuit :

Ad I. *Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.*

Ad II. *Affirmative, et ad mentem; mens est, quod Episcopus C. provideat, sive per paroeciam sive per succursalem populo ex A gromonte, cum. praesentia reali unius vel plurium sacerdotum in loco.*

EXINDE COLLIGES.

I. Cum ex privilegio speciali Dioecesium assignatio ad Romanum spectet Pontificem, ideo Episcopos nequire limites propriae Dioecesis alterare, vel pati ut ab aliis immutationem accipiant.

II. Qua de re etiam Concilium Carthaginense iussisse *quod nullus Episcopus alienas plebes usurparet, neque aliquis Episcoporum, sup er gr ederetur collegam suum in Dioecesi.*

III. Neque per regum discordias, quibus saepe immutantur regnorum confinia; neque per partialem laicae

iurisdictionis variationem in aliqua regnorum provincia, Dioeceses pati posse immutationem; eoquod Ecclesia Dei a civili iurisdictione immunis sit.

IV. Locum, supra quo disceptatur cuinam Dioecesi subiacere debeat in spiritualibus, pertinere dicendum esse videtur ad Dioecesim illam, cui subest paroecia in qua stabile domicilium habent, et in qua sacramenta recipiunt eiusdem loci habitatores.

V. Locum domicilii alicuius populi esse illum, in quo *facto* et *animo* manendi moratur, et in quo familiam et rerum suarum summam retinet; non vero illum ad quem culturae causa sese conferat, quamvis et inibi habitationem habeat : eoquod *sola domus possessio in aliena civitate domicilium non facit.*

VI. In themate magis probatum fuisse videri incolas ex *A gromonte* ordinarie sacramenta recepisse in paroecia e *Castelluccio superiore* a qua originem ducunt, et in qua stabile domicilium retinent; idcirco constitui debuisse sub illa Episcopali iurisdictione, cui eadem paroecia subest.

VII. Ad evincenda iura parochialia, possessionem in administratione sacramentorum semper habitam fuisse ceu probationem caeteris omnibus anteferendam.

NOMINATIONIS.

Die 2 iunii 1876,

Compendium facti. Sanctissimus Pater Pius Papa IX, (quem Divina Providentia adhuc sospitem protueatur ad bonorum solamen et adversus malos, obicis instar durions frontibus eorum), die 2 ianuarii 1847 decretum edidit mensam et Seminarium Dioecesis N. respiciens. Mensa enim et Seminarium aliquo indigebant auxilio; proindeque ut utrique consuleret, parvum suppressit Conventum Tertii Ordinis S. Francisci, qui in oppido Sangemini

existebat; bonaque illius concessit in perpetuum mensae Episcopali N. Pleraque Ordinario N. imposuit onera quoad Ecclesiam suppressi Conventus; et tandem adiunxit:

« Insuper teneatur singulis annis persolvere Semi-
« nario summam scut. quinquaginta in subsidium expen-
((sarum rusticationis, nec non pensionem necessariam ad
cc alendum in eodem iuvenem alumnum dicti oppidi San-
ee gemini ab Episcopo N. nominandum ».

Usque ad annum praeteritum res pacifice processerunt, nominationem regulariter peragente Episcopo iuxta decreti Pontificii concessionem. Verum tempore, quo novus alumnus gratis in Seminario alendus eligi ab Ordinario debebat, plures ex oppido Sangemini requisita exhibuerunt praeferri cupientes. Attamen Ordinarius, privilegio utens a Pontificali decreto sibi concesso, praetulit aliis concurrentibus iuvenem Guidonem T. eique nominationem patefecit appositis litteris diei 1 octobris 1875, exaratis per manus fratris sui sacerdotis, eoquod magna detinebatur infirmitate. Ex quo factum est ut iuvenis praeelectus Seminarium ingrederetur ab novembris exordio, ut studiis incumberet.

Attamen adversus eiusmodi nominationem Canonicus Poenitentiarius protestatus est, autumans omnino praeferendum fuisse iuvenem parentibus orbum, nomine Alexandrum C. meritis et requisitis omnigenis ditatum prae alio electo. Etiam mater iuvenis Caesaris T. suam emisit protestatione^! adversus electionem peractam; verum statim ac eidem innotuit Guidonem T. iam in Seminarium ingressum fuisse magno cum dispendio suae familiae, nuncium misit praetenso iuri favore filii sui Caesaris, iuxta relata ab Episcopo Coadiutore.

S. Congregatio E. et P. Episcopo Coadiutori litteras misit (quoniam Coadiutor Episcopus annis et incornino dis iam confectus erat) sententiam eiusdem requirens hac super re, *auditis interesse habentibus.* Retulit Episcopus

qualitates Guidonis T. erui ex documentis exhibitis, inferiores esse qualitatibus Alexandri C, ast loco, quem in Seminario consequutus est, haud indignum esse. Retulit quoque patrem Alexandri C. quamvis aliunde suum ortum duxerit, tamen per decem et octo annos domicilium in oppido Sangemini habuisse, ibique duas successive duxisse uxores ; ideoque haud animo manendi caruit.

Haec per Ordinarium simul ac S. Congregatio comperit, expedire censuit ut quaestio plenis comitiis dirimeretur.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE GUIDONI T. FAVERE VIDENTUR. Pater sui filii Guidonis iura protuens, praemisit, sese in Seminarium duxisse Guidonem, unum ex septem filiis quos genuit, postquam notitiam acceperit illum praeelectum fuisse ad hoc ut gratis aleretur. Dixit insuper ex causis domesticis tantum Canonicum Poenitentiarium motum fuisse contra sui filii nominationem. Pertingens vero quaestionis meritum haud consensit ullimode laesam fuisse iustitiam in damnum Alexandri C. Ex chirographo enim SSmi colligere datum est, ait, Mensae Episcopali onus fuisse impositum alendi in Seminario iuvenem ex oppido Sangemini, ut pagus ille reintegraretur ex damno quod in suppressione Conventus S. Catharinae passus est. Cuius bono inutiliter frui conaretur filius Aloisii C. qui moram fecit in oppido Sangemini ratione tantum muneris quo ibi fungebatur; a quo si depelleretur abire cogeretur; dum proprio et stabili domicilio careret. Quod ita veritati inniti, ut patre vita functo, filius Alexander in patriam suam sese receperit, ibique manere ab anno 1870. Ideoque proprio filio haud praeferri potuisse, dum praeter alia, absens ille fuerit. Autumavit etiam filium suum nominationem accepisse ab Ordinario per medium Sacerdotis fratris eius, qui nullimode egit proprio arbitrio,

abutens debilitate mentis Episcopi, sed ex iurisdictione accepta per litteras Capitulo datas antequam Ordinarius infirmaretur et in quibus frater ut *alter ego* constituebatur. Et quamvis dici velit per Coadiutoris Episcopi adventum plures cessavisse facultates; tamen cum electio eiusmodi onus constituat mensae administrationis, fieri iure potuit ab Episcopi fratre de eiusdem mandato. Etiam Episcopi frater suas deductiones peregit in scriptis, ut electionem ab eo, nomine Episcopi, confectam iustificaret. Nam quum de adiunctis omnibus, quae litem comitantur, loquutus fuisset, quoad litis meritum subiunxit; dato enim quod Alexander C. ad concursum admissus fuisset cum aliis ex oppido Sangemini; tamen libertas episcopi detrimentum haud patiebatur. Quandoquidem ad normam Pontificii decreti sit in facultate Episcopi praeeligere quem velit, absque iustitiae laesione. Et id valeret etiamsi in concurrentibus meritorum diversitas adfuisset et Episcopus digniorem non elegisset. Eoquod ad hoc non tenebatur, ex praedicto pontificio decreto, a quo nil aliud imponitur Episcopo, quam ut suis impensis alat in Seminario *alumnum dicti oppidi.* Qualitatem hanc reperiri in iuvene Guidone T. liquido constat; dum ille progenitus fuerit a parentibus qui inibi stabile domicilium semper habuerunt. Neque iuvenem eumdem deficere idoneitatem a Tridentino volitam, ita ut dispensatio cum aliorum praeiudicio imploranda sit [1] Nam Tridentina Synod. *Sess.* ***23*** *cap.* ***18*** *de ref.* ita iubet : *S. Synodus statuit ut singulae Cathedrales Metropolitanae, atque his*

[1] Impleverat enim iuvenis ille annos duodecim, qui terminum aetatis constituunt a Tridentino requisitae, ut quis in Seminarium ingredi possit. Habuit ideo etiam aetatis requisitum; ita ut opus no» fuerit dispensatione pontificia, cum praeiudicio aliorum concurrentium qui duodecim annos iam transivissent. An autem anni duodecim impleti vel incepti esse debeant resolvit S. G. C. die 10 iunii 1876 in *Utinen.* circa aetatem recipiendorum in Seminario, respondens: *Qui aluntur expensis Seminarii posse recipi inchoato anno duodecimo; reliquos vero non comprehendi in lege Tridentini.* Quae causa, pag. 358, relata fuit.

maiores Ecclesiae pro modo facultatum et Dioecesis amplitudine certum puerorum ipsius Civitatis et Dioecesis eius provinciae si ibi non reperiantur, numerum in Collegio ad hoc prope ipsas ecclesias vel in loco convenienti ab Episcopo eligendo alere, ac religiose educare, et ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur. In hoc vero Collegio recipiantur, qui ad minimum duodecim annos, et ex legitimo matrimonio nati sunt, ac legere et scribere competenter noverint, et quorum indoles et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros. Pauperum autem filios praecipue eligi vult nec tamen ditiorem excludit, modo suo sumptu alantur, et stu^ dium praeseferant Deo et Ecclesiae inserviendi.

Neque magni faciendum Deputatorum Seminarii hac super re haud exquisitum fuisse consilium, ceu Tridentinum innuit; nam solemnitas haec neque substantialis est, neque clausulis variatur quae actorum nullitatem secumferant. Praescriptio siquidem Tridentini generica est, et consilium simplex respicit : *cap.* ***18*** *Sess.* ***23:*** *Quae omnia, atque alia ad hanc rem, opportuna, et necessaria Episcopi singuli cum consilio duorum canonicorum seniorum, et quos ipsi elegerint, prout Spiritus Sanctus suggesserit constituent, eaque ut semper observentur saepius visitando operam dabunt.*

Cum praeterea Tridentinum etiam de paupertate loquutum fuerit, electio Guidonis T. ex hac quoque parte haud iustitiam laesit, dum eius pater numerosa prole oneretur; et singillatim *re non amplius integra;* eoquod filius iam in Seminario moretur. His omnibus addi debet quod elector dummodo dignum eligat, non tenetur alium praeferre digniorem, maxime si in electo concurrant extrema a iure communi sive a specialis fundationis lege praestituta. Ita sentiunt Fargna *Iurepat, par.* ***2,*** *can.* ***27*** et Piton, qui criterium in subiecta materia praebet *disc.* ***30*** *de controv. patron, num.* ***37.*** « Tertio ac fortius

«quia saepe dictus Fundator Canonicis transgredientibus « eius optimas insinuationes, et canonica consilia non im- « posuit poenam nullitatis actus electionis, sed gravavit « eorum conscientias; unde fit quod ad summum, Cano- « nici posthabitis inservientibus Ecclesiae, reddere de- **ce** bent rationem in foro poenitentiario, non autem in foro « externo ; prout in specie habetur, quod licet iuxta stri- **ée** etam sacrorum canonum censuram electores ecclesia-: **ee** stici in beneficiis etiam simplicibus curam animarum **ee** non habentibus nequeant praesentare dignum, omisso **ee** notabiliter digniori, *Cap.* ***2*** *Be offic. Custod.* etc. et tra- **ce** dunt communiter summistae et Theologi post **S.** Tho- **ee** mam *2,* ***2*** *quaest. 63 art. l;* conveniunt tamen aeque **e**< Theologi et Canonistae, quod electio facta de digno, **ee** omisso digniori, sustinetur et non retardatur ». Neque tandem omittendum quod in formali etiam concursu Parochorum, et Canonicorum Theologalis et Poenitentiarii electio prudenti Ordinariorum iudicio relicta est; qui inter adprobatos ab examinatoribus dioecesanis minus digno institutionem concedere potest; ceu docet Benedictus XIV *de Synod. Dioec. lib.* ***4,*** *c.* ***7,*** *num.* ***8*** et **S.** C. Cong. pluribus in resolutionibus, sed singillatim in *Aversana Canonicatus Theologalis et Poenitentiarii* ***21*** *Novembris* ***1821.*** In illa occasione proponebatur dubium: *An Episcopus polleat iure eum eligendi ad praebendam Theologalem et Poenitentiariam quem ipse inter approbatos informali consursu digniorem iudicavit; seu potius illum eligere teneatur, quem magis idoneum in eodem concursu Examinatores renunciaverint.* Et cui dubio respondebatur: *affirmative ad primam partem, negative ad secundam ».*

Ex quo clare patet validius deduci posse argumentum favore electionis clerici ex parte Episcopi quoad simplicia requisita : dum parochi, et canonici theologus

atque poenitentiarius pluris faciendi sint alumnis pro Seminario eligendis.

EA QUAE ALEXANDRO C. FAVERE VIDENTUR. Verumtamen haud omittenda videntur argumenta quae iurisprudentia canonica praebet favore Alexandri C. Iuvenis iste Coadiutoris Episcopi iudicio meritis suis supereminet omnes concurrentes; ex quo fieret ut dignior qui praeeligeretur reputandus foret. Erat quidem in facultate Episcopi posse eligere iuvenem, qui necessariis requisitis praeditus esset: ast quum agatur de publico consursu, praemonitis ad id concurrentibus, fides praestanda est, praecipue si agatur de maxima inter concurrentium requisita differentia. Et re quidem vera ipsi auctores qui minus digni electionem admittunt, tamen sese remittunt prudenti electoris arbitrio, qui pro sua conscientia digniorem eligere debet : ideoque ita sese habent : *Sed eligentes omittentes digniorem sine debita causa peccant contra iustitiam distributivam* S. Thomas in *d.* ***2, 2*** *quaest.* ***63,*** *art. l, ad tert.* Fagnanus ***in*** *cap. Cum dilectus n.* ***18.***

His omnibus adiicienda est Episcopi promissio favore Alexandri C. peracta ob eiusdem excellentiora merita ante alterius electionem. Quae promissio haud implementum obtinere valuit, eoquod, ceu Episcopi frater exposuit, Alexander C. de patre natus est alterius oppidi, carenti stabili domicilio in oppido Sangemini. Etenim difficultati huic Episcopus coadiutor, quoad factum, respondit, dum enarret iuvenis patrem duas duxisse successive uxores in oppido Sangemini, ibique suum constituisse domicilium, in quo progenitus fuit Alexander de quo res est. Quoad vero ius tantum meminisse iuvat *I. 7, § 9, Cod. de incolis.* - ibi : « Optime quapropter animadverterunt Imperatores Diocletianus et Maximilianus in *I. 7 Cod. de incoi,* incolas, sicut et Divus Adria-
« nus edicto suo manifestissime declaravit, domicilium
« facit. Et in eodem loco singulos habere domicilium non

a ambigitur, ubi quis larem, rerumque ac fortunarum <(suarum summam constituit, unde rursus non sit disces- « surus si nihil avocet. Et iustissime tradidit Ulpianus <(in *leg.* ***20*** *ff. ad municipal.* Domicilium re et facto trans- **ie** fertur non nuda contestatione, ut demonstraret donn- **ée** cilium in facto constitutionis larium sui natura consi- **e**< stens, absque hoc facto numquam acquiri posse ».

Et superfluum videretur hic theorias referre, quibus evincitur Medicos, Procuratores, eosdemque famulos valide matrimonium contrahere coram Parocho actualis domicilii, excepto casu quo ibi aliquis moretur *recreationis causa.* Quapropter si pater Alexandri C. domicilium permanens in oppido Sangemini habuit, ubi mortuus est, filius necessario sequitur domicilium paternum (Benedicti XIV *Inst. Eccles.* ***33, § 16).***

Insuper adiiciendum recte videtur eiusmodi theorias casum magis difficilem respicere, quo nempe domicilium exquireretur; ast in themate requiri *alumnum dicti oppidi,* idest iuvenis qui in oppido Sangemini natus sit. Si etiam concedatur favore illius oppidi incolarum, respiciendum quoque esse ad familiam, ita ut paternum domicilium exquiri debeat, tamen ex hoc haud sequitur patrem originem suam ducere debere ex eodem oppido, dum id ex pontificio decreto haud expressum sit. Certum est enim ex canonica et civili iurisprudentia, maximum intercedere discrimen inter genericam dictionem, et dispositionem quae limitat, *huius civitatis;* ceu innuit Depretis *De interp. ult. volunt, lib. 4, dub.* ***8,*** *n.* ***23.***

e< Et sane inter prudentes notissima est distinctio ap- **te** pellativi *Romano, Senese, Padovano* ab alia verborum **ee** conceptione *Cittadino di Roma, di Siena, di Padova,* **ee** quatenus in prima formula generalis et amplior inter- **ee** pretatio admitti possit, in altera vero derivatio localis **ee** omnino requiratur ». Et Riganti ad *reg. 14 Cancell. n. 149* habet : in favorabilibus retineri debet verbum *civis*

sese extendere etiam ad illos qui privilegio civitatem consequuti fuerint : *sub privilegio disponente simpliciter, quod beneficia nonnisi civibus conferantur, non solum veniunt cives originarii, et naturaliter tales, sed etiam cives ex privilegio.*

Quapropter Alexander C. ob promissionem prius acceptam et ob meritorum praevalentiam praeeligi debebat, potius quam excludi. Proindeque ut rectius enata difficultas dirimeretur prudens fuisse videtur exquirere consilium Examinatorum qui in iuvenum admissione aliquam habent partem; ceu videre est apud Lucidi *tom. 2, p. 387* in* *Salernitana* apud S. C. Congregationem circa Deputatorum attributiones. Quaesitum fuerat : *An eorum consilium adhibendum tam in constituendis regulis universalibus Seminarii, quam electione puerorum singulorum introducendorum, librorum legendorum, confessoris, punitione dyscolorum, expulsione, visitatione, et in similibus.*

S. Congregatio respondit: *In omnibus esse adhibendos.*

His in medio positis rationibus, quae utriusque partis favore prostare videntur, sapienti EE. CC. iudicio remissa fuere enodanda sequentia

Dubia.

I. *An et quomodo sustineatur nominatio peracta favore iuvenis Guidonis T. in casu.*

Et quatenus negative.

II. *An eligi debeat iuvenis Caesar T. aut potius iuvenis Alexander C. in casu* ***f***

RESOLUTIO. Sacra Congr. EE. et RR. die 2 Iunii 1876, causa discussa, respondere censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Provisum in primo.*

EXINDE COLLIGES.

I. Iuvenem gratis in Seminario alendum duodecim annos natum esse debere ut admitti possit iuxta Tridentinum *Sess.* ***23*** *cap.* ***18*** *de ref.*

II. Erui ex nuperrima S. C. Concilii resolutione iuvenem, Seminarii expensis alendum, haud opus esse explevisse iam duodecim annos, sed sufficere inchoavisse annum duodecimum ut recipi possit in Seminario.

III. Electorem haud teneri digniorem eligere, dummodo eligat dignum, in quo concurrant extrema a iure communi sive a speciali fundationis lege praestituta.

IV. Episcopos quoque facultate pollere inter adprobatos ad praebendas theologalem vel poenitentialem, seu etiam ad paroeciam, eligere quem suo iudicio digniorem iudicaverit, omisso quem examinatores magis idoneum renunciaverint.

V. In themate videri aliud onus Episcopis N. impositum haud fuisse per pontificium chirographum, quam ut suis impensis alerent in Dioecesano Seminario alumnum oppidi *Sangemini* ab Episcopo pro tempore nominandum.

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM.

Feria II Die 4 septembris 1876.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eo-

rundemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 4 septembris 1876 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque vel alias damnata atque proscripta in Indicem Librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera:

Cartas inéditas de Don Julian Sanz del Rio, publicadas por D. MANUEL DE LA REVILLA. Madrid (senza data). Casa editorial de Medina y Navarro. — *Latine: Litterae ineditae D. Julian Sanz del Rio,* editae a D. Emmanuele De La Re villa. Matri ti etc.

Los Conflictos entre la Ciencia y la Religion. Por J.W. DRAPER Profesor en la Universidad de Nueva-York. Madrid Biblioteca contemporanea 1876. — *Latine ; Conflictus inter scientiam et religionem,* auctore J. W. Draper etc. Matriti 1876. *Quocumque idiomate.*

A Luz e as trevas, sermâo de Espirito Santo pregato *na** matriz da citade de Jundiahy, em 17 de maio do corrente anno, pelo Dr. Joaquim de Monte Carmelo conego da Sê de S. Paulo. Rio de Janeiro, typ. de Brown et Evaristo 12 Rua do Senado 12. 1875. — *Latine: Lux et tenebrae,* concio de Spiritu Sancto recitata in primaria Ecclesia Urbis Jundiahyae (in Brasilia) die 17 maii huius anni, a Doctore Ioachimo de Monte Carmelo canonico Cathedralis Ecclesiae S. Pauli etc.

Die Trinitarische Lehrdifferenz zwischen der abendländischen und der morgenländischen Kirche. Eine dogmengeschichtliche Untersuchung, von Dr. JOSEPH LANGEN, etc. Bonn 1876. — *Latine: De differentia doctrinali quoad Trinitatem inter Ecclesiam occidentalem et orientalem.* Disquisitio historico-dogmatica, auctore Dr. Iosepho Langen etc. Bonnae 1876. *Opus praedamnatum ex Reg. II. Ind. Trid.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, in quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX, per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, Sanctitas Sua Decretum probavit et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 5 septembris 1876.

ANTONIUS CARD. DE LUCA *Praefectus.*

Fr. Hieronymus Pius Saccheri, Ord. Praed.
S. Ind. Congreg, a Secretis.

L. ✠ S.

Die 11 septembris 1876 ego infrascriptus magister Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Philippus Ossani, *Mag. Curs.*

EX S. CONGREGATIONE DE PROPAGANDA FIDE

DECRETUM.

QUO IN INDORUM TERRITORIO APOSTOLICA PRAEFECTURA CONSTITUITUR.

Quum Sacrum Consilium Christiano Nomini Propagando ad catholicam religionem promovendam in Indorum territorio vulgo dicto « Indian Territory » in Foederatis Septentrionalis Americae Statibus plurimum conferre iudicaverit, si inibi Apostolica Praefectura consti-

tueretur, in generali conventu habito die 8 maii 1876 censuit supplicandum SSmo quatenus huiusmodi Praefecturam Apostolicam a praefato Territorio nuncupandam, et iuxta limites civiles, quibus idem Territorium circumscribitur, erigere, atque Fratribus Cassinensibus O. S. B. primitivae observantiae provinciae Galliae committere dignaretur. - Quam Sacrae Congregationis sententiam SSmo Domino Nostro Pio Div. Prov. PP. IX in audientia die 14 praedictorum mensis et anni ab infrascripto Pro-Secretario relatam, Sanctitas Sua benigne probavit, atque praesens Decretum ea de re expediri mandavit.

Datum Romae ex aed. S. C. de Propaganda Fide die 5 Iulii 1876.

ALEX. Card. FRANCHI, *Praefectus.*

L. gg S.

I. B. Agnozzi, *Secretarius.*

DECRETUM.

QUO ISIDORUS RABOT MISSIONUM INDORUM TERRITORII PRAEFECTUS RENUNGIATUR.

Referente Rev. D. Achille Rinaldini Substituto, Sacra Congregatio Praefectum Missionum Indorum Territorii R. P. D. Isidorum Rabot e Congñe Cassinensi primitivae observantiae ad suum beneplacitum cum auctoritate ea exercendi, quae ad earumdem Missionum regimen pertinent ad praescriptum decretorum Sacrae Congregationis et facultatum eidem concessarum, et non alias nec alio modo.

Datum Romae ex aedibus dictae Sacrae Congregationis die 9 Iulii 1876.

ALEX. Card. FRANCHI, *Praefectus.*

L. ©S.

Achilles Rinaldini, *Substitutus.*

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS MISSIO BENGALAE ORIENTALIS TRADITUR CONGREGATIONI BENEDICTINORUM CASSINENSIUM PRIMITIVAE OBSERVANTIAE PROVINCIAE ANGLO BELGICAE

PIUS PP. IX.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Quod e re catholica maxime fore videbatur, Bengalae Orientalis regionem in Indiis in Vicariatum Apostolicum anno MDCCCL ereximus, interposita nostra Auctoritate, eiusque regimen curae commisimus Sacerdotum Congregationis S. Crucis. At enim cum decursu temporis eius Congregationis Operariorum numerum deficere eodem anno MUCCCLXXI in generali Capitulo constitit, editoque decreto quo se a praedictae Missionis regendae munere abdicabat, illud Nobis suppliciter obtulit confirmandum; per ea tempora in *Anglia* canonice erecta fuit Provincia Anglo-Belgica Benedictinorum Cassinensium Primitivae Observantiae. Itaque de Vicariatus Apostolici, quem descripsimus, bono solliciti, per Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales negotiis Propagandae Fidei praepositos cum generali Superiore memoratae Provinciae egimus, ut loco Presbyterorum S. Crucis Vicariatum illum excolendum sumeret. Quam quidem Provinciam cum Superior Generalis sibi demandari passus sit, de eorumdem Venerabilium Fratrum Nostrorum consilio haec, quae infra scripta sunt, statuenda censuimus. Dilectarum filiorum precibus Presbyterorum Congregationis S. Crucis per praesentes annuimus, eosque ab onere regendae Missionis Bengalae Orientalis vacuos, solutosque, Auctoritate Nostra Apostolica declaramus; id ipsum

porro adsignamus, imponimus Congregationi Benedictinorum Cassinensium Primitivae Observantiae Provinciae Anglo-Belgicae, ad beneplacitum tamen Sanctae huius Sedis, ac sartis tectis singulis universis conditionibus, quibus pridem Bengalae Orientalis Missionem, de qua habita supra mentio est, Congregationi S. Crucis moderandam demandavimus. - Simul decernimus praesentes Nostras Literas firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et quoad aliter per Nos sive Successores Nostros provisum fuerit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, *sicque in praemissis per quoscumque Iudices Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae Regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in universalibus provincialibusque, et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, necnon dictae Missionis etiam iuramento, Apostolica confirmatione, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die iv augusti MDCCCLXXVI, Pontificatus Nostri anno Trigesimo primo.

F. Card. ASQUINIUS.

L. © S.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS CUDBERTUS DOWN E Y PROVICARIUS APOSTOLICUS MISSIONIS BENGALAE ORIENTALIS RENUNCIATUR

PIUS PP. IX.

DILECTO FILIO GUDBERTO DOWNEY CONGREGATIONIS BENEDICTINORUM CASSINENSIUM PRIMITIVAE OBSERVANTIAE PRESBYTERO.

DILECTE FILI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Ecclesiae universae cura divinitus Nobis commissa postulat, ut ea praestemus quae fidelibus bene, prospere feliciterque evenire videantur. Cum itaque ex quo ratam habuimus abdicationem Venerabilis Fratris Petri Dufal Episcopi Delconensis, in partibus infidelium, Missio vacet Bengalae Orientalis, rem detulimus ad Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales Congregationis Propagandae Fidei praepositae et cum eis sedulo egimus de* eligendo successore. Iam vero omnibus mature attenteque perpensis, in eam sententiam devenimus, ut tibi, dilecte Fili, illius Missionis regimen demandaremus, pro certo habentes te in obeundis istius muneris partibus expectationi Nostrae cumulate responsurum. Quae cum ita sint, ab quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerit, huius tantum rei gratia te absolventes, et absolutum fore censentes, te, hisce Literis, de memoratorum Venerabilium Fratrum Consilio, Auctoritate Nostra Apostolica, Provicarium Apostolicum Missionis Bengalae Orientalis facimus, constituimus et renunciamus; tibique idcirco singulas et universas facultates ad id necessarias atque opportunas eadem Auctoritate, tenore prae-

sentium impertimus. Quocirca omnibus et singulis, ad quos pertinet ac pertinuerit mandamus, ut Te in Provicarium Apostolicum dictae Missionis Bengalae Orientalis, iuxta tenorem praesentium, excipiant, admittant, tibique quantum in ipsis situm est, faveant, praesto sint ac pareant. Non obstantibus speciali licet atque individua mentione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVIII iulii MDcccLxxvi, Pontificatus Nostri anno Trigesimo primo.

F. Card. ASQUINIUS.

L. © S.

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM

DECRETUM.

PARISIEN. Beatificationis, et Canonizationis ven. servi Dei Francisci Mariae Pauli Libermann Institutoris Congregationis Purissimi Cordis Mariae.

Nonis Februarii et iv Kalendas martii anno 1874, quum SSmus Dominus Noster Pius Papa IX benigne induisent ut de Dubio Signaturae Commissionis Introductionis Causae Servi Dei Francisci Mariae Pauli Libermann praefati ageretur in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria, absque interventu et voto Consultorum^ licet non elapso decennio a die praesentationis Processus Ordinarii, Actis Sacrorum Rituum Congregationis et scriptis eiusdem Servi Dei non perquisitis et examinatis; Emus et Rmus D. Card. Aloisius Oreglia di S. Stefano, loco et vice Emi et Rmi D. Capalti Causae Ponentis, ad Instantiam R. P. Alphonsi Eschbach alumni memoratae

Congregationis et Causae Postulatoris Litteris nonnullorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, itemque plurimorum Archiepiscoporum et Episcoporum necnon aliorum Virorum Ecclesiastica et civili dignitate illustrium, in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum coadunatis, sequens Dubium discutiendum proposuit, nimirum : *An sit signanda Commissio Introductionis huius Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* Et Sacra eadem Congregatio omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit: *Affirmative sive signandam esse Commissionem si Sanctissimo placuerit*

Die 27 maii 1876.

Facta postmodum de praemissis per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX fideli relatione, Sanctitas Sua Sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit : propriaque manu signavit Commissionem Introductionis Causae Ven. Servi Dei. Francisci Mariae Pauli Libermann praefati.

Die 1 Iunii anno eodem.

C. Card. PATRIZI,
Episc. Ostien. et Velitern., *S. R. C. Praef.*

L. © S .

Placidus Ralli, *S. R. C. Secretarius.*

DECRETUM.

OCEANIAE. Beatificationis sen declarationis Martyrii yen. servi Dei Petri Aloysii Mariae Chanel Pro-Ticarii Apostolici Oceaniae Occidentalis.

In causa Beatificationis seu declarationis martyrii Ven. Servi Dei Petri Aloysii Mariae Chanel praefati, quum agi deberet de validitate Processuum, neque non de obedientia Decretis sa. me. Urbani Papae VIII super cultu eidem Ven. Servo Dei numquam exhibito, ad instantiam R. D. Benedicti Forestier alumni Congregationis Maristarum et huius Causae Postulatoris, subscriptus Cardinalis eidem Congregationi Praefectus et Causae Ponens, dubium sequens discutiendum proposuit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis : nimirum : « An constet de validi- ((tate Processuum : neque non de obedientia Decretis « sa. me. Urbani Papae VIII super Cultu numquam « exhibito praefato Ven. Servo Dei in casu et ad effe- « ctum de quo agitur Ì » Eminentissimi porro ac Reverendissimi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, post accuratum omnium examen, audito etiam voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: « *Affirmative super propositis « dubiis et ad mentem. Et mens est quod sit supplican- « dum Sanctissimo, ut documenta authentica, quae vi- ii gore Decreti anni 1857 habentur ut Processus Ordina- li rii, habeantur in linea aequalis probationis cum Pro- a cessu Apostolico* ».

Die 27 maii 1876.

Facta autem de praedictis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX ab infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario fideli relatione, Sanctitas Sua

sententiam Sacrae Congregationis ratam habere ac confirmare dignata est : indulsitque ut supra enunciata documenta habeantur in linea aequalis probationis cum Processu Apostolico.

Die 5 Iunii anno eodem.

C. Card. PATRIZI,
Episc. Ostiem et Velitern., *S. R. C. Praef.*

L. © S.

Placidus Palli, *S. R. C. Secretarius.*

EX VATICANO

LITTERAE APOSTOLICAE.

QUIBUS ZELUS EPISCOPI VIGLEVANENSIS LAUDATUR QUOAD SYNODUM DIOECESANAM AB EO HABITAM

PIUS PP. IX

DILECTI FILII, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Synodus ipsa, e qua litteras nobis dedistis, dilecti filii, non mediocre pretium addidit officiis vestris. Nam si perutile fuit semper, clerum interdum convenire ad constringenda mutuae charitatis vincula, agendumque de disciplina ac tuendis promovendisque Ecclesiae negociis, id multo opportunius est hodie atque adeo necessarium, dum omnes adhibentur artes ad disgregandos animos, ad clerum abducendum a proprio Pastore populumque a clero, ad subvertendas leges ipsamque constitutionem Ecclesiae, ad unitatem plane dissolvendam. Gratulamur itaque egregio Episcopo vestro et vobis, quod collaturi consilia et vires ad occurrendum diffidi-

limis temporum adiunctis, id praecipue spectaveritis, ut adhaesionem devotionemque vestram huic Apostolicae Sedi, catholicae unitatis centro, confirmaretis, a quo, veluti a capite, virtus et vigor in universum mysticum Christi corpus dimanat. Iucundissime idcirco didicimus, declaratum aperte fuisse a Pastore vestro, se vos ad hoc maxime convocasse, ut Sanctae Apostolicae Sedi supremoque Ecclesiae Christi Pontifici strictius coniungeremini ; vosque ita respondisse desiderio eius, ut unanimes in insequenti sessione professi fueritis, nihil vobis sanctius futurum, quam Romanam Ecclesiam omnium matrem conclamare, ac in Romano Pontifice Petri successore patrem ac universalem doctorem Christi gregis, ovium proinde et pastorum, venerari, habiturosque propterea semper uti Spiritus Sancti oracula definitiones eius, ac execraturos errores omnes, quos ipse damnaverit et anathematizaverit. Profecto, dilecti filii, si in hoc nobili proposito perstetis, si ad hanc normam sententias et opera componere nitamini, nulla profecto fraus, nulla vis unquam vos ita fundatos in firma Petra a Christo posita deiicere poterit aut vincere. Periculosiora sane, quae ingruere videntur, tempora id omnino postulant; nosque propterea, sicuti coeleste auxilium copiosaque superna munera, sic in primis constantiam in hoc tam salutari consilio vobis adprecamur. Divini vero favoris auspicem, et paternae nostrae benevolentiae pignus vobis omnibus, dilecti filii, benedictionem apostolicam peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 4 septembris an. 1876, Pontificatus Nostri anno tricesimoprimo.

PIUS PP. IX.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

EX PROPOSITIONIBUS CONSISTORIALIBUS.

Lie 29 septembris 1876.

Sanctissimus D. N. in Consistorio habito die 29 septembris in aedibus Vaticanis sequentes proposuit ecclesias :

ARCHIEPISCOPALEM ECCLESIAM HELIOPOLITAN. **sub Patriarcha Antiocheno in partibus infidelium vacan, per obitum bo. me. Francisci Piohi ultimi illius Archipraesulis extra romanam curiam defuncti : Sanctissimus ad eamdem Ecclesiam transtulit R. P. D. Aloisium Paggi, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere cum de mense octobris anni 1871 Ariminensi Ecclesiae praefectus fuit.**

Heliopolis urbs Coelesyriae ad Libanum montem, altissimis circumvallata montibus, ab infidelibus adhuc detinetur; quocirca miserrimus eius status silentio praeteritum

METROPOLITANAM ECCLESIA** SEÑEN, **vacan, per obitum bo. me. Henrici Bindi ultimi illius Archipraesulis extra romanam curiam defuncti: Sanctissimus transtulit ad recensitam Ecclesiam** E. **P. D. Ioannem Pierallini, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, cum de mense decembris 1871 Collensi Ecclesiae praefectus fuit.**

Sene, quae posterioribus Senae, ampla et celebris Hetruriae civitas intra colles non longe ab Arbia flumine aedificata, sex circiter milliarium est ambitus, ultra quatuor mille domos, *atque* **viginti quinque mille complectitur catholicos incolas.**

Metropolitana Ecclesia, insignis gothicae structurae, Assumptionis Bmae Virginis Mariae titulo gloriatur, nullius eget reparationis, et quatuor eidem suffragantur Episcopi.

Eius Capitulum sex recenset dignitates, quarum post pontificalem prima Decanatus, unum et viginti cum theologo ac poenitentiario Canonicos, viginti Beneficiatus, duodecim Capellanos Mansionarios, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Penes Capitulum extat habitualis animarum cura, quam Presbyter Plebanus nuncupatus in crypta exercet S. Ioanni Baptistae dicata, ibique fons adservatur baptismalis unicus in civitate, eiusque suburbiis. In metropolitana vero nedum sacrarium adest omni supellectili sacra sive ad divina obeunda officia, sive ad pontificalia peragenda opulenter instructum, verum et plures praesto sunt insignes Sanctorum reliquiae, praesertim brachium inclyti Praecursoris S. Ioannis Baptistae.

Viginti tres praeterea recensentur Senis paroeciales Ecclesiae absque fonte baptismali, insignis Collegiata S. Mariae, cui vulgo nomen de ***Provenzano,*** quaedam insuper virorum et quatuor mulierum monasteria, plures laicorum sodalitates, nonnullae aliae piae institutiones, nobile Ptolomaeorum collegium, nosocomium, studiorum universitas, mons pietatis et conspicuum seminarium.

Archidioeceseos ambitus ad fere viginti quinque milliaria protenditur et quamplura sub se complectitur loca.

METROPOLITANAM ECCLESIAM SALISBURGEN. vacan, per obitum clar. me. Maximiliani dum viveret S. R. E. Presbyteri Cardinalis de Tarnoczy ultimi illius Archipraesulis extra romanam curiam defuncti: Sanctissimus ad electionem et postulationem Capituli Salisburgensis confirmavit ac promovit ad eamdem Salisburgen. Ecclesiam R. D. Franciscum de Paula Albertum Eder ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in urbe Hallein archidioeceseos Salisburgensis progenitum et octavum supra quinquagesimum aetatis suae annum supergressum. Ordini S. Benedicti in monasterio S. Petri prope Salisburgum dato nomine, ibique solemnia vota nuncupatus, et ad sacrum Presbyteratum dudum evectus, in ecclesiasticis functionibus obeundis naviter emicuit. Illo in monasterio ac paroeciis A'bbatialibus animarum curae intentus, in Caesareo-Regio gymnásio lyceali Salisburgensi pro doctrina religionis, ac pro philologicis et philosophicis disciplinis Professor adlectus est. Artium liberalium, philosophiae ac sacrae theologiae Doctor effectus, tum eiusdem monasterii S. Petri Abbas hucusque renuntiatus, tum a praedefuncto Archipraesul Salisburgensi titulo Consiliarii ecclesiastici decoratus est.

Salisburgum eiusdem nominis provinciae civitas et caput ad fluvium Salzach aedificata, et in satis amoeno loco sita, licet montibus circumdata, magnae extensionis est, ultra nongentas continet domos, atque a viginti circiter millibus inhabitatur Christifidelibus sub temporali dominio Serenissimi Austriae Imperatoris.

Metropolitana Ecclesia SS. Ruperti et Virgilii Episcoporum ti-

tulo gloriatur, magnificum ac splendidum praefert aedificium, cui nulla desideratur reparatio, eique sex suffragantur Episcopi.

Quatuor dignitates, quarum post pontificalem prima Praepositum, constituunt eius Capitulum, octo insuper enumerat cum theologo ac poenitentiario Canonicos, queis duo Domicellares ac decem adiunguntur Vicarii, aliique presbyteri et clerici divinis officiis inservientes.

Per Canonicum Capitularem a Cooperatoribus adiutum animarum cura exercetur ipsamet in Metropolitana.

Quatuor aliae praeterea in Salisburgensi urbe reperiuntur paroeciales Ecclesiae baptismalibus fontibus praeditae, tria insuper virorum ac totidem mulierum monasteria, nonnullae laicorum sodalitates, quinque hospitalia, mons pietatis, et duo seminaria.

Archidioeceseos ambitus satis late patet, ac plura sub se complectitur loca, et ultra centum octoginta paroecias.

METROPOLITANAM ECCLESIAM S. IACOBI DE VENEZUELA in America Meridionali vacan, per dimissionem a R. P. D. Silvestro Guevara ultro libenterque in manibus Sanctitatis Suae peractam, ab eademque admissam: Sanctissimus promovit ad relatam Ecclesiam R. D. Iosephum Antonium Ponte ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in civitate, cui vulgo nomen ***Cabudane*** dioeceseos de Barquisimeto progenitura et quartum supra quadragesimum aetatis suae annum supergressum. Presbyteratus ordine et in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus est. Illius Archipraesulis a Secretis etiam in Vaticano Concilio, et in Apostolica Vicaria agens, Rectoris vices in seminario archidioecesano ac Valentiae penes collegium Carmeli gessit. Ipsis insuper in urbe de Tocuyo, seminario et collegio, ac penes centralem de Caracas universitatem linguae latinae, gallicae ac patriae ; philosophiae, iuris canonici et historiae sacrae; moralis ac dogmaticae theologiae Cathedraticus renunciatus est.

Iuxta septemtrionale litus Americae Meridionalis in ditione de Bolivar civitas S. Iacobi de Caracas, sive de Venezuela caput reipublicae homonymae ad montium declive aedificata conspicitur, quae in amplo suo circuitu ultra octo mille continet domos, et a quinquaginta circiter millibus inhabitator civibus.

Metropolitana Ecclesia, decentis ac perampli aedificii, S. Annae Matris Bmae Virginis Mariae ad S. Iacobi Apostoli titulo gloriatur, et quatuor eidem suffragantur Episcopi.

Eius Capitulum tres recenset dignitates, quarum post pontificalem prima Decanatus, quatuor Canonicos cum utraque praebenda,

totidem. Portionarios, octo Capellanos, seu Beneficiatus, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Parochus animarum curam exercet ipsamet in Metropolitana.

Sex aliae praeterea in civitate de Venezuela reperiuntur paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, ac duae filiales, aliquot laicorum sodalitates, et quinque hospitalia; monasteria, mons pietatis et seminarium-collegium desiderantur.

Archidioeceseos ambitus ad centum quinquaginta leucas protenditur, pluresque sub se complectitur civitates et oppida.

EPISCOPALEM ECQLESIAM DOREA'. **in partibus infidelium certo modo vacantem, ex Apostolicis** UTERIS « *Ad Apostolicam Beati Petri Cathedram* » **datis xiv Kalendas decembris 1875 attributam. Prioratui quatuor Militarium Ordinum S. Iacobi. Alcantarae, Calatravae et Montesiae a Sanctitate Sua in urbe Cluniae «** *Ciudad Real »* **erecto, ipsi Doren si Ecclesiae in perpetuum unito, et a primaeva erectione sua vacanti: Sanctissimus transtulit ad eamdem Doren. Ecclesiam in partibus infidelium et in Priorem evexit R. P. D. Victorianum Guisasola et Fernandez, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, cum de mense ianuario 1874 Terulensi Ecclesiae praefectus fuit.**

Dora civitas Episcopalis Palestinae sub Archiepiscopo Caesariensi, adhuc sub infidelium iacet potestate; quocirca miserrimus eius status silentio praeteritur.

Clunia vero, ubi sedes Prioratus eiusdem constituta est, caput homonymae provinciae, fertili in planitie ad Anas fluvium aedificata, ab ultra novem milibus inhabitatur incolis sub temporali dominio Serenissimi Regis Catholici.

Paroeciale templum, satis pulchrum et elegans ac Bmae Virgini Mariae Dei Genitrici dicatum, ex praecitatis Diteris Apostolicis ad Prioratus honorem evectum est, priscis retentis titulo et parochiaiitate, nullius est dioecesis et Apostolicae Sanctae Sedi immediate subiectum.

Capitulum Priorale, iuxta memoratas Literas Apostolicas, quinque recensere debet dignitates, quarum post prioralem prima Decanatus, quatuor cum theologo ac poenitentiario Canonicos *de oficio,* **octo** *de gracia,* **ac duodecim Beneficiatos seu Capellanos pro divino servitio.**

Parochus animarum curam, sicut antea ipsamet exercet in Ecclesia Priorau.

Tres aliae numerantur Cluniae paroeciales Ecclesiae baptismali

fonte praeditae, triplex pro mulieribus monasterium, atque hospitale; mons autem pietatis atque seminarium desiderantur.

Huiusce Prioraus dioeceseos ambitus integrum complectitur territorium provinciae civilis Cluniae, plura epe sub se continet loca comprehenso hospitali de *Almadén.*

CATHEDRALEM **E**CCLESIAM **A**RIMINEN. vacan, per translationem E. P. D. Aloisii Paggi ad Archiepiscopalem Ecclesiam Heliopolitan. in partibus infidelium: Sanctissimus transtulit ad recensitam Ecclesiam E. P. D. Aloisium Raphaelem Zampetti, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere cum de mense Iulio praeteriti anni sibi invicem perpetuo unitis Ecclesiis Calliensi et Per<mlanae praefectus fuit.

Ariminum urbs satis nota et elegans Aerniliae ad litus Adriatici aedificata, trium circiter milliarum est ambitus, ter mille continet domos, eamque una cum suburbiis ultra viginti incolunt civium millia.

Cathedrali Ecclesiae S. Columbae Virgini ac Martyri dicatae, ac temporum iniuria penitus dirutae dudum Ecclesia S. Francisci substituía fuit, prisco retento titulo, ubi divina peraguntur officia. Ipsa autem Ecclesia satis amplum ac decens praefert aedificium, atque Ravennatensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum duas recenset dignitates, quarum post pontificalem prima Praepositum, quatuordecim cum theologo ac poenitentiario Canonicos, sex Mansionarios, qui Cantores de massa nuncupantur, octo alios Beneficiarios et Capellanos, ceterosque presbyteros et clericos divinis inservientes.

Per alteram ex Canonicis animarum cura ipsamet exercetur in Ecclesia.

Undecim aliae Arimini, eiusque suburbiis recensentur paroeciales Ecclesiae baptismali fonte destitutae, quatuor virorum monasteria, societas presbyterorum a Pretiosissimo Sanguine, conservatorium, quaedam orphanotrophia, hospitium pro mulieribus poenitentibus, plures laicorum sodalitates, hospitale, mons pietatis ac seminarium.

Dioeceseos ambitus ad triginta circiter milliaria protenditur, ac praeter civitatem S. Archangeli plura complectitur loca, ac nonaginta incolarum millia.

CATHEDRALES **E**CCLESIAS **C**ALMEN, ET **P**ERGULAN. invicem perpetuo canonice unitas vacan, per translationem R. P. D. Aloisii Raphaelis Zampetti ad Cathedralem Sedem Ariminensem: Sanctissimus pro movit ad recensitas Ecclesias R. D. Ioachim Cantagalli ex legitimis,

catholicis, honestisque parentibus Faventiae progenitura et quinquagesimum primum aetatis suae annum supergressum, Presbyteratus ordine et in sacra theologia ac iure civili dudum baccalaurei gradu donatum.

Cale, vel Callium, ***Cagli,*** et Pertia, ***Pergola,*** urbes Umbriae ad montes Apenninos Urbinatensi in agro sitae reperiuntur, quarum prima plano in loco ad Cantianum amnem, ubi recipit Boasim aedificata, unius circiter milliarii est ambitus, sexcentas domos, et quatuor fere mille complectitur incolas : altera vero ad amnem Cesanam extructa quinque circiter mille continet habitatores.

Cathedralis Ecclesia Calliensis Assumptionis Bmae Virginis Mariae, et Pergulana S. Secundi Martyris, eiusque civitatis Patroni titulo gloriantur, atque Urbinatensi Archiepiscopo suffragantur.

Calliense Capitulum duas recenset dignitates, duodecim Canonicos, quatuor Mansionarios ac nonnullos Capellanos Cantores; Capitulum autem Pergulanum quinque conflatur dignitatibus, tresdecim Canonicis et sex Mansionariis : utrobique insuper dignitas post pontificalem maior est Praepositura, theologalis ac poenitentiaria extant praebendae, aliique Presbyteri et Clerici divinis intersunt officiis.

Per Vicarium perpetuum ab alio Presbytero ad nutum amovibili adiutum animarum cura exercetur Calliensi in Cathedrali.

Altera praeterea reperitur Callii paroecialis Ecclesia baptismali fonte destituta, et quatuor Pertiae, quarum duae baptismalem habent fontem.; utrobique item quatuor pro viris, ac duo pro mulieribus monasteria, aliquot laicorum sodalitates, hospitale, mons pietatis, et seminarium ; Pertiae insuper orphanotrophium, ac pro pueris erectum institutum, atque Callii conservatorum.

Dioeceses unitae ad ultra triginta milliaria protenduntur, et plura sub se continent loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM COLLEN, vacan, per translationem R P. D. Ioannis Pierallini ad Sedem Metropolitanam Senensem: Sanctissimus promovit ad recensitam Ecclesiam R. D. Marcellum Mazzanti ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in paroecia ab Explanans, municipii Montis Caroli, dioeceseos vero Pisciensis progenitum et quadragesimum quintum aetatis suae annum supergressum. Presbyteratus ordine ac tum in sacra theologia, tum in iure Canonico dudum doctorali laurea donatus est.

Apud Pisarum universitatem sacrae Scripturae Professorem agens, in Mutilano seminario Moderatoris, eiusque dioeceseos Vicarii

in spiritualibus Generalis et Officialis munere ad praesens usque perfunctus est.

Collis urbs Hetruriae in agro Senensi ad fontes Elsae fluvii partim in plano, et partim in monte aedificata reperitur, quae in suo trium circiter milliarium ambitu mille et biscentum fere domos, atque ultra quinque mille continet incolas.

Cathedralis Ecclesiae S. Martialis Martyris titulo gloriatur, atque Archiepiscopo Florentino suffragatur.

Eius Capitulum tres enumerat dignitates, ex quibus post pontificalem maior est Archidiaconatus, quindecim cum theologo ac poenitentiario Canonicos, sex Beneficiarios Capellanos Chorales nuncupatus, aliosque Presbyteros et Clericos inibi divinis inservientes.

Per Archipresbyteri tertiam dignitatem animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Praeter Cathedralem quatuor in dicta civitate paroeciales Ecclesiae recensentur, tria virorum coenobia, et unum pro puellis conservatorum, nonnulla laicorum sodalitia, hospitale, et seminarium; ast mons pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus ad triginta circiter milliaria protenditur et plura sub se oppida, atque duas supra octoginta continet paroecias.

CATHEDRALEM ECCLESIAM TERULEN. cui ex Apostolicis Literis ***« Ad Vicariam*** » datis nonis septembris 1851 altera Albaracinensis Ecclesia erit unienda, vacan, per translationem R. P. D. Victoriam Guisasola et Fernandez ad Episcopalem Ecclesiam Doren, in partibus infidelium cum ei in perpetuum adnexo Priorato quatuor Militarium Ordinum nuper in Cluniensi provincia erectum: Sanctissimus, ad praesentationem Serenissimi Regis Catholici, evexit ad recensitam Ecclesiam R. D. Franciscum de Paula Moreno et Andreu ex legitimis, Catholicis honestisque parentibus in civitate, cui vulgo nomen ***Purchena*** Almeriensis dioeceseos progenitum et septimum supra sexagesimum aetatis suae annum supergressum. Presbyteratus ordine et in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus est.

Terulum Aragoniae civitas, ac provinciae Terulensis caput, ad Turiam fluvium, ubi Alhambram recipit aedificata, mille ac septingentas continet domos, atque suburbiis comprehensis a bis mille circiter inhabitator familiis, seu ab undecim mille civibus sub temporali dominio praefati Serenissimi Regis.

Cathedralis Ecclesia Beatissimae Virginis Mariae in coelum assumptae, ac S. Emerentianae Virginis et Martyris, civitatisque Patro-

nae titulo gloriatur, atque Caesaraugustano Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum ex praecitatis Apostolicis Diteris quinque adnumerat dignitates, quarum post pontificalem prima Decanatus, quatuor insuper cum theologo ac poenitentiario Canonicos *de oficio,* septem *de gracia,* ac duodecim Beneficiatus.

Per Vicarium animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Quatuor aliae recensentur Teruli paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, tria pro mulieribus monasteria, quaedam laicorum sodalitates, duplex hospitale, atque seminarium; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus satis late patet, pluraque sub se complectitur loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM FUNCHALEN. vacan, per translationem R. P. D. Ayris d'Ornellas de Vasconcellos ad Metropolitanam Sedem Goanam: Sanctissimus evexit ad memoratam Funchalen. Ecclesiam R. P. D. Emmanuelem Augustinum Barreto ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *Pedrogam Grande* dioeceseos Conimb ricensi s progeni tum et in quadragesimo primo aetatis suae anno constitutum. Presbyteratus ordine et in sacra theologia dudum Baccalaurei formati gradu donatus, in ecclesiasticis obeundis functionibus naviter emicuit. Lamacensi in seminario theologiae Professor adlectus, illaque in Cathedrali Canonicus hucusque renunciati, inter Sanctitatis Suae Praelatos Domesticos adscitus est. Eiusdem Lamacensis dioeceseos Provisoria Vicarii in spiritualibus Generalis, atque Gubernatoris munere in praesentiarum usque perfunctus est.

Funchala civitas et caput Madeira© insulae, ad meridiem Oceani Atlantici sita, saluberrimo potitur aere, quatuor fere mille continet domos, eamque, habitantibus comprehensis vicinae insulae de Portu Sancto, centum quinquaginta circiter mille incolunt cives sub temporali dominio Serenissimi Regis Catholici.

Cathedralis Ecclesia Assumptionis Bmae Virginis Mariae titulo gloriatur gothicam, elegantemque praefert structuram, quasdam exigit reparationes, atque Lisbonensi Patriarchae suffragatur.

Eius Capitulum quinque enumerare debet dignitates, quarum post pontificalem prima Decanatus, duodecim cum theologo ac poenitentiario Canonicos, decem Beneficiatus Capellanos, aliosque Presbyteros et Clericos rei divinae operam navantes.

Per duos Parochos animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Tres aliae recensentur Funchalae paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, tria mulierum monasteria, aliquot laicorum sodalitates, duplex nosocomium atque seminarium; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus totam complectitur insulam Madeirae ac aliam de Portu-Sancto, variaque ibidem numerantur oppida ac paroeciae.

CATHEDRALEM ECCLESIAM EMERITEN. in America Meridionali vacan, per obitum bo. me. Ioannis Hilarii Boset ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti: Sanctissimus promovit ad dictam Ecclesiam E. D. Thomam Zerpa ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Emeritae progenitum et in quinquagesimo aetatis suae anno constitutum. Illaque sede vacante Vicarii Capitularis ac dioeceseos Gubernatoris munere perfunctus est.

Emerita civitas et caput ditionis Guzman in republica de Venezuela Americae Meridionalis, unius circiter leucae est ambitus, septingentas plus minus continet domos, eamque duodecim fere mille incolunt cives.

Cathedralis Ecclesia, recentioris satis ampli aedificii, Immaculatae Conceptionis Bmae Virginis Mariae titulo gloriatur, nullius eget reparationis et Archiepiscopo S. Iacobi de Venezuela suffragatur.

Eius Capitulum unicam recenset post pontificalem Decanatus dignitatem, quatuor cum theologo, sed absque poenitentiario Canonicos, duos Portionarios, quatuor Capellanos, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Per Parochum animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Praeter Cathedralem quatuor in dicta Civitate existunt paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, et quinque filiales, una laicorum sodalitas, ac duplex hospitale; monasteria, collegium-seminarium. ac mons pietatis desiderantur.

Amplissimus est illius Dioecesis ambitus plures sub se complectens civitates et oppida.

CATHEDRALEM ECCLESIAM IBAREN. in ditione Aequatoriali Americae Meridionalis vacan, per dimissionem a E. P. D. Antonio Thoma Yturralde ultro libenterque in manibus Sanctitatis Suae peractam, ab Eademque admissam: Sanctissimus evexit ad recensitam Ecclesiam E. D. Petrum Gonzalez ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Quiti progenitus et in trigesimo septimo aetatis suae anno constitutum. Romae inter alumnos Collegii Pii-Latini Americani cooptatus, ibique Presbyteratus ordine et in sacra theologia dudum do-

ctorali laurea donatus, in ecclesiasticis functionibus peragendis sedulo incubuit, et in patria Metropolitana Canonicali praebenda Theologi hucusque cohonestatus est.

Ibarra civitas Columbiae in provincia de Ibabura ditionis Aequatorialis in America Meridionali ampla, fertilique in valle sita, salubri potitur aere, eamque tres ad quatuor mille incolunt cives catholici.

Templum Cathedrale S. Michaeli Archangelo dicatum terraemotu concidit, ac donec iterum aedificetur divina interim peraguntur altera in Ecclesia; Archiepiscopo autem Quitensi suffragatur.

Eius Capitulum duodecim enumerat cum theologali ac poenitentiaria praebendis Canonicos, quos inter prima post pontificalem dignitas Decanatus ac secunda Archidiaconatus, queis electionis lege sex adiungi debent Beneficiarii, vel Praebendati-portionarii ac totidem Capellani divinis inservientes.

Penes Capitulum extat habitualis animarum cura, quam Canonicus-Parochus administrat ipsa in Ecclesia baptismali fonte munita.

Una tantum paroecialis Ecclesia Ibarrensi in urbe recensetur, ac seminarium erectum; quatuor vero extabant ante terraemotum virorum, ac duo mulierum monasteria: mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus latissime patet ac viginti sub se complectitur loca.

EPISCOPALEM ECCLESIAM SLTXWIEN. sub Archiepiscopo Tyrensi in partibus infidelium vacan, per translationem R. P. D. Odonis Thibaudier ad Cathedralem Sedem Suessionensem : Sanctissimus ad eamdem Ecclesiam promovit atque ob multiplices curas, quibus R. P. D. Antonius Felix Philibertus Dupanloup Antistes Aurelianensis distentos est, eidem in Coadiutorem cum futura successione deputavit, accedente ad hoc perillustris Viri Mauritii de Mac-Mahon Ducis Magentae Gallicae Reipublicae Praesidis, eiusdemque Aurelianensis Antistitis expresso consensu, R. D. Petrum Hectorem Coullié ex legitimis catholicis, honestisque parentibus Parisiis progenitum et quadragesimum septimum aetatis suae annum supergressum. In parvo S. Nicolai seminario Parisiensi Professor constitutus, ad paroeciales Ecclesias **S.** Margaritae, S. Eustachii ac Beatae Mariae Virginis e victoriis Vicarii perfunctus est muneribus, Canonicus ad honores et penes Archiepiscopalem Curiam Parisiensem hactenus Promotor renunciatos est.

Sidonia urbs Phoeniciae in Syria adhuc sub infidelium pote-

state miserrime ingemiscit; quocirca status eius infandus silentio praeteritur.

Civitas vero Aurelianensis ad ripam ***Ligerulae*** in ipsa provincia amnis Lidericini, seu Ligerulae in planitie aedificata, optimo fruitur aere, continetque incolarum ultra quadraginta millia, quorum omnes, nonnullis exceptis protestantibus, catholici sunt, et dominio' Gallicae Reipublicae subiacent.

Elegantissima Cathedralis Ecclesia gothicae structurae invocatione Sanctissimae Crucis gaudet, et Archiepiscopo Parisiensi suffragatur.

Novem titulares Canonici, inter quos poenitentiarius, ac theologalis, eius constituunt Capitulum, quod plures insuper enumerat Canonicos honorarios, ac pueros de choro, quibus solemnioribus festis adiunguntur alumni magni seminarii pro divino servitio.

Per Canonicum-Archipresbyterum a quibusdam Vicariis adiutum animarum cura exercetur ipsamet in Cathedrali.

Octo aliae in illa civitate numerantur paroeciae baptismali fonte munitae, plura mulierum monasteria, sodalitates, hospitalia, magnum etiam et parvum seminarium; attamen mons pietatis desideratur.

Dioecesis totam comprehendit amnis Lidericini provinciam. Protenditur in longum ad viginti fere leucas, ad octodecim in largum, et plurima sub se complectitur loca.

Tandem Sanctissimo Patri postulatio S. Pallii admota fuit pro Metropolitis Ecclesiis Senensi, Salisburgensi, et S. Iacobi de Venezuela.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

IURIS DEFERENDI CRUCEM.

Die 13 maii 1876.

Extant in oppido M. Dioecesis F. tres parochiales ecclesiae, haud inter se certis distinctae limitibus; quarum duae a parochis moderantur saecularibus, altera vero a parocho regulari.

Plures, temporibus anteactis, exarserunt controversiae inter parochos trium ecclesiarum circa praeceden-

tiae iura in processionibus, quae quotannis fieri consueverunt vicissim apud unam paroeciam cum interventu aliorum Parochorum illius oppidi. Ut omnia litium motiva e medio tollerentur anno 1735 conventio inter parochos inita est, cui et Ordinarii auctoritas accessit. Qua conventione certa ratio constituta fuit ad usum iuris praecedentiae, cum processio fieret, inter eosdem parochos moderandum. Qua medela ad annum 1874 pacifice ventum est. Quo decurrente quum ad Parochum regularem ius processionis peragendae spectaret, iuxta conventionem praefatam, ad aures eius vox delata fuit Parochum M. ingredi velle, cruce elata, in Ecclesiam, in qua processio locum haberet. Eiusmodi re comperta, mane eumdem praemonuit per literas se nullimode passurum propriam violari iurisdictionem. Verumtamen Parochus M. sacro linteo et stola indutus, praecedente quodam pio Sodalitio, Cruce elata, una cum aliquibus de Clero, sistens paulisper ante portam ut protestationem Parochi Reg. audiret, Ecclesiam ingressus est ut solemnis processionis pars fieret. Tunc Parochus Regularis qui iura sua frustra protueri conatus est, rem Curiae Episcopali detulit; quae, partium deductionibus auditis, hanc protulit sententiam: « Praevia declaratione non competere Ecclesiae S. Mariae de P. titulum matricitatis proprie dictae neque Rectori eiusdem titulum Capitis Parochorum; decernimus haud esse Parocho M. ius ingrediendi, elata cruce, in Ecclesia Parochi Reg. quum in ea festum S. Ioannis Baptistae celebretur, et solemnis peragatur processio; iubemus ideo ut posthac actualis parochus, eiusque successores huic nostro decreto pareant ».

Aequo haud ferens animo Parochus M. hoc decretum partibus per Vicarium Foraneum notificatum, die 18 eiusdem mensis, supplici dato libello, ad S. Concilii Congregationem confugit die 17 septembris 1875.

Disceptatio synoptica.

DEFENSIO PAROCHI REGULARIS. Advocatus qui Parochi istius iura tuitus est, suam divisit orationem in quatuor articulos. Contendit in primo ius appellationis esse denegandum Parocho M. In secundo sententiae Curiae Archiepiscopalis validitatem iustitiamque in *petitorio* defendere curavit. In tertio etiam in facto seu in possessorio eiusdem validitatem propugnavit. In quarto demum praescriptionem adversario nullimode suffragari contendit.

Quoad primam orationis partem ait tum a iure civili, tum a iure canonico, ne lites in aevum durarent terminum fuisse praefixum ad appellandum. Biduum vel triduum antiquae leges Romanae concesserant; at Iustinianus, cui ius canonicum adhaesit, constituit infra decem dierum spatium a recitatione latae sententiae appellationem interponendam esse; quo inutiliter elapso sententia ipsa transit in rem iudicatam, et ius peremptum dici debet: *Novell.* ***23,*** *cap.* ***1.*** *Cap.* ***15.*** *De sententia et re iudicata; cap. Cum dilectus* ***32*** *de eieci.; cap. Concertatane* ***8*** *De appellat, in* ***6.*** Quam legem servatam fuisse a S. Congregatione, praetermissis veteribus resolutionibus, etiam in *Feretrana Dissolutionis Sponsalium* diei 11 decembris 1875 [1] Ast in facto est, ait, adversarium appellationem interposuisse apud S. C. C. varios post menses; quando nempe appellatio perempta erat, quia tempus utile elapsum inutiliter iam fuerat, et sententia in rem iudicatam transierat.

Secundum aggrediens orationis caput advocatus iustam propugnavit fuisse Curiae sententiam, quamvis quaestio agi deberet iudicio petitorio, idque sive ius commune sive conventio anni 1735 inspiciatur. Etenim tri-

[1] Vide causam eiusmodi relatam, pag. 130, Voluminis praesentis.

tum esse contendit in iure publice vel privatim incedere elata cruce ante se iurisdictionis signum esse, et quidem proprium Legatorum Apostolicae Sedis, Patriarcharum, Primatum et Archiepiscoporum ceu post *dem. Archiepiscopo, de privilegiis* docent Barbos, in *Collectanea Buttarli verb. Crux* et Devoti *instit. can. tom. i, Sect.* ***3 § 40.*** — Et sacri canones id strictius vetant quatenus parochus publice incedat; nam si parochis licet solemnes peragere processiones, haud tamen eisdem licet egredi paroeciae fines, multoque minus alterius paroeciae Ecclesiam ingredi. Quod argumentum magis roboratur animadvertendo parochum dici debere extra proprium territorium, nullamque exerere posse iurisdictionem, si Ecclesiam alienam ingrediatur, iuxta quae tradit De Luca *de Regular, discept.* ***65*** *n.* ***7*** *et discept.* ***22*** *n.* ***5.*** *De praeeminentiis.* Ostendit orator inter alia in conventione anni 1735 legi: omnes Confraternitates congregari debere ubi festum celebretur, ibique processionem terminandam. Ideoque processio initium sumere debet, et finem habere in illa ex tribus ecclesiis paroecialibus in qua iuxta conventionem praedictum festum sit celebrandum. At in iure solemne est principium, pacta conventa, quando licita sunt, esse servanda ex Z. *i, ff. de Pactis I.* ***7*** *eod. § Praetor, cap.* ***3*** *de Pactis.* Verum Parochus publice et processionaliter e propria Ecclesia egrediens et ad aliam se conferens ipsemet iam supplicationi initium dat, et conventionem violat, a qua ideo ius nullum in sui favorem descendere potest.

Insuper haud probari Ecclesiam Parochi M. esse Matricem; quia omnia argumenta ex historia desumpta contrarium ostendere videntur. Neque eidem Ecclesiae per privilegium competere dicendum est matricitatem, quia privilegium eiusmodi non praesumitur sed ab adversario probandum est iuxta De Luca *De paroch. disc.* ***40*** *n.* ***4.*** Verum si fingere libeat Ecclesiam Paro-

chi M. esse matricem, etiam in hac hypothesi numquam existeret praetensum adversarii ius. Siquidem SS. Canones quemdam tantum honorem favore matricis reservant pro facultate loci *cap. Ad audientiam* ***3*** *De Eccles, aedif.* Et hunc honorem cohiberi ad aliquem annuum censum in signum subiectionis, reservationem fontis baptismalis, vel iuris sepulturae, iuris decimandi, testibus Fagnan. ad caput praedictum, Lauren. *in for. benef. p. i q.-****157*** *n.* ***7*** aliisque; at nunquam a canonistis exscriptum fuit Matrici Ecclesiae ius esse incedendi elata Cruce in filiali Ecclesia. Ideoque etiamsi Ecclesia Parochi M. vere Matrix esset, tamen ius eiusmodi haud illi competeret.

Iustitiam sententiae curiae episcopalis erui etiam ex hoc capite, quia ex ipsius adversarii confessione crux elata pertineat ad clerum totum, et Parochus sit tantum custos ipsius crucis, neque eadem uti possit si reliquus clerus desit. Tridentinum clarius evincit eiusmodi sententiae validitatem in *Sess.* ***25*** *cap.* ***13*** *de Regul.* ubi habetur: *Controversias omnes de praecedentia, quae persaepe cum scandalo oriuntur inter ecclesiasticas personas, tam saeculares, quam regulares cum in Processionibus publicis, tum in Us, quae fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, et in deferenda umbella et aliis similibus, Episcopus, a'motâ omni appellatione, et non obstantibus quibuscumque componat.* Quod Tridentini praeceptum servari semper voluisse S. C. C. evincit orator auctoritate Barbos, in *d. cap. n.* ***44*** ubi praefatus auctor adducens in exemplum causam in una *Camerinen.* ***24*** *august.* ***1619*** scribit: « Processiones dirigere a « quocumque loci discesserint et iverint pertinet ad Epi- « scopum non obstante etiam immemorabili consuetu- « dine ». Quapropter perstrinxit Orator etiam in casu, quo neque ius commune, neque conventio anni 1735 ipsi impedirent, quominus cruce elata e sua Ecclesia egrederetur, Ordinarius iure proprio ad evitanda scandala

praedictum egressum prohibere poterat quamvis ipsi immemorabilis consuetudo adsisteret.

Ad tertium procedens caput orator autumat iustam esse Ordinarii sententiam, etsi lis in possessorio inspiciatur, cum ex adversarii confessione pateat infra spatium sex annorum numquam hoc ius exercuisse. Quapropter neque consuetudinem adversario suffragari; ad quam inducendam tria necessario requiruntur nempe 1.° usus populi, 2.° frequentia actuum, 3,° diuturnitas temporis. In casu tamen cum consuetudo Parochum tantum respiciat, minime vero ad multitudinem pertineat, ipsam invocari a Parocho non posse.

Attamen quidquid sit de consuetudine, asseruit orator hac in re haud consuetudinem induci posse 1.° quia quisquis noscit, eiusmodi consuetudinem ordinem hierarchicum subvertere; et consequenter irrationabilis, imo abusus et corruptela foret, quia Ecclesiae libertatem et disciplinam adversatur. Nam sacri Canones praecipiunt quamlibet Parochiam minime alterius servituti subiiciendam esse, neque spoliandam sua libertate; imo iura parochorum inviolabiliter esse servanda, quia coetui et non individuo tributa sunt ***cap. 1, quaest. 1, caus. 13.*** Reiffenst. ***lib. 1, tit.*** *4,* ***n. 59.*** Amostaz. ***de causis piis lib. 6, cap. 3, n. 38.*** De Luca ***Praeeminent, disc.*** *24,* ***n. il,*** et quia introduci nequit consuetudo contra iura et privilegia Regularium, Amostaz. ***loc. cit. n. 48, 49.*** Admisso etiam quod consuetudo eiusmodi in genere introduci possit, in theniate vero deficere ipsius probationem; nam haud efficaciter probata dicitur consuetudo, nisi constet nullum adfuisse actum contrarium. Scitum est enim consuetudinem interrumpi unico actu contrario, quamvis mille darentur actus pro consuetudine. Neque per testes adductos in themate eiusmodi consuetudinem probatam dici posse; dum per eorumdem depositiones

non modo immemorabilem non probari, sed si extiterit, eandem cessasse foret dicendum.

Tandem articulum suae orationis quartum pertingens orator probare sategit exceptionem praescriptionis minime adversario suffragari 1.° quia deest res praescriptibilis, uti sunt privilegia non particularibus, sed universo coetui concessa. Quod fortius tenendum post Constitutionem Urbani VIII, cuius initium *Romanus Pontifex diei 5 Iulii 1641;* qua praeservata fuere iura nedum Apostolicae Sedis-, verum et inferiorum Ecclesiarum, atque Ecclesiasticarum personarum a quibuscumque praeiudicialibus, ea illicita et irrationabilia declarando ex quocumque temporis cursu, ita ut in posterum illa neque in iudicio neque extra iudicium allegari possint.

Deest 2.° iustus titulus; nam paroeciae ambae sunt aequales et independentes; imo cum ecclesia Regularis sit exempta, adversarius iuvari tantum posset Apostolico privilegio, quod non praesumitur sed est probandum. Insuper haud obliterandum esse hic agi de praescriptione contra se praesumptionem iuris habente, ideoque eam allegans titulum probare debet.

Deest 3.° bona fides, quae in praescriptione incorporalium non praesumitur sed est probanda; quod adversarius haud fecit neque facere potuit.

Deest tandem 4.° tempus ad praescribendum a iure praestitutum; dum ex confessione ipsius adversarii praescriptio tantum haberetur vicennalis, et quidem per intervallum et per saltum. Ast neminem latet viginti annorum spatio praescribi non posse iurisdictionis actum in alterius parochiali ecclesia, praesertim post Constitutionem Urbani VIII, statuentis hisce in casibus praescriptionem non dari *ex quocumque temporis cursu.*

DEFENSIO PAROCHI M. Ex officio praemissum fuit agitari hic duplicem quaestionem, ceu ex dubiorum formula erumpit; alteram nempe super appellationis peremptio-

ne, alteram de causa principe. Quoad primam quaestionem adnotatum fuit sententiam Curiae episcopalis haud prolatam fuisse iuridice, idest servata forma iudicii. Etenim praeter citationis defectum reo per apparitorem praesentandae, sententia in vim Codicis Gregorii XVI in publica audientia edenda erat, et saltem per iuridicam personam, non vero per Vicarium foraneum partibus notificanda. Quare *dies fatales* haud decurrisse dicendum videretur : eoque magis id tenendum videtur, quia ex ipso codice Gregoriano habetur annum praeterlabi debere a die notificationis sententiae ut perimatur tempus ad appellandum utile. Quibus addi potest apud S. C. Congregationem potius aequitatem praevalere, quam iuris rigorem, ideoque dubium esse nequit quod appellatio in themate sustineatur, cum id nil detrahat iuribus partium sed potius tendat ad maiorem veritatis indaginem.

His praenotatis quoad incidentem, aggrediens Parocus M. causae meritum notavit haud hic agi de iurisdictionis exercitio sed de praeeminentiis. Ast, persequebatur, in facto est me esse primam oppidi dignitatem ; ceu Ordinarii huius Dioecesis pronuntiarunt memet appellantes caput Cleri, et edisserentes me primum locum in oppido habere. Quod autem maxime deferendum sit his enunciativis in causis praeeminentiarum eruitur quoque *ex S. Rota decis. 729 n. 1, cor. Lancetta* cum Episcopus optime informatus censeatur de statu et praerogativis suarum Ecclesiarum. His omnibus fastigium imponere ait decretum Curiae F. anno 1539, hisce editum verbis: « In processionibus generalibus, tumulandis defunctis, « aliisque actibus publicis, rebusque aliis in actibus de- « claratis, dicimus, pronuntiamus R. D. Andream Bu- <(glionem Rectorem Ecclesiae parochialis S. Mariae << (quae est parochia Parochi M.) manutenendum fore et « esse in quasi possessione praecedentiae ». Quod ius re-

cognitum fuisse ait a S. Rota sententia diei 9 Iunii 1593; hinc ambigendum haud esse putat de iure praecedentiae ad ipsum spectante supra caeteros oppidi parochos. Hoc posito contendit ipsum nullius iurisdictionem violare si ecclesiam Patrum Conventualium, elata Cruce una cum suo clero ingrediatur, siquidem edixit Crucis elevationem non importare actum iurisdictionis, sed significationem honoris et reverentiae debitae dignitati, post Vitalianum in *Clementina Archiepiscopo, de privil. n.* ***65*** docet Rota in *Lucana iuris deferendi Crucem* relata a Scarfant. *ad Lucubr. Ceccoper. vol.* ***1,*** *dec.* ***76*** *n.* ***6*** *et* ***23*** **-** ibi: « Omnes conveniunt canonistae delationem Crucis in ((exemptorum Ecclesiis non importare iurisdictionis ((exercitium, sed Dignitatis honorem non praeiudican- « tem Dignitati ».

Neque censere fas esse ait Canonistarum sententiam respicere Archiepiscopos tantum, ideoque ad Parochos extendi non posse. Ibi enim principium generale constituitur, quod est Crucis delationem non importare iurisdictionis exercitium; quod facilius admitti debere, cum scitum in iure sit Crucis delationem non aliud quam sacrae militiae vexillum praenotare, ad tradita per Pignatell. *cons.* ***30,*** *n.* ***7,*** *tom.* ***4.*** Unde fit quod pia Sodalitia non modo praefati oppidi, sed totius orbis Ecclesiae Parochiales etiam Regulares ingrediuntur, quin dici possint iurisdictionem vel exemptionem violare. Quod argumentum magis roboratur si spectetur Parochum M. non esse tunc temporis in exercitio, stricto sensu sumpto, functionis paroecialis, sed Clerum ac Sodalitates ad illam ecclesiam accedentes comitari.

Quamvis admitti parumper velit Crucis delationem in casu signum iurisdictionis importare; nihilo tamen secius Parochum praedictum in occasione eiusmodi posse Ecclesiam ingredi elata Cruce, confirmare conatus est necessitate, et consuetudine. Quoad necessitatem, attulit

decreta S. R. C. relata a Pigliateli, *consult. 30 n. 7, 10 tom. 4;* ex quibus manifestum erumpere dixit, quemlibet Clerum in processionibus instar militiae terrenae sub propria Cruce militare debere, et sub alio vexillo incedere non posse. Ex decreto ipso, quo Ordinarius conventionem anni 1735 approbavit, eruitur iussum fuisse unumquemque de Clero debere processionaliter associare Reliquiam S. Ioannis Baptistae, sub poenis suo arbitrio infligendis. Quapropter si clerus oppidi, qui totus militat sub eiusmodi Cruce associare debet processionaliter Reliquiam S. Ioannis Baptistae, militans sub Cruce propria, ideo praefatam Ecclesiam ingredi elata cruce oportet. Quoad consuetudinem plurium seniorum oppidi depositiones attulit; qui autumant aut sese tulisse illam Crucem a clero et Parocho comitatam, ecclesiamque insimul ingressos fuisse; aut propriis oculis conspexisse praedictos Priores in tali occasione Ecclesiam ingredi. Eiusmodi observantia eo fortius admittenda est quia iuxta *Rotam decis. 71, n. 12 cor. Heran,* ad eam ostendendam sufficit ut duo vel tres actus uniformes concurrant - ibi : *Ex his igitur quisque intelligit certam emergere observantiam interpretativam, pro qua sat est duo vel tres uniformes actus concurrant.* Atqui ex recitatis depositionibus constat id exercitum fuisse ab anno 1820 usque ad annum 1869.

At nedum in linea interpretativa et praesumptiva obtinet argumentum observantiae, sed et multo magis valet si illud in linea praescriptiva consideretur. Notum enim in iure esse dicit Parochum Regularium Ecclesiam ingredi posse etiam funerum occasione cum stola et cruce elevata si ipsi faveret consuetudo : quod et testatur Ferraris V. *Praecedentia* edit. novis, et Giraldi in animadversionibus supra Barbosam *De officio et potestate Parochi part. 3, art. 26:* « Excludi insuper nequibunt Pa-
te rochi, si ipsis faverit consuetudo praefatas Ecclesias

« (idest Regulares) ingrediendi cum stola et Cruce ele-
« vata ut declaravit. S. C. Concilii in *Viglevanen. Fune-*
*« rum diei **17** Iunii **17M*** ». A fortiori igitur dicendum est si de processionibus generalibus agatur, in quibus nullum signum apparet de exercitio iurisdictionis.

Igitur ait Parochus M. si mei antecessores per longissimam temporis spatium, ex praedictis depositionibus, modo praedicto Ecclesiam Parochi Reg. ingressi sunt, sponte sua fluit me huiusmodi ingressum praescripsisse neque amplius mihi impediri posse. Etenim iuridicum principium est consuetudinem aequalem auctoritatem habere ac legem, quia consuetudini ea vis est ut ad sui observantiam eodem modo ac ipsa lex cives adstringat. *Textus in § sine scripto **9** institut, tit. de iure nat. gent. et civ.* Voet *ad Pandectas T. **1,** tit. de Leg. n. **30.*** Idque eo fortius admittendum in themate si tantam vim habet, ut meliorem de mundo titulum constituat, nec non rem iudicatam inducat *Cap. super quibusdam **26*** § *Praeterea de verb. signif.* De Luca *de Benef, tom. **12,** disc. **32,** n. **2** et **4.*** Ad immemorabilem autem probandam sufficere ait testium depositiones, qui per decennium probare valeant id exercitum fuisse Surd. *cons. **262** n. **26** et **27** -* ibi : « Si haberi non possint ad pro-
« bandam observantiam temporis immemorabilis testes,
<(qui valeant de tanto tempore deponere, tamen si pro-
« betur per decennium fuisse servatam remanebit etiam
« probata praesumptive retrofluxi temporis ». Concordat *Rota decis. **403** n. **5,** p. **4,** tom. **2** et cor. Meri. dec. **40** n. **2.*** Hisce adductis Parochus M. censuit consuetudinem in themate esse omnino servandam et Curiae decretum esse reformandum. Idcirco nil valere obiectionem ex Tridentino desumptam *Sess. **25** cap. **13';*** in qua statuitur controversias istas ab Episcopo definiendas, amota appellatione. Etenim verba illa intelligenda esse propugnat, quando scandalum ex ipsis sequatur: Barbosa *in recti.*

cap. Conc. Trid. n. ***7,*** et de effectu suspensivo non de appellatione in devolutivo : Barbosa *loc. cit. n.* ***8*** *et seq. De off. et pot. Episcopi p.* ***3,*** *all.* ***78*** *n.* ***£6*** *et S. C. Concilii* ut videri potest *vol.* ***3,*** *pag.* ***306*** huius ephemeridis.

Quum favore utriusque partis haec aliaque deducta fuissent, remissum fuit EE. CC. prudentiae ea dirimere quae sequuntur

Dubia.

I. An constet de peremptione appellationis in casu?

Et quatenus negative.

IL *An Sententia Curiae Dioecesis F. sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii die 13 maii 1876, causa cognita, responsum dedit.

Ad primum affirmative et amplius
Ad secundum provisum in primo.

EXINDE COLLIGES :

I. Sententiam Ordinarii in themate transiisse in rem iudicatam quia infra tempus a iure constitutum ab ea appellatum non fuerit apud S. Concilii Congregationem.

IL Incedere publice vel privatim, elata Cruce ante se, haud praeseferre tantum signum honoris, sed iurisdictionis; et praecipue proprium Praelatorum S. Romanae Ecclesiae ceu sunt Patriarchae, Primates et Archiepiscopi.

III. Licere tamen etiam parochis, elata cruce solemnes peragere processiones intra suae paroeciae fines, haud vero in alienis paroeciis : tunc enim cum sint extra proprium territorium nullam inibi exercere queunt iurisdictionem.

[1] Deductiones quae possent fieri ex responso S. C. Concilii ad primum dubium videri possunt, pag. 136, Voluminis huius et pag. 613-614, Vol. VIII harum ephemeridem.

IV. Neque matricitatem (quae in themate haud probata fuit) secumferre ius ingrediendi, cruce elata, in filiales Ecclesias [1] dum id ad canonica iurisprudentia minime notetur inter honoris signa matrici reservati: praecipue vero erga Regularium Ecclesias, quae exemptae sunt[2].

V. Neque per consuetudinem id effici posse; quia parochorum iura, utpote quae coetui, et non individuo tributa sunt haud praescribi queunt consuetudine contraria, nisi centenaria concludenter probata, sed inviolabiliter servantur.

VI. Concilium Tridentinum ***sess. 25, cap. 13,*** committere Episcopis, ut omni amota appellatione, omnes controversias de praecedentia, quae persaepe cum scandalo oriuntur inter ecclesiasticas personas, componant.

CAPPELLANIAE

Die 10 Iunii 1876.

Compendium facti. Petrus Viti e civitate V. suis testamentaras tabulis ab eodem peractis die 5 Decembris anni 1779 de suis bonis ita disposuit. Voluit idest ut sua

[1] **Plura in iure reservantur favore ecclesiae matricis. Ex** *Test,* **dicto c.** *Ad audientiam* **conceditur eidem Ecclesiae, quae passa est dismembrationem, et de suo contulit pro sustentatione Rectoris, etiam iuspatronatus super novam Ecclesiam. Omni in adiuncto tamen Ecclesiae matrici reservatur iuxta cit. cap. debitus honor; ut puta quod illi solvatur census annuus, aut sepultura reservetur, vel celebratio Missae solemnis cantandae in Ecclesia noviter erecta a rectore matricis in die S. Titularis; vel demum quod Curatus novae Parochiae, illiusque successores una cum parochianis, semel in anno processionaliter accedant ad Ecclesiam matricem et eereum offerant. Quae reservatio magis propria aliarum est; quia ad aliquem locum accedere sit species subiectionis (Rota coram** *Séraphin.,* **decis. 15, n. 3). Quod autem Matrix ingredi possit Ecclesias filiales, cruce elata, haud reperimus in iurisprudentia canonica relatum.**

[2] **Parochi Regulares subiacent Episcopi Dioecesani iurisdictioni in his tantum quae pertinent ad Curam et administrationem Sacramentorum (Conc. Trid., cap. 11, sess. 25, De** *Regular.).* **Quoad caetera vero exemptionis privilegio gaudent, et nemini subsunt nisi eorum superioribus Regularibus.**

amita Olympia omnium bonorum suorum esset haeres usufructuaria; illaque demortui, ut erigeretur eisdem bonis, legatum vel Cappellania in Ecclesia parochiali S. Mariae Novae civitatis V. relinquens iuspatronatus ipsi parocho pro tempore; qui posset Cappellanum nominare aut retinere pro se ipso eamdem Cappellaniam, adimpletis eisdem oneribus. Onus Capellano pro tempore adiecit litandi sacra pro reditibus suae hereditatis, cum eleemosyna obolorum viginti ; quae Missae recitari deberent post meridiem quotidie, aut si reditus deficerent saltem diebus festis, aliisque quibus fieri posset iuxta reditus. Primum nominavit testator Cappellanum Iosephum S.

Cum heres usufructuaria diem obiisset supremum Ordinarius, suo decreto diei 5 Decembris 1799, ad erectionem eiusmodi Cappellaniae devenit, reservans et concedens Prioribus pro tempore praefatae Ecclesiae ius nominandi Cappellanum cum facultate petendi gratificationem quatenus pro se retinere vellet, iuxta institutionem testamenti. Atque institutionem dedit Iosepho S. qui fuerat ab ipso testatore nominatus.

Eo demortuo, Prior Parochus illius temporis Cappellaniam pro se retinuit etiam cum paroeciam dimisisset. Paroeciam ab anno 1859 consecutus fuerat Blancus B. qui mortuo Cappellano a proprio Ordinario petiit ut sibi gratificaret ac Cappellaniam concederet. Quod factum est; proindeque Prior Blancus B. in realem possessionem tum Cappellaniae, tum omnium bonorum immissus est. Verum hic morbo labefactus,' et non leve valetudinis detrimentum passus, praebendae priorali nuncium misit, retinens usque ad haec tempora praefatam Cappellaniam absque ulla molestia.

Attamen huius anni initio Prior Parochus, qui dictam regit Ecclesiam duo proposuit dubia: 1.° *An duo dicti parochi bene egerint retinendo Legatum seu Cap-*

pellaniam; 2.° *An Legatarius actualis non amplius Parochus, eam apud se retinere possit, sine ullo consensu parochi successoris, cum sit expressa voluntas institutoris, quod praedicta Cappellania seu legatum esse debeat penes parochum.*

Disceptatio synoptiea.

IURA PAROCHI. Quoniam ex dicendis primi dubii resolutio patebit, ideo consulto omissum est de eodem aliquid innuere. Quoad secundum animadversum fuit, quod si testamenti tenor inspiciatur, causa favore hodierni parochi dicenda est. Nam integra dispositio in eius commodum interpretari potest ; etiamsi aliquid eidem minus favere putetur; quia ultimae voluntates large sunt interpretandae iuxta *cap.* ***6*** *de Donat, in fin. : In contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis plenissima est interpretatio adhibenda.*

Ex quibus duplex consectarium deduci posse videtur; nempe Legatum huiusmodi naturam praeseferre Cappellaniae laicalis, et esse amovibile ad nutum; secus enim parocho patrono, quem testator maxime beneficare voluerat, nulla aut saltem satis exigua exinde utilitas dirci anaret. Cappellaniam esse laicalem erui posse videtur ex eo quod testator numquam vocabulum beneficium (cui Cappellania ecclesiastica aequiparatur) aut aequipollentia verba adhibuit. Numquam testator idem de erectione auctoritate Ordinarii faciendae sermonem instituit, sed suam fundationem simpliciter vocavit *Cappellaniam, Legatum.* Quae verba Cappellaniam mere laicalem importare tradunt Pignatelli *Tom.* ***3*** *Cons.* ***2*** *n.* ***3*** Amostaz. *De causis piis, lib. 4, cap.* ***2,*** *num.* ***6*** *et* ***7.***

Quod autem Ordinarius erectionem Cappellaniae perfecerit, et certam dotem in certa Ecclesia constituerit, nihil obstare videtur : quia id esset contra testatoris voluntatem, atque ideo Cappellaniae naturam immutare

nequiret, ceu *arg. Clement. Quia contingit, de Rei. dom. et Cap.* **5,** *Sess.* **25** *de Reform. Concilii Trid.* tradidit Rota in *Anagnina Cappellaniae* **16** *Iunii* **1749 § 8** *cor.* Matteaccio *Decis.* **309** *n.* **10;** quod forsan ex illo generali principio est repetendum, neminem posse, nisi Supremum Principem, defunctorum voluntati derogare. In praxi autem haud raro evenit quod S. C. Congr. erectiones revocaverit ab Ordinariis peractas, quatenus testatoris voluntas obsistere^ quod etiam accidit in altera *Viterbien. Cappellaniae* **23** *novembris* **1765.**

Proindeque erectionem eiusmodi in casu ab Episcopo peractam limites nudae approbationis excedere haud videri; quae approbatio Ordinarii etiam in legatis et Cappellanus laicalibus accedere debet iuxta decreta f. r. Urbani V confirmata ab Innocentio XII ceu legere datum est in Benedicti XIV *De Synodo Dioec. lib.* **13,** *cap. ulL num.* **10.** Certa vero dos, certaque Ecclesia destinata ad Cappellaniae onera satisfacienda, minime negotium facessere videntur, quia tum laicalibus, tum ecclesiasticis Cappellanus communia sunt.

Hac itaque posita Cappellaniae indole et charactere, sponte veluti sua fluere videtur eamdem esse amovibilem ad nutum patroni. Porro Cappellania laicalis a Doctoribus aequiparatur in omnibus Missarum legato, eiusque provisio nihil aliud importat, quam deputationem sacerdotis alicuius ad Missam celebrandam. Hinc post Card. De Luca *Disc.* **97** *num.* **10** *de Benef,* eam pertinere ad ministerium domesticum tradit Fargna *de lurep. Part.* **2** *Can. XXI, Caus.* **io** *num.* **14** eiusque possessorem posse removeri a patrono, etiam absque causa, eodem fere modo, quo dominus suos dimittit famulos et ministros.

Eiusmodi amovibilitas deduci etiam ex eo quod testator volens beneficare Parochum pro tempore, eidem facultatem concesserit vel retinendi pro se Cappellaniam,,

vel nominandi Cappellanum. Ast si parochus removere Cappellanum non posset, quodnam beneficium eidem impertitum fuisset?

Ergo quum a plena testatoris voluntatis interpretatione amovibilitas eruatur, nulla ratio in contrarium adduci potest, qua praesens parochus removere Cappellanum prohibeatur. Etenim si patronus, ad effectum providendi consanguineum, potest removere institutum, atque id ex praesumpta testatoris voluntate, Pitonius *De Contr. Patron. Alleg.* ***38*** *n.* ***10,*** quanto magis id erit indulgendum parocho in themate ut sibi provideat? Praesertim quia parochus non habet causam a praedecessore patrono, quo in casu non posset removere Cappellanum ab eo nominatum ; sed venit iure proprio et vocatus a testatore ideoque non tenetur stare nominationi factae a suo praedecessore, Fargna *De Iur. Can.* ***21*** *Cas.* ***1*** *n.* ***12*** *p.* ***2.***

Tandem posito etiam, quod ob erectionem factam ab Episcopo, ob institutionem Cappellanis concessam, Cappellania evasisset ecclesiastica, id suae minime officere amovibilitati videtur, ceu fere omnes docent auctores inter quos Amostaz. *de Causis Piis Lib.* ***2*** *Cap.* ***1*** *num.* ***10,*** atque ideo semper rediret illud, quod a testatore parocho pro tempore data sit facultas pro se lubitu disponendi circa hoc pium legatum.

IURA CAPPELLANI. Cappellanus ex adverso disserens quoad 1.° dubium autumavit parochos suo iure usos fuisse, cum, dimissa paroecia, Cappellaniam retinuerunt. Quamvis enim Ius Canonicum prohibeat patronum Ecclesiasticum seipsum nominare, tamen indulget eidem facultatem petendi ab Ordinario gratificationem. Reiffenstuel *Lib.* ***3*** *Tit.* ***38 § 73*** docet: *Potest Patronus rogare Episcopum, ut beneficium sibi conferat, potestque Episcopus ei gratificare si dignum invenerit.* Eadem tradunt Ferraris ad *verb. Iuspatronatus Art. 4*, ***§ 78.*** Lambertini

de Iurep. Lib. **2** *part. i quaest.* **8** *art.* **3** Barbosa *Ius Eccl. univers. Cap.* **12** *n.* **199.**

Quin imo Rigantius in interpretanda Regula 17 Cancellariae ulterius processit; nam finxit duos patronos, quorum alter extraneum praesentaret, alter vero gratificationem exposceret, et concludit Episcopum favere debere patrono ecclesiastico - ibi : *Si existentibus duobus patronis, unus praesentet extraneum, alter vero per viam precum supplicet Ordinario pro se ipso, istum gratificandum esse excluso extraneo.*

Et eiusmodi principium disceptatum apud Tribunal S. Rotae, confirmatum fuit, ceu videre est in una *Regien. Iurispatronatus* **19** *Ianuarii* **1624** *coram Pirovano.*

Adiici debet principium istud confirmatum fuisse in casu per Episcopi decretum erectionis, in quo legere est : *Ius nominandi et praesentandi Cappellanum ad dictum legatum pium, quandocumque vacare contigerit, reservamus et concedimus adm. RR. DD. Prioribus pro tempore praefatae parochialis Ecclesiae, cum facultate petendi gratificationem quatenus pro se retinere velint.*

Ex. quo conclusit institutionem ab Episcopo datam, tum. suo antecessori, tum sibi nihil a iure alienum praeseferre et quaestionem primo loco excitatam a Parocho iniuriam sapere non tam contra Cappellanos, quam contra Ordinarium qui huiusmodi institutiones concessit.

Ad secundum descendendo dubium animadversum fuit hic non agi de Cappellania amovibili ad nutum; quae dotem distinctam non habeat, ita ut in titulum conferri non possit Sacerdoti qui ad eam electus et praesentatus fuerit ; sed agi de Cappellania canonice erecta iuxta voluntatem testatoris, qui bona reliquit Cappellano ut onera satisfaceret, atque ideo inamovibilem esse. Quo posito, qui canonicam habuit ab Episcopo institutionem, nullo modo, nulloque tempore ab Cappellaniae possessione removeri posse liquet.

Haec omnia per Cappellaniae historiam confirmari videntur, necnon per institutiones ab Episcopis variis prioribus pro tempore concessas. Iamvero si ad nutum amovibiles esset Cappellania isthaec, Sacerdos idem ab ipsomet testatore nominatus potuisset removeri; et tunc quam utilitatem ei contulisset fundator? et quid sibi vellent ea verba Bullae Episcopalis: *in Cappellanum dicti legati pii, salvis iuribus Episcopalibus, quoad vixeris instituimus, etiamsi postmodum tuae praebendae priorati quam possides renunciaverisf* Ex quibus apertissime probari asseruit Cappellanus, prout caeteris sic et sibi Cappellaniam concessam fuisse in perpetuum.

Id esse menti testatoris consonum autumavit; quia bona reliquit a bonis paroecialibus omnino distincta ita ut nulla adsit necessitas ut parochus sit etiam Cappellanus. Parochis autem iuspatronatus concessit exercendum, quoties Cappellania suo maneret viduata rectore, nullum vero ius, nullamque tribuit facultatem sese immiscendi in Cappellania cum haec plena esset.

Ut melius quaestio dignosceretur ex officio adiectum est, eamdem Cappellaniam characterem ecclesiasticum indubie possidere. Nam praecipuum ecclesiasticitatis characterem esse erectionem factam auctoritate Ordinarii omnes tradunt iuris Doctores, *argum. cap. Ad haec, de relig. Dom. § auctoritate* et tanta super hoc puncto est iuris doctorum concordia, ut Pyrrhus Corradus *Prax.* Rebuf. *lib. 1 cap. 2 n. 41 et 24,* et Amostazo *De Causis Piis Lib. 3 cap. 1 n. 7* asseruerint solam erectionem satis esse ad determinandam naturam ecclesiasticam Cappellaniae; quam sententiam confirmavit S. Rota in *Ripana Oratorii 10 maii 1591 coram* Gypsio *n. 4 et decis. 174 p. 18 n. 8 Recent.* Et ratio est quia hoc erectionis decreto bona separata a caeteris Deo dicantur.

Praeter erectionem ceteri characteres qui pressius naturam ecclesiasticam Cappellaniae indigitare viden-

tur, sunt dos, titulus, Ecclesia designata : S. Rota in *Papien. Beneficii* ***28*** *ianuarii* ***1754*** § *5 coram Brutto, S. C. C. in Firmana* ***8*** *augusti* ***1767*** § *Contendit,* quibus addi possunt nominationes et praesentationes patronorum Curiae exhibitae, institutiones datae, decreta de immittendo etc. quae omnia abhorrent a natura Cappellaniae laicalis Rota *coram Buratto Decis.* ***221*** *per tot. et Decis.* ***394*** *n.* ***4*** *coram Riminaldo.*

Eiusmodi characteres, qui omnes in praedicta Cappellania reperiuntur, sunt tanti ponderis, ut quamvis fundatio Cappellaniae esset contraria, eius naturam immutarent, si longissimi temporis spatio servata fuerint Amostazo *I. c. lib.* ***3*** *Cap.* ***2*** *n.* ***28.*** Insuper Episcopus potest, petente herede vel patrono vel etiam executore testamentario, Cappellaniam laicalem ex actu ultimae voluntatis constitutam, in ecclesiasticam convertere, dummodo testator a Cappellania Ecclesiastica alienus non fuerit: Piton, *de Controvers. Patronorum Alleg.* ***34*** *n.* ***20*** et alienus tunc tantum censetur, cum Ordinarium ab institutione Cappellaniae manifeste exclusit, Amostazo *loc. cit. lib.* ***3*** *cap.* ***13*** *n.* ***4;*** cum bona non Cappellaniae, sed Cappellano reliquit, Piton. *I. c. All.* ***49*** *n.* ***4;*** non alienus vero si erectionem Cappellaniae iusserit, si dotem, si ecclesiam designaverit. Et quamvis res dubia esset, tamen sanior pars Doctorum stat pro Cappellaniae ecclesiasticitate : Amostazo *I. c. cap.* ***2*** *n.* ***15.*** Piton. *I. c. All.* ***49*** *n.* ***27,*** *et All.* ***33,*** *n>**16.*** Barbosa *Iuris univers, lib.* ***2*** *cap.* ***3*** *n.* ***i,*** *Decis.* ***15,*** *n.* ***13,*** *Par.* ***3,*** *recent.*

His ponderatis, quae allata sunt, dubium de ecclesiasticitate Cappellaniae haud superesse potest; nam testator voluit erectionem; reliquit iuspatronatus personae ecclesiasticae, et ratione officii ecclesiastici, quod ex Reiffenstuel *lib.* ***3,*** *tit.* ***38,*** *n.* ***49,*** satis est ad patronatum efficiendum ecclesiasticum, si erectio Episcopi ad instantiam exequutoris testamentarii expleta fuit; dos relicta

Cappellaniae ; Ecclesia designata est ; et observantia longissimi temporis subsequuta est.

Posita vero huiusmodi natura cappellaniae, eandem aequiparari posse in omnibus beneficio ecclesiastico notum est : sed praecipuae beneficii notae sunt perpetuitas et inamovibilitas ; ergo praesens Cappellanus expelli nequibit, praecipue si attendatur eius pacifica et longissima possessio; pro qua, etiamsi fuerit triennalis, ex regula XXXVI Cancellariae, tutus maneret possessor in suo beneficio.

His in tuto positis, admitti etiam potest quod Cappellania de qua lis est sit laicalis; eo quod ex Card. De Luca *de Benef. Disc.* ***80*** *n.* ***10,*** cappellania laicalis, suapte natura, perpetua est. Admisso etiam quod eiusmodi Cappellania fuerit amovibilis; tamen exploratum in iure est ad removendum cappellanum in iis quoque cappellanis causam requiri et quidem haud levem; uti *argument, cap. Cum querelam de élection, tenent* Fagna P. ***2,*** *cap.* ***21,*** *eas.* ***40,*** *n.* ***10, 11.*** Rota *decis.* ***72,*** *n. i,* ***2,*** *cor.* Cavalier. *S. C. C. in Nullius Farfen. Cappellaniae* ***6*** *augusti* ***1791.*** Ast nulla remotionis causa a parocho allata fuit, neque consensus parochi defuit; eo quod per tot annos vidit Cappellanum in Cappellaniae possessione et siluit; quod silentium aequiparari potest tacito consensui.

His positis ex Utraque parte, duo quae sequuntur proposita fuere enodanda

Dubia.

I. *An parochi legitime Cappellaniam seu legatum possederint in casu.*

IL *An hodiernus Cappellanus non amplius parochus legitime retinere valeat Cappellaniam seu legatum in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Concilii Congr. die 10 Iunii 1876, causa discussa, respondere censuit:

Ad utrumque affirmative et amplius.

Ex QUIBUS COLLIGES.

I. Cappellaniam ecclesiasticam nomine tantum a veris beneficiis discriminan; eo quod ut eadem talis sit duo requiruntur, ceu in beneficiis, Decretum nempe erectionis in fundatione, et Bullae canonicae institutionis in collatione.

II. Ad laicalem vero instituendam Cappellaniam sufficere ut accedat actus Episcopi, quo in scriptis fiat mera ac nuda eiusdem cappellaniae acceptatio; ideoque ad istius legitimam acquirendam possessionem haud praescribi ecclesiasticae auctoritatis interventum.

III. Erectionem canonicam, pro constituenda cappellaniae ecclesiasticae natura, tanti ponderis esse, ex DD. sententia, ut ipsa satis sit ad discrimen ponendum inter laicalem et ecclesiasticam cappellaniam.

IV. Adesse tamen et alios characteres qui indolem et naturam cappellaniae ecclesiasticae pressius indigitare videntur, ceu sunt dos, titulus, ecclesia designata, et vocatio clericorum ad celebrandas missas per seipsos.

V. Cappellaniam, quae eisdem beneficii ecclesiastici characteribus praedita fuerit, eidem beneficio omnino aequiparari possem proindeque perpetuam et inamovibilem effici: dum beneficii ecclesiastici praecipue notae *perpetuitas* et *inamovibilitas* sint.

VI. Cappellaniam quoque laicalem, suapte natura ex Card. De Luca *de Benef. Disc. 80 n. 10* perpetuam esse; neque de ipsa amovibili cappellania removere posse cappellanum absque gravi causa.

VII. Cappellaniam, de qua in themate, haud praecipuis ecclesiasticis characteribus destitui videri; atque

insuper in casu vere defuisse grave motivum quo cappellanum exturbari potuisse a longa et pacifica possessione cappellaniae eiusdem, ceu requiritur ut id fieri possit super beneficio cuiuslibet naturae.

PRAEDICATIONIS.

Die 1 aprilis 1876.

Episcopus B. in relatione status suae Ecclesiae ad S. C. Congregationem transmissa die 7 ianuarii 1876 haec exponit: « Consuetudo viget in hac Dioecesi, qua « Parochi, caeteroquin assidui in Verbi Dei praedicatione « diebus Dominicis habenda, tamen plerique omittunt « omnino diebus festis de praecepto infra hebdomadam « occurrentibus. Quo posito ab ista Sacra Congregatione « humiliter quaerit - 1.° Utrum dicta consuetudo sit tole- « randa, et quatenus negative, - 2.° Utrum praecipi possit ((ac debeat Parochis, ut caeteris quoque diebus festis de « praecepto infra hebdomadam occurrentibus, eadem ra- <(tione ac Dominicis diebus praedicationis officio incum- « bant; et quatenus affirmative - 3.° Utrum liceat nonnul- « los excipere solemniores dies, quibus facultas sit Pa- **ci** rochis abstinendi a praedicationis officio ».

Disceptatio synoptica.

Comperti iuris est consuetudinem rationabilem ac legitime praescriptam esse tolerandam. Ipsa enim iuri scripto aequiparatur atque vim legis habet *cap. Cum tanto 11 De consuet., I. de quibus 32 ff. de Legibus.* Idque eo vel magis, quia parochi in themate assidui sunt in Verbi Dei praedicatione diebus Dominicis, ideoque fideles hoc salutari pabulo haud carent.

Verum utrum huiusmodi sit consuetudo, de qua in themate, vehemens dubium exurgit; ipsa enim vergere

videtur in praeiudicium animarum, cum rarius pusillis frangatur, et veluti subtrahatur esurientibus panis, quo scilicet Verbi Dei praedicatione omnes Parochi ex praecepto divino, ut ait C. Trid. *sess.* ***23*** *cap.* ***1*** *de Reform.* tenentur pascere oves sibi commissas, ideoque utpote irrationabilis nihili est habenda. Et optimo sane iure. Licet enim *consuetudinis ususque longaevi non vilis auctoritas est, verum non usque adeo sui valitura momento, ut aut rationem vincat aut legem (Can. Consuetudinis Distinct,* ***il).***

Insuper consuetudo praedicta adversatur nonnullis C. Tridentini capitibus satis clare de hac re verba facientibus. Sane in *Sess.* ***5*** *cap.* ***2*** *de Reform,* decernit: « ut Pa-
ce rochi vel quicumque curam animarum habentes per se,
« vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, *die-*
« bus saltem Dominicis et Festis solemnibus plebes sibi
« commissas pro sua et earum capacitate pascant salu-
ée taribus verbis, docendo ea, quae scire omnibus neces-
<(sarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevi-
« tate et facilitate sermonis vitia, quae eos declinare, et
ee virtutes, quas sectari oporteat, ut poenam aeternam
ee evadere, et caelestem gloriam consequi valeant » et
sess. ***22*** *c.* ***8*** *de Sacrif. Missae. «* Mandat Pastoribus et
<e singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter
ee inter Missarum celebrationem vel per se vel per alios
ee ex iis quae in Missa leguntur, aliquid exponant, atque
ee inter caetera sanctissimi huius Sacrificii mysterium ali-
ce quod declarent, *diebus praesertim Dominicis et Fe-*
ee *stis* ». In *sess.* ***24*** *c.* ***4*** *de Ref.* iniungit, ut praedicatio ad populum per Parochos habeatur saltem *omnibus Dominicis et solemnibus diebus festis;* quod et repetit in eiusdem *sess.* *cap.* **7** praescribens : « ut Parochi inter Mis-
ée sarum solemnia, aut divinorum celebrationem sacra
ee eloquia et salutis monita eadem vernacula lingua *sin-*

« *gulis diebus festis solemnibus* explanent . . . .atque eos « (parochianos) in Lege Domini erudire studeant ».

Cum itaque nulla exceptio admitti posse videatur pro diebus festis etiam solemnibus infra hebdomadam, sed omnibus indistincte Dominicis et diebus festis de praecepto Parochus, nisi legitime impeditus, teneatur per se verba salutis ad populum habere, sponte veluti sua fluit, quod consuetudo contraria tamquam corruptela sit reiicienda *cap.* ***1*** *de Consuet. in* **6,** eamque nedum specialiter reprobavit Trid. Syn. *Sess.* ***5*** *cap.* ***2*** *de Reform,* verbis illis « *Neque huius decreti executionem .... impediri valeat* » sed etiam sa. me. Innocentius XIII in Const. *Apostolici ministerii,* quam confirmavit Benedictus XIII Const. *In Suprema* 23 septembris 1724, in qua redarguit Parochos qui diebus saltem *Dominicis et festis solemnibus* plebes sibi commissas salutaribus verbis pascere praetermittunt vel ob consuetudinem, vel ob copiam praedicantium in aliis Ecclesiis « culpam huiusmodi a <(se amoliri nitentes vel praetextu immemorabilis, sed « quidem pravae consuetudinis, vel. quia haec ab ipsis « praestari necesse non videatur, suppetente nimirum « copia aliorum habentium sacras conciones in aliis Ec« clesiis », idem docuit f. m. Benedictus XIV in *Instit.* ***10*** *num.* ***3,*** et pluries declaravit Haec S. Congr. *ex gr. Montisfalisci* ***8*** *maii* ***1706,*** *Nullius Orbetelli* ***28*** *aprilis* ***1736,*** ac praecipue in *Pisana diei* ***30*** *augusti* ***1817,*** in qua cum Pisanus Archiepiscopus exposuisset se ut populi praesertim rudis ignorantiae consuleret, parochos ad familiares conciones inter Missarum solemnia omnibus diebus festis obligavisse, etsi tempore Adventus et Quadragesimae, quo sacrae conciones per praecones ab Ordinario approbatos haberentur, tamen S. Conc. Congr. respondit: « *in casu de quo agitur servandum esse decretum Archiepiscopi* » : videtur igitur haud esse dubitandum ab Episcopo Parochos obstringi posse ad concionem habendam

singulis diebus festivis de praecepto, maxime cum Trid. Syn. *Sess.* ***5*** *cap.* ***2*** *de Reform. « providae pastoralis Episcoporum sollicitudini* committat, ne illud impleatur; - *Parvuli petierunt panem et non erat qui frangeret eis.* - *Ier. Thren. 4 ».*

Caeterum Parochi de quibus in themate, qui assidui diebus Dominicis, teste Episcopo, explicationi Evangelii incumbunt, non videntur delinquere saltem contra substantiam ac finem praecepti Tridentini si una vel altera vice, prout diebus festis qui rari infra hebdomadas occurrunt, .omittant facere verba salutis ad populum sibi commissum. Concilium enim Trid. *Sess.* ***23*** *cap. i de Reform,* nihil decernit quoad tempus; et quamvis in supradictis decretis mandet, ut Parochi singulis diebus festis verbum Dei praedicent, haud tamen videtur tam rigorose praeceptum fuisse, ut ipsis non liceat absque culpa interdum hoc munus omittere ex. gr. si Parochi in audiendis suorum parochianorum confessionibus essent distenti, vel propter solemnitatem, vel a.liam iustam ac rationabilem causam. Idque eo vel magis, si prouti in themate praesumi forte potest, quod populi, quorum Parochi assiduam explicationi Evangelii operam navant, haud tantopere indigeant pabulo Verbi Dei. Quapropter videretur aliquantisper ipsis esse deferendum, si aliquoties attenta diei solemnitate vel alia de iusta ac rationabili causa populum sibi commissum salutaribus verbis haud pascant. Hinclicere videtur nonnullos excipere dies solemniores, quibus facultas sit Parochis abstinendi a praedicatione officio.

His itaque raptim expositis EE. PP. remissum fuit decernere quonam responso essent dimittenda Episcopi B. postulata.

RESOLUTIO.

Sacrae C. Concilii sub die 1 aprilis 1876, causa cognita responsum dedit:

Tenentur Parochi diebus Dominicis et Festis de praecepto Populo sermonem habere iuxta Conc. Tridentini praescriptionem; attamen erit prudentiae Episcopi dispensare ab hac ordinatione in aliquibus solemnioribus diebus.

EX QUIBUS COLLIGES :

I. Parochos, iuxta praescriptionem Conc. Trid. *Sess.* ***5*** *cap.* ***2*** *de ref.* teneri per se vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis, et festis solemnibus, sermonem Populo habere.

II. Neque admitti posse consuetudinem contrariam, quia ex Divino praecepto Parochi tenentur plebes sibi commissas pascere praedicatione Verbi Dei Dominicis et Festis solemnibus.

III. Ideoque eiusmodi consuetudinem ceu irrationabilem, et pro nihilo habendam esse, quia ipsum Tridentinum *Sess.* ***5*** *cap.* ***2*** *de ref.* eamdem reprobavit his verbis: *Neque huius decreti executionem consuetudo.... impedire valeat.*

IV. Remissum tamen esse arbitrio et prudentiae Ordinariorum aliquando ab onere isto dispensare in aliquibus solemnioribus, praesertim aliqua occurrente rationabili causa.

INTERPRETATIONIS.

Die 1 aprilis et 10 iulii 1876.

Compendium facti. Ecclesia C. anno 1819 ad Cathedralis honorem evecta fuit hac sub lege : ut nempe ex bonis Mensae capitularis erigerentur vigintiquatuor Canonicatus. « Hoc tamen (legitur in Bulla erectionis) ser-
« vato reparationis ordine, videlicet ut quatuor Dignita-
« tibus (quae in praedicto numero comprehenduntur)
« centum octoginta in earum singulas, et viginti Canoni-

a catibus (quorum pars Poenitentiarius, et Theologus ((sunt) centum pro eorum quoque singulis, et duodecim « Mansionariis, et unicuique eorum quinquaginta, Poe- « nitentiariae vero ac Theologali respective Praebendis, « ratione munerum et officiorum, pro tempore illas obti-- ((nentibus, adnexorum, ultra praefatos centum, alii vi- **ce** ginti quatuor ducati » assignarentur. Et prosequebatur Bulla quod, demptis praestationibus notatis, « superex- « tantes reditus, qui tertiam partem totalis summae, » singulis capitularibus', ut praefertur, assignatae con- **ce** stituunt, in usum distributionum quotidianarum fide- **cc** liter convertantur. Hac tamen inter Dignitarios et Ca- **ce** nonicos ac Mansionarios facta repartitione, ut propor- **ce** tionalis ratio summarum, quae Dignitatibus, ac sin- **et** gulis Canonicatibus, et Praebendis, ac Mansionariati- **cc** bus praedictis constitutae sunt, haberi semper debeat **ce** atque servari ».

Inter Capitulum et Canonicum Poenitentiarium anno 1875 quaestio enata est, utrum vigintiquatuor du- cata annua Poenitentiario attributa faciant partem prae- bendae, vel potius stipendium constituant separatum ac distinctum a praebenda, et solum ratione muneris et of- ficii debitum, ita ut Poenitentiario distributiones de- beantur habita ratione praebendae ducatorum centum, non vero centum viginti quatuor. Capitulum contendebat ab anno 1819 usque ad annum 1839 illa ducata viginti- quatuor ut stipendiuni considerata fuisse.

Poenitentiarius autem replicabat ab anno 1834 usque ad initium litis, uti partem praebendae retenta fuisse. Cum res haud componi potuisset amica transactione, Ca- pitulum, supplici porrecta» libello, petit ut quaestio istaec a S. Congregatione Concilii dirimeretur interpretans Bullam erectionis quoad augmentum constitutum pro canonicis Poenitentiario, et Theologo.

Disceptatio Synoptica.

CANONICI POENITENTIARII DEFENSIO. Triplici fundamento suam suffulsit orationem Poenitentiarii patronus; idest *litteris Apostolicis, Statuto Capitulari,* et *Praescriptione.* Quoad primum refutare sategit Capituli argumentum, quo contendit illa viginti quatuor ducata, quae addita fuerunt Praebendae non dari ratione *servitii chori,* sed ratione *muneris et officii* ideoque haud mereri praebendae nomen. Recitatis enim Uteris Apostolicis, edixit Canonicatibus Theologali, et Poenitentiario praebendas inhaerere; hinc sicut ducata 180, ducata 100 et ducata 50 praebendae naturam nanciscuntur, ita eamdem naturam praeseferre debent et ducata 24, quia unus est contextus, una periodus, eaedemque dictiones.

Insuper hoc seposito, ait, ab adversario vim inferri litteris Apostolicis, si contenderent ducata 24 constituere non praebendam, sed stipendium, ac salarium: sicuti enim dictum est : Poenitentiariae praebendae 24 ducata constituuntur, ita etiam Dignitatibus 180, Canonicatibus 100, Mansionariatibus 50. Audi sane textum : « *Poenitentiariae , Praebendae ultra praefatos centum alii* ***24*** *ducati constituuntur* ». Nec secus intelligi posse ait, siquidem ducata 24 in themate sunt ad ducata 100 *in ra-*< *tione accessorii ad usum principale,* quod manifestius erumpit a formula *ultra centum viginti quatuor.* Hoc posito exploratum in iure est, ait, accessorium nancisci naturam principalis De Luca *de praeeminentiis disc.* ***29,*** *n.* ***9****,* Henoch, *de praesumpt. lib.* ***4,*** *praesumpt.* ***110*** *n.* ***36.***

Pressius argumentum ursit innixus citatis bullae verbis « *ultra praefatos* ***100,*** *alii* ***24*** *ducati constituantur* » edisserens dictionem « alius » importare ut nomen cui adiicitur nedum naturam, sed et qualitates omnes secumferat nominis quod praecessit. Calvin, *lexicon.*

iurid. vocabulo *alius.* Nec aliquid officere verba illa a literis Apostolicis addita, scilicet *ratione munerum et officiorum* veluti si stipendium vel salarium distinctum a praebenda constituerent, scitum cum sit, quod Praebenda percipitur ex quo quis aliquod facit officium *Glos. cap.* ***9,*** *verb. receperunt de const.* Barbos, *de canon, et dignit. cap.* ***26,*** *num.* ***5,*** *et seq.* Calvin, *lexicon, iurid. Vocabulo Praebenda;* et quamvis praebenda idem sonet ac stipendium et salarium, tamen pro officio spirituali praebendae nomen assumit, pro officio autem profano illud salarii, ac stipendii adsciscitur Barbos, *iuris Eccl. univers, lib.* ***3,*** *cap.* ***8,*** *n.* ***4.***

Absurditatem autem praetensionis Capituli multum crescere, ait patronus, si parumper animadvertamus quod iura, quibus regimur, haud patiantur reditus pro officio Poenitentiarii assignandos alio quam praebendae nomine censeri. Idque praeter Concilium Tridentinum *Sess.* ***24,*** *cap.* ***8,*** *de ref or.* Barbosa *Collect. Doct. in d. Concil. Trid. cap.* ***8,*** *de Reformat, num.* ***6,*** probare conatur auctoritate S. Congr. Concilii in *Maioricen. Canonical. Theologalis,* ubi licet *stipendium* certum constitutum esset pro Sacrae Scripturae munere, atque officio, placuit tamen Episcopo eidem unire praebendam, cuiuscumque canonicatus primo vacaturi. Porro quae pro theologali praebenda constituta sunt, eadem pro poenitentiaria etiam obtinere indubii iuris esse arguit ex Petra in *Constit.* ***2,*** *Innocentai V n^**24** in Constit. Benedicti XIII « Pastoralis ».*

Ut demonstrationem urgeat patronus argumentum quoque trahit a vocabulo *singulis* in litteris Apostolicis adhibito, « *Dignitatibus, singulis canonicatibus, ac mansionariatibus* ». Etenim vocabulum illud haud casu adhibitum fuit, sed, ut innueretur ducata 24 utpote partem praebendae efformantia computanda fore in distributione et in reparatione distributionum quotidianarum.

Ad secundum transiens caput defensor, argumentum trahit ex Capitulari statuto, quod infra annum ab Ecclesia cathedrali instituta conditum fuit; et per idem diremptum esse quaestionem asseruit. In praeliminari enim titulo *n.* ***8,*** habetur quod reditus praediales Capituli ab oneribus purgati inhaerentibus, naturam praebendarum induunt usque ad ducatorum summam 180 pro Dignitatibus, ducatorum 100 pro Canonicis, ducatorum 50 pro Mansionariis, ducatorum 24 pro Canonico Poenitentiario, totidemque pro Theologo. Quod superest massam constituit communem sub natura distributionum quotidianarum divisibilium ratione respectivarum praebendarum iudicatarum. Ex quibus verbis nullum, ait, relinqui dubium, utrum ducata 24 partem integralem faciant praebendae poenitentiariae.

Tertiam tandem adgrediens defensor orationis partem loquutus est de observantia hac super re; asseruitque quod iam 40 anni praeterlapsi sunt, ex quo Poenitentiarii in huius iuris quasi possessione pacifice versati sunt. Quapropter etiamsi concederetur litteras Apostolicas, et Statutum Capitulare ipsi quodammodo refragari, observantiae tamen standum esset in hac dirimenda quaestione ad monitum Card. De Luca *de benef, diseurs.* ***67,*** *n.* ***6.*** Piton, *discept. Eccles.* ***85*** *n.* ***19.*** *Eo* vel magis, quia observantia quadragenaria ipsum beneficiorum statum mutare valet, Card. De Luca *De Benefic. disc.* ***27,*** *n.* ***18.*** Ex his ergo aliisque deduxit orator ducata 24 partem integralem praebendae poenitentiariae facere, ideoque computanda in repartitione distributionum.

CAPITULI DEFENSIO. Advocatus Capituli partes protuens verba Bullae in medium protulit; quae innuunt quod distributiones quotidianae dividendae sint proportionaliter - *inter Dignitarios, Canonicos et Mansionarios* - ad rationem praebendarum uniuscuiusque. Cum

vero Canonici ex eadem Bulla habeant praebendam ducatorum 100, inter quos accensetur Poenitentiarius, haud specialiter nominatus atque distinctus, sequitur eumdem habere debere partem canonicali praebendae parem, ad rationem videlicet ducatorum 100. Neque dicere prodest quod Poenitentiarius nanciscitur etiam 24 ducata; quia eadem assequitur non ratione praebendae, sed ratione *muneris atque officii* omnino a praebenda distincti, ceu habetur ex § *Poenitentiariae vero, cit. Bullae,* et disertis a Decreto Consistoriali eam praecedente, verbis : *Canonicis vero Theolog ali et Poenitentiario ad formam canonicarum dispositionum promovendis, ratione eorum respective muneris, attribuuntur singulis, ultra praebendas praedictas, ducata annua viginti quatuor.* Itaque comparatio fere instituitur in hoc decreto inter id quod debetur Poenitentiario uti canonico, et id quod debetur uti Poenitentiario; et asseritur suam praebendam canonicalem esse ducatorum 100, nam 24 data dicuntur *ratione muneris* et *ultra praebendam.*

Proindeque, conclusit orator, cum proportio distributionum, aliorumque redituum fieri debeat habito respectu ad praebendam Dignitatum, Canonicorum, et Mansionariorum, minime vero ad alia, ideo ducata 24 pro nihilo augent distributiones, de quibus loquitur. Id etiam roborare conatus est *Statutis Capitularibus* confectis paulo post Bullam editam sub die 20 novembris 1820. In his enim *art. 8* notantur omnes praecisive praebendae desumendae a reditibus praedialibus Capituli C. Dignitatum nempe in ducat. 180, Canonicorum (et in iis comprehenduntur Canonicus Theologus et Poenitentiarius) in ducat. 100, Mansionariorum in ducat. 50. His inde persolutis, detractisque oneribus, Statuta iubent: omne quod superest efformare debere massam communem sub indole distributionum quotidianarum, divisibilium ratione respectivarum praebendarum indicatarum.

Neque aliquid prodesse, ait orator, quod in Bulla legatur *annexorum;* nam idea annexionis necessario importat distinctionem inter rem adnexam, et alteram cui fit adnexio. Et distinctio haec exularet si Pius VII Auctor Bullae, facere voluisset praebendalia ducata 24; tunc ea in Bulla non distinxisset a praebenda; sed contra inter Dignitates, Canonicos, et Mansionarios, aduciendo Poenitentiarium cum Theologo, declarasset horum prae^ bendam constitui a ducatis 124, non a duc. 100.

Observantiam hac super re notavit defensor, parum contrariae parti prodesse. Nam si ordinarius anno 1838 approbavit posse Poenitentiarium distributiones capere ad rationem ducatorum 124 ; tamen ex testimonio archivii habetur Poenitentiarium, et Theologum ab anno 1819, nempe ab institutione Cathedralis, usque ad annum 1838 distributiones percepisse ad rationem ducatorum 100. Quum observantia sit optima legis fundationis interpres Lotter. *de re benefic. lib.* ***2,*** *quaest,* ***il,*** *n.* ***125.*** Cardinal. De Luca, *de iure patr. disc.* ***60,*** *n.* ***3.*** Tondut. *quaest, beneficiai, part.* ***8,*** *n.* ***42;*** tamen maiorem sibi vindicat auctoritatem, si ut in casu sit illi proxima et coaeva. Piton. *discept, ecclesiast. disc.* ***159,*** *n.* ***44*** § *Habemus.* —

Tandem aiebat defensor quum Bulla Pontificia *clausula irritanti* munita sit; ideo ad convellenda quae inibi statuta fuere haud opus esset praescriptione tricenaria tantum, sed desideraretur omnino praescriptio immemorabilis. Garzia *de benefic. part.* ***7,*** *cap.* ***10,*** *n.* ***36.*** Pax Iordan. *lucubrat. canonie, tom.* ***2,*** *lib.* ***10,*** *tit.* ***27*** *n.* ***11.***

Attamen quoniam in themate agitur de corpore morali, seu de Capitulo, cui praeiudicium irrogaretur in perceptione propriarum distributionum per Poenitentiarium, neque centenaria ipsa aut immemorabilis praescriptio, si adesset, sufficeret. Quod ex Piton, *de controv. patr. allegat.* ***Il,*** *n.* ***22,*** *contra propria iura venientes non cadit praescriptio, quia nequeunt antecessores praeiudi-*

care successoribus nondum natis, neque actioni nondum ortae praescribitur, facile constare ait.

His aliisque in utramque partem expensis, enodandum propositum fuit sequens

Dubium

Än ducata vigintiquatuor Praebendae Poenitentiariae ita constituta censenda sint ut distributiones adaugeant in casu f

RESOLUTIO.

Sacra-*Concilii Congregatio, die 1 aprilis 1876 causa ponderata, responsum dedit *Dilata.*

CAUSAE PROSEQUUTIO. Eiusmodi dilationis ratio orta est ex gravi dubio super genuinitate statutorum; particula enim a Capitulo exhibita haud consonabat cum illa a Poenitentiario producta. Ideoque, re confecta, iterum causa proposita fuit sub eadem dubitandi formula. Cui dubio eadem S. Concilii Congr. die 10 iunii 1876 respondere putavit.

Affirmative etiam pro Praebenda Theologali et amplius.

EXINDE COLLIGES :

I. Quidquid respicit Canonici Poenitentiarii honestam sustentationem, institutionem, omniaque alia ad illius officium spirituale pertinentia respicere et Canonicum Theologum ex Constit. Benedicti XIII « *Pastoralis officii* ».

II. Ideoque S. C. Congregationem de Poenitentiario quaestionem dum resolveret in responso comprehendisse etiam theologum canonicum, quorum praebendas eadem comitantur adiuncta,

III. Colligi ex Conc. Trid. *Sess. 24 cap. 8,* et ex DD. sententia reditus assignandus pro poenitentiarii officio,

nulla alia ratione haberi posse, quam sub praebendae nomine.

IV. Erui insuper ex canonica iurisprudentia, quod praebendae nomen tribuitur tantum officio, cui annexum sit aliquod spirituale obsequium; nomina vero *stipendium* et *salarium,* quamvis idem sonent ac *praebenda,* propria sunt officii mere profani.

V. Ideoque etiam in themate quidquid collatum fuerit Poenitentiario et Theologo, propter eorumdem spiritualia officia, haud aliter venire posse quam sub praebendae nomine.

EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

TRANSLATIONIS PAROECIAE.

Die 2 iunii 1876.

Compendium facti. Parochus S. Iuliani Martyris e Dioecesi M. die 13 martii 1873, supplici dato libello, Sanctissimo Patri haec ostendebat: Sese Ecclesiam habere parochialem, quae impar evaserat pro numero fidelium, quaeque indecens esset cultui divino; utpote quae maxima indigeret instauratione. Sacra insuper linteamina, sacrasque supellectiles foeda humiditate putrescere retulit; ita ut neque sibi ex medicorum consilio prudens foret debitam habere residentiam in attigua Sacristia. Quapropter petiit ut sibi liceret, praevio Apostolico indulto, paroeciam in Ecclesiam S. Michaeli Archangelo dicatam transferre; quoniam satis ampla et apta numero fidelium sit. Eiusmodi enim Ecclesiam a Sodalitio S. Michaelis Archangeli olim dono datam fuisse, ait, fratribus Tertii Ordinis **S.** Francisci, variis sub conditionibus; qua-

rum alteram casui proprio esse propitiam. Conventum namque erat de communi concordia quod si aliquando in posterum sive Religiosis non amplius placeret cultui inservire divino in illa ecclesia, vel ab ea, quacumque de causa, vi eiicerentur, (uti nunc per gubernium italicum accidit) ecclesia eadem rediret in iurisdictione Sodalitii, *cum omnibus iuribus et pertinentiis universis.* Sodalitium eripuisse iam, ait Parochus, ab unguibus *Demanii* ecclesiam eiusque bona paene tota, sibique plenis suffragiis eamdem offerri eo consilio ut inibi paroecia transferretur.

Ordinarius, a quo S. Congregatio expoposcerat, ut referret de interesse habentibus, deductiones protulit, quas in casu exhibuit P. Provincialis Tertii Ordinis **S.** Francisci, quaeque fuerunt sequentis tenoris. Religiosos cedere Parocho usum Ecclesiae, donec iidem ibi redirent; manente tamen apud Ordinem iure proprietatis super eadem ecclesia eiusque bonis. Adiecit etiam onus vindicandi a *Demanio* nonnulla bona Conventus; quorum reditus interdum inservirent divino cultui, et onus restituendi Fratribus Ecclesiam et bona, casu quo iidem in pristinum redirent. Ordinarius praeterea retulit Sodalitium a SSmo Rosario nuncupatum suum ius in actuali ecclesia paroeciali protuens sese opponere praedictae translationi. Proindeque, prosequebatur ille, censerem supplicanti gratiam fore concedendam P. Provincialis comitatam conditionibus ; ita tamen ut ecclesia S. Iuliani Paroecialis permaneat ; ibique habeatur fons baptismalis ; Missae iuxta onera annexa, functionesque sacrae ibi celebrentur, divinumque verbum in ea fidelibus tradatur.

Disceptatio synoptica.

IURA SODALITII SSMI ROSARII. Patronus ut iura sui clientis sarta tectaque manerent, evincere primo conatus est eiusmodi paroeciae translationem, neque *necessariam*

neque *utilem* fuisse. Ait enim ut nova erigi possit Paroecia causas graves et evidentes a Tridentino requiri; uti sunt vel locorum distantia, aut nimia ad Paroeciam accedendi difficultas pro recipiendis sacramentis. Quod per Doctores docetur inhaerentes *Capiti IV Sess. XXI de ref. Concilii Tridentini : In iis vero, in quibus ob locorum distantiam, sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, et divina officia audienda accedere non possunt, novas parochias etiam invitis Rectoribus iuxta formam Constitutionis Alexandri III, quae incipit* ***a*** *Ad audientiam », constituere possint.* Ad necessitatem dismembrationis alicuius paroeciae inducendam haud sufficere ait parochianorum augmentum, eo quod augmento huic consuli posset per capellanum aut per coadiutorem. Sed requiri insuper ut adsit *magna distantia* loci, vel alia necessitas evidens, puta si extaret medius fluvius, vel torrens inter Ecclesiam et partem, populi illi subiecti, qui exundans ita iter obsideat, ut aliquando cogantur infirmi sine ecclesiasticis sacramentis decedere. Antonelli *Lib. III Cap.* ***8*** *n.* ***26;*** Card. De Luca, *Adnotation. ad S. C. Trid. Disc* ***16*** *n.* ***3.***

Edixit autem Advocatus praeter rationes manifestae *necessitatis* et *utilitatis* requisitas ad novam erigendam Paroeciam hic necessario sequendam esse dispositionem Tridentini *Sess.* ***21,*** *cap.* ***7,*** *de ref.* quoniam agitur de *translatione* paroeciae.

Vi enim capitis huius Ordinariis conceditur ceu remedium extraordinarium ius translationis ; quum tamen alia inutiliter experti fuerint remedia ad id - ibi : *Cum illud quoque valde curandum sit, ne ea quae sacris ministeriis dicata sunt, temporum iniuria obsolescanl, et ex hominum memoria excidant: Episcopi, etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati, transferre possint beneficia simplicia, etiam iuris patronatus, ex Ecclesiis quae vetustate, vel alias collapsae sint, et ob earum inopiam ne-*

queant instaurari, vocatis iis quorum interest, in matrices aut alias ecclesias locorum eorumdem, seu viciniorem arbitrio suo. . . . Parochiales vero ecclesias, etiamsi iurispatronatus sint, ita collapsas refici et instaurari procurent. Quum Trid. varias suggesserit rationes pro ecclesiarum instauratione, tandem prosequitur: *Quod si nimia egestate omnes* (nempe Patroni, et Paroeciani) *laborent ad matrices, seu viciniores ecclesias transferantur.* Quapropter aiebat orator, translatio fieri nequit nisi talis habeatur Ecclesia quae vetustate vel alias collapsa sit, et ob eius inopiam nequeat instaurari. Praeterea neque angustam dici posse paroecialem ecclesiam, eo quod per duo saecula cum dimidio necessitatibus spiritualibus inservient. Et augmento fidelium provideri possit alio modo; ut esset per coadiutorem aut per ecclesiam succursalem, ceu innuit *Trid. Sess. XXI, c. 4, de ref.* Neque obiicere potuisse parochum ob instaurationum defectum, ecclesiam factam fuisse pro cultu divino in decentem : nam De Luca *adn. ad Conc. Trid. disc. 18, n. 8,* autumat quod instaurationum cura *regulariter spectat ad ecclesiae Rectorem.* Ideoque quum non sit ecclesia neque vetustate prolabens, neque respective pauper (quia Sodalitium SSmi Rosarii, et Parochus insimul tenentur ad instaurationes necessarias), causae desunt, quibus concedi possit implorata translatio.

Evincere autem sategit advocatus neque utilem fuisse translationem istam, dum in centro populi sita fuerit ecclesia S. Iuliani. Proindeque cum translatio neque necessaria, neque utilis dicenda sit, considerari potest uti infecta ex regula *64 iuris in 6. Quae contra ius fiunt, debent utique pro infectis haberi.*

Transiit deinde Orator ad evincendum eiusmodi translationem haud concedi posse, quoniam pacta conventa cum Sodalitio SSmi Rosarii violarentur. Quo casu cum parochus et Sodalitium teneantur insimul providere

Ecclesiae necessitatibus, si parochus relinquens ecclesiam suam ab obligatione eximeretur, neque Sodalitium ad id adigi posset pro rata suae partis.

Tandem Orator asseruit haud posse eiusmodi translationem concedi, utpote quae a Tridentino prohibeatur, et aliena laedat iura. Ecclesia enim, in quam transferri quaesitum fuit paroeciam, ad Religiosos Tertii Ordinis pertinuit, et nunc vi legis civilis rediit in potestate Sodalitii S. Michaelis. Ast Concil. Trid. *Sess 25, cap.* **9,** unire vetat beneficium parochiale cum ecclesia iuris patronatus, - ibi : *Insuper accessiones, per viam unionis factae de beneficiis liberis ad ecclesias iuripatronalui etiam laicorum subiectas, tam ad parochiales, quam ad alia quaecumque beneficia etiam simplicia, seu dignitates, vel hospitalia, ita ut praedicta beneficia libera eiusdem naturae cum iis, quibuscum uniuntur, efficiantur, atque sub iuspatronatus constituantur; hae. . . . quacumque auctoritate concessae fuerint, simul cum unionibus ipsis per subreptionem obtentae intelligantur.*

Neque abs re insuper est animadvertere, ait Orator, quod iura Religiosorum adhuc, iuxta leges ecclesiasticas, sarta tectaque manent; quia lex civilis pro nihilo eadem immutare potuit. Ideoque ecclesiam S. Michaelis adhuc in iurisdictione canonica Fratrum Tertii Ordinis manere certum est; quamque privilegio exemptionis gaudere nemo ambigit.

IURA PAROCHI S. IULIANI. Patronus praemittit parochum coactum fuisse paroeciam transferre, modo provisorio, in Ecclesiam S. Michaelis a contagio quod audit *cholera morbus;* ideoque si id peregit proprio arbitrio a necessitate tamen excusari videtur. Ad evincendam autem translationis necessitatem asseruit ecclesiam actualem incapacem esse ad capiendos septem millia paroecianorum eo quod angusta sit, et ita parum decens, ut Episcopus in ea confirmationis sacramentum administrare

renuerit. Dum ex adverso Ecclesia S. Michaelis satis ampla sit et functionibus sacris apprime accommodata; facile ad eam populus accedat, et nullo mercatorum et viatorum fideles disturbentur convicio dum preci incumbunt; quod in altera continuo habebatur. Municipes autem congruam haud amplius solvere velle nisi translatio locum haberet, ex quo fieret, ut lis inter auctoritatem ecclesiasticam et laicam exardesceret, Parocho et Capellanis reditus omnes subducerentur, et probabiliter Ecclesia claudi cultui divino deberet. Quibus in adiunctis Dicasteria sacra induisisse eiusmodi translationes constare ex Lotter. *de re benefic. lib.* ***1,*** *quaestio* ***28,*** *n.* ***78,*** *et seq.* S. Rota *Cracovien. Canonicatus* ***15*** *ianuar.* ***1725*** *cor. Calcagnino,* et ex Amerina *translationis* ***8*** *maii* ***1706;*** in ista agebatur de difficultate quam paroeciani habebant pro adeunda veteri eorum ecclesia. Et dubio proposito: *An sit locus petitae translationi* ***f*** S. Congregatio respondit: *Affirmative ad novam ecclesiam aedificandam, et interim per modum provisionis omnia munia parochialia exercenda esse in Ecclesia S. Aegidii.* Idem ait resolutum fuisse in *A esina, translationis Ecclesiae parochialis* ***7*** *Decemb.* ***1709.***

Ut patronus responderet difficultatibus, quas pars adversa deduxit ex *cap.* ***7,*** *sess.* ***21,*** Conc. Trid. dixit quod etiamsi in themate ageretur de perpetua translatione prostarent duo extrema a Tridentino volita, defectus nempe redituum in Paroecia, et indigentia parochianorum qui adigi nequirent ad eam restaurandam. Etenim bona huius Ecclesiae et decimae subducta fuerunt; et Municipium ipsum sustinet cultus divini expensas, et congruam suppeditat paroecialem. Quoad pacta conventa inter parochum et Sodalitium, pro quibus expensarum medietas cuique sustinenda erat; Ordinarii auctoritatem retulit. Episcopus enim edixerat quod Sodalitium ipsum ad vitandas tristes consequentias, et ad maiorem

Dei gloriam annuere translationi debuisset, unaque cum Parocho media opportuna praebere. Ast id quum non fecisset ei opus est ut oppositionis consequentias sufferat, ceu habetur in *can. fin. distinct. 14. Multa esse quae aut pro necessitate temporum, aut pro consideratione aetatum oporteat temperari.* Fretus tandem Episcopi auctoritati retulit : Sodalitii reditus tales fuisse qui sufficere potuissent pro cultu divino, et pro servanda fabrica. Quod si Fratres Tertii Ordinis in pristinum redirent paroecia posset aut coexistere cum Religiosis, vel remeare apud S. Iulianum, quatenus per Sodalitium instaurationes necessariae peractae fuissent in illa ecclesia, vel aliam quaerere ecclesiam.

Quibus deductionibus in utramque partem peractis sequens propositum fuit enodandum

Dubium.

An et quomodo annuendum sit petitae translationi Paroeciae S. Michaelis in casu.

RESOLUTIO.

Sacra Congr. E. et R. die 2 iunii 1876, causa discussa, respondere censuit : « *Permittendum esse ut Parochus S. Iuliani aliquas functiones parochiales peragat in Ecclesia S. Michaelis iuxta determinationem Episcopi, salvis tamen iuribus Tertii Ordinis S. Francisci, titulo parochiali permanente in Ecclesia S. Iuliani, et firma obligatione Parochi contribuendi una cum confratribus SSmi Rosarii ad reparationem Ecclesiae quamprimum faciendam* ».

EXINDE COLLIGES :

I. Ex Concilio Tridentino ad alicuius ecclesiae paroecialis translationem peragendam requiri quod ecclesia

eadem vel vetustate vel alias collapsa sit, et ob inopiam instaurari nequeat.

II. Quapropter eiusmodi translationem concedi a S. Sede solere ceu remedium extraordinarium; quatenus nempe Episcopus inutiliter omnia alia remedia expertus fuerit.

III. Atque ita remedium translationis esse extraordinarium ut concedi haud soleat nisi prius Episcopus procuraverit Ecclesiam collapsam reficere ex fructibus eiusdem; et in istorum defectu, nisi ad eamdem instaurationem prius vocaverit patronos ipsos eosdemque parochianos, et omnibus opportunis remediis ad id eos coegerit.

IV. Ut nova erigi possit paroecia requiri ex Tridentino ipso causas graves et evidentes; uti sunt locorum distantia, et gravis difficultas, ex itineribus dissitis, accedendi ad Paroeciam pro fidelibus.

V. Etenim supremam et praecipuam normam, qua novae ecclesiae paroecialis erectio conceditur in hoc positam esse, ne salus aeterna christifidelium in discrimen abducatur per graves difficultates interpositas ad sacramenta recipienda, et divina audienda officia.

VI. In themate omnia haec adiuncta haud adfuisse videntur, quibus freta S. Congregatio concedere potuisset plenam atque perpetuam translationem; atque insuper sese opposuisse iura Religiosorum Tertii Ordinis, et pacta conventa inter Parochum et Sodalitium SSmi Rosarii.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

MONITUM. Ut pii lectores certiores fierent de requisitis ad indulgentias lucrandas benigne concessas recitantibus Hymnum - *Veni Creator* - retulimus pag. 163, Vol. huius, Breve Pii VI ad id exaratum. Nunc aliud

Breve eiusdem Pontificis nobis exhibetur, ut in lucem edatur, quod idem respicit obiectum. Cui censemus adhaerendum esse, quia posterius est.

SSMI. D. N. PII VI BREVE, QUO VARIAE, CONCEDUNTUR INDULGENTIAE RECITANTIBUS HYMNUM « VENI CREATOR ».

Pius Papa VI. Ad perp. rei mem. Vehementer Nos esse sollicitos, atque in id omni cura, et cogitatione incumbere oportet, his alienissimis temporibus, quibus tam gravi, ut nefario bello undique adpetitur Ecclesia Christi, cui divina benignitate praesumus, ut Fideles eius Filii sint contra impetus insidiasque hostium optime tuti, ac muniti. Qui certe non alio opportuniore armorum genere instrui possunt, quam precibus, ad illum praesertim fusis Paraclitum, et Spiritum veritatis, qui singulari quodam, et excellenti beneficio Christi, mansurus est cum Ecclesia sua in aeternum, sine cuius vero ope nemo dicere potest Dnus Iesus, qui adiuvat infirmitatem nostram, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris. Quod igitur similibus in difficultatibus, et angustiis rerum sanctissimi viri consueverunt, id ut facere instituant Christifideles omnes paterno illos amore, atque studio monemus et hortamur. Itaque de omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac S. Communione refectis, qui semel, aut pluries in die Hymnum - Veni Creator Spiritus, Mentes etc., - vel sequentiam - Veni Sancte Spiritus -, ac etiam quocumque alio idiomate, devote recitaverint, et pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam in uno die cuiuslibet mensis dumtaxat per unumquemque Christifidelem ad sui libitum eligendo lucrifaciendam omnino peccatorum

suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper iisdem Christifidelibus contritis dictum Hymnum vel Sequentiam Dominica Pentecostes, singulisque diebus intra illius Octavam ut supra recitantibus, et ut praefertur orantibus, tercentum dies; in quolibet vero ex reliquis diebus totius anni, quoties id egerint, centum dies de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes, et singulas Indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes, etiam Animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse in Domino indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die vigesima sexta maii millesimi septingentesimi nonagesimi sexti, Pontificatus Nostri Anno vigesimoseeundo.

R. Card. BRASCHITJS DE HONESTIS.

Lo £g co Annuli Piscatoris.

Iulius Maria etc.

Publicetur in forma Ecclesiae consueta etc. hac die 12 augusti 1796.

F. X. Archiepiscopus Lariss. *Vicesgerens.*

Breye quo Indulgentiae concessae pro una Dioecesi quoad S. Seapulare SS. Cordis Iesu et Purissimi Cordis B. M. V. ad alias extenduntur Dioeceses.

PIUS PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Exponendum nobis curaverunt, venerabiles fratres, Felix Episcopus Nanneten, et Alexander Leopoldus Engolismen. Apostolicis litteris datis die xvi mensis februarii anno MDCCCLXXII nonnullas indulgentias concessas fuisse Christi fidelibus Dioecesis Lucionen, qui sacrum Scapulare SS. Cordis Iesu et Purissimi Cordis B. Mariae Virginis a Presbyteris Congr. Filiorum Mariae Immaculatae, quorum domus princeps est in ea Dioecesi, benedictum impositumque iuxta formulam a Sacrorum Rituum Congregatione die XVIII mensis ianuarii illius anni adprobatam suscepissent. Iamvero cum praefatae Congregationis Presbyteri in aliis quoque Gallicis Dioecesibus, et domus habeant et Missionibus ac spiritualibus exercitiis ad aeternam Christi fidelium salutem promovendam operam impendant; venerabiles fratres, quos supra memoravimus, humiles nobis preces adhibuerunt, ut praefatas indulgentias reliquarum Galliae Dioeceseon Christi fidelibus concedere dignaremur, in quibus dictae Congregationis Presbyteri sacrum Ministerium exerceant. Nos igitur piis huiusmodi precibus benigne in Domino obsecundare volentes, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus fidelibus vere poenitentibus et confessis ac S. Communione refectis, qui die qua scapulare in honorem SSmi Cordis

Iesu, et amantissimi Cordis Deiparae Mariae V. I. a quovis e Presbyteris memoratae Congregationis in illis Dioeceseon Galliae locis ubi vel domos habent, vel sacrum ministerium de respectivorum Ordinariorum consensu exercent, benedictum impositumque susceperint, dummodo idem Scapulare iuxta formulam a Congregatione VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus tuendis praeposita die XVIII ianuarii anni MDCCCLXXII adprobatam benedictum atque impositum fuerit, Plenariam; nec non eisdem fidelibus in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vero quoque poenitentes et confessi, ac S. Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, etiam Plenariam; praeterea eisdem vere poenitentibus, et confessis ac S. Communione refectis, qui quamlibet Ecclesiam Dominica post octavam Solemnitatis SSmi Corporis Christi ac die quo festum SSmi Cordis B. Mariae V. I. iuxta Kalendarium respectivae Dioecesis celebrare solet, singulis annis devote visitaverint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praefatorum id egerint, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Quas omnes et singulas Indulgentias, ac peccatorum remissiones etiam animabus Christifidelium quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce. migraverint per modum suffragii applicari posse impertimur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis eadem prorsus

fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si fuerint exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die tertia martii MDCCCLXXVI, Pontificatus Nostri anno trigesimo.

Pro D. Cardinali ASQTJINIO

D. Iacobini, *Substitutus.*

L. © S.

Concordat cum Originali.

Lucioni 5 iunii 1876.

L. © S.

M. Garreau, *Vicarius Generalis.*

Praesentes litterae Apostolicae exhibitae fuerunt in Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae iuxta decretum diei 14 maii 1856. In fidem.

Datum Romae ex eadem Secretaria die 20 sept. 1876.

Dominicus Sarra, *Substitutus.*

Brere qno indulgentia 300 dierum conceditur ad instantiam Eminentissimi Card. Archiepiscopi Dioecesis Firmanae cuidam piae Societati erigendae ad promovendum cultum externum SS. Sacramenti.

PIUS PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Cum omnes religiosae actus pietatis, tum illi sunt maxime christifidelibus salutares, qui ad Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum referuntur; hoc enim est ex-

cellentissimum Iesu Christi Domini Nostri charitatis erga nos pignus certissimum, ex quo manant ad nos divitiae immensae bonitatis Dei. Quamobrem cum dilectus filius noster Philippus S. R. E. Cardinalis De Angelis Ecclesiae Firmanae ex concessione et dispensatione Apostolica Praesul, humiles nobis Piae Societatis nomine cultui externo erga Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum promovendo in Parochiali S. Francisci ecclesia Civitatis Firmanae canonice erigendae preces adhibuerit, ut partialem tercentorum dierum Indulgentiam omnibus Christifidelibus largiri dignaremur, qui Augustum Sacramentum devote visitaverint, et ante ipsum adorabundi oraverint; Nos piis huiusmodi precibus libenti animo obsecundavimus. Itaque omnibus utriusque sexus Christifidelibus qui corde saltem contriti Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in qua cuique libeat ecclesia devote visitaverint, et ante Ipsum orationem Dominicam Salutationem Angelicam, et orationem vulgo> *Gloria Patri* quinquies recitaverint, ac praeterea easdem preces semel repetiverint pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, qua vice id egerint, tercentos dies de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma ecclesiae consueta relaxamus. Quas poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae praemunitis, etiam impressis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud S. Pe-

tram sub annulo Piscatoris die decimaquinta septembris millesimo octingentesimo septuagesimo sexto, Pontificatus Nostri anno trigesimo primo.

Pro D. Cardinali ASQUINIO.

L. © S.

D. Jacobini, *Substitutum.*

Praesentes litterae apostolicae exhibitae fuerant in Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae iuxta decretum diei 14 maii 1856. In fidem etc. Datum Romae ex eadem Secretaria die 20 septembris 1876.

Dominicus Sarra, *Substitutus.*

BREVE QUO PLENARIA CONCEDITUR INDULGENTIA FIDELIBUS DIOECESIS BRUG-ENSIS PRO OCTAVA FESTIVITATIS OMNIUM SANCTORUM.

PIUS PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Spirituali Fidelium bono et consolationi quantum in Domino possumus consulere et porrectis nobis precibus nomine venerabilis fratris Ioannis Iosephi Episcopi Brugensis benigne annuere volentes, omnibus et singulis e Dioecesi Brugensi utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac S. Communione refectis, qui propriam cuiusque Parochialem Ecclesiam a vigilia festi Celebritate Omnium Sanctorum usque ad diem nonum mensis novembris uno, quo cuique libeat, ex his decem diebus, singulis annis devote visitaverint, ibique pro Christianorum. Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate

coniunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium Literarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent axhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die vigesimo sexto septembris millesimo octingentesimo septuagesimo sexto; Pontificatus nostri anno trigesimo primo.

Pro D. Cardinali ASQUINIO.

D. Iacobini, *Substitutus.*

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

EX PROPOSITIONIBUS CONSISTORIALIBUS.

Die 18 decembris 1876.

Sanctissimus D. N. Consistorium secretum habens die 18 decembris mane in aedibus Vaticanis, quum Emus atque Revmus Cardinalis Caterini optavisset Diaconiam S. Mariae *in Via Lata,* aliam S. Mariae *de Scala* in commendans retinens; et quum, de more, os clausisset Emo atque Revmo D. Cardinali Ioanni Simeoni, creato die 15 martii 1875, publicatoque die 7 insequentis septembris, sequentes proposuit Ecclesias :

METROPOLITANAM ECCLESIAM S. **SALVATORIS IN BRASILIA** vacan, per obitum bo. me. Emmanuelis Ioachim de Silveira ultimi illius Archipraesulis extra romanam curiam defuncti: Sanctissimus transtulit ad relatam Metropolitanam Ecclesiam R. P. D. Ioachim Gonçalves

de Azevedo, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, cum de mense Septembris .1865 Cathedrali Ecclesiae Goyasensi praefectus fuit.

In ea Americae meridionalis parte, quae perampla Brasiliae dominia comprehendit, sinum quemdam efformat Oceanus, qui Bahia omnium Sanctorum nuncupatur, et ubi aedificata cernitur civitas S. Salvatoris, quae plena collibus, satis ampla et prope mare sita salubri potitur aere, unius circiter leucae est ambitus, atque a centum viginti fere millibus inhabitatur incolis sub dominio praefati Serenissimi Imperatoris.

Metropolitana Ecclesia satis ampla et antiquo more extructa SSmi Salvatoris titulo gloriatur, eique undecim suffragantur Episcopi.

Eius Capitulum quinque recenset dignitates, quarum post pontificalem prima Decanatus, novem integrae, et quatuor dimidiae praebendae Canonicos, cum Poenitentiario, duodecim insuper Capellanos, aliosque Presbyteros et Clericos rei divinae operam navantes.

Per alterum ex Canonicis animarum cura ipsamet exercetur in Metropolitana.

Undecim praeterea recensentur in urbe S. Salvatoris paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, Collegiata, octo pro viris, et quatuor pro mulieribus monasteria, plures laicorum sodalitates, duplex hospitium, decem hospitalia, duplex seminarium, ac mons pietatis.

Archidioeceseos ambitus ad biscentum magnitudinis leucas protenditur, provincias Bahiae et Sergipis, plurimasque sub se complectitur paroecias.

CATHEDRALEM ECCLESIAM CARTHAGINEN. vacan, per obitum, bo. me. Francisci Landeira y Sevilla ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti : Sanctissimus ad praesentationem Serenissimi Regis Catholici transtulit ad recensitam Ecclesiam R. P. D. Didacum Marianum Alguacil et Rodríguez, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, sive cum labente anno **1858** Pacensi Ecclesiae praefectus, sive cum de mense Decembris **1861** ad Ecclesiam Victoriensem translatus fuit.

Carthaginensis Episcopatus sedes constituta est in Murciae civitate, quae amoena in planitie ad Saguram fluvium aedificata ab octo circiter mille familiis, vel a septemdecim poene mille, suburbiis comprehensis, inhabitatur incolis sub temporali dominio praefati Serenissimi Regis Catholici.

Cathedralis Ecclesia, solidae structurae, Binae Virginis Mariae

de Gratia titulo gloriatur, atque Granatensi Archiepiscopo suffragatur iuxta Literas Apostolicas « ***ad Vicariam*** » datas nonis Septembris **1851.**

Eius Capitulum ex praecitatis Literis Apostolicis quinque adnumerat dignitates, quarum post pontificalem prima Decanatus, quatuor insuper cum theologo ac poenitentiario Canonicos ***de oficio,*** novem ***de gracia,*** et quatuordecim Bénéficiâtes divinis inservientes.

Undecim recensentur Murciae paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, septem mulierum monasteria, quaedam laicorum sodalitates, hospitale, mons pietatis, ac duplex seminarium.

Dioeceseos ambitus ad viginti tres leucas in latitudinem, ad triginta quatuor in longitudinem protenditur, Collegiatam et plura sub se complectitur loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM CAPUTAQUEN. ET VALLEN, vacan, per obitum bo. me. Ioannis Siciliani ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti: Sanctissimus transtulit ad recensitam Ecclesiam R. P. D. Petrum Maglione, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, cum de mense Iunio **1874** Cariatensis Ecclesiae praefectus fuit.

Caputaquii civitas in provincia Principatus citerions agri Neapolitani sita, et veteri eiusdem nominis civitati labente saeculo duodecimo direptae, atque ab hostibus pene eversae suffecta, cum praesto numquam habuerit ea, quae pro Episcopali residentia atque decore opportuna et necessaria esse debent, hinc huius Episcopatus Sedes constituta fuit in oppido vulgatim nuncupato ***Vallo,*** unde illi nomen deinceps Caputaquense et Vállense.

Valli itaque oppidum civitatis titulo ita condecorata! parum a maris litore distans, medio in loco fere est ab hodiernis extremis Caputaquensis dioeceseos finibus ad oram Salernitani sinus, optimis innata domibus, quas sex pene mille inhabitant cives.

Cathedralis Ecclesia S. Pantaleonis Martyris titulo gloriatur, amplum satis ac decens praefert aedificium, atque Salernitano Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum duas recenset dignitates, quarum post Pontificalem prima Archidiaconatns, duodecim Canonicos cum theologo ac poenitentiario, sex Beneficiatos-Mansionarios, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Per secundam Archipresbyteri dignitatem, cui sex Mansionarii auxilium praestant, animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Tres, praeterea memorata in urbe recensentur paroeciales Eccle-

siae, duo virorum monasteria unum oblatarum conservatorum, plures laicorum sodalitates ac seminarium; hospitale autem et mons pietatis desiderantur.

Satis ampla est dioecesis et plura sub se complectitur loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM A'TUREN. vacan, per obitum bo. me. Ludovici Mariae Oliverii Epivent ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti: Sanctissimus ad nominationem perillustris Viri Mauritii de Mac-Mahon Ducis Magenta© Gallicae reipublicae Praesidis transtulit ad recensitam Ecclesiam R. P. D. Victorem, Ioannem Baptistam, Paulinum Delannoy, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, cum de mense **1872** Ecclesiae S. Dionysii vel Reunionis praefectus fuit.

Aturensis civitas in provincia Vasconiae, atque in planitie et collis declivo aedificata prope flumen Aturum, optimo petitur aere, et a quatuor circiter millibus inhabitatur incolis sub temporali gallico dominio.

Cathedralis Ecclesia sub invocatione Beatae Mariae Virginis mixtam praefert structuram, nullius eget reparationis, atque Auxitano Archiepiscopo suffragatur.

Novem canonici titulares cum theologo ac poenitentiario constituunt eius Capitulum, quod plures insuper recenset Canonicos honorarios, qui cum aliis Presbyteris, pueris de choro ac diebus festis cum seminarii alumnis divinis intersunt officiis.

Per Archipresbyterum-Canonicum a Vicario adiutum animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Nulla alia praeterea reperitur Aturensi in urbe paroecialis Ecclesia, nec mons pietatis, sed quaedam pro mulieribus religiosae domus, hospitale, magnum ac parvum seminarium.

Dioeceseos ambitus totam complectitur Agri Syrtici provinciam, et plura sub se continet loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM VICTORIEN, vacan, per translationem R. P. D. Didaci Mariani Alguacil et Rodríguez ad sedem Cathedralem Carthaginensem : Sanctissimus ad praesentationem Serenissimi Regis Catholici transtulit ad recensitam Ecclesiam Victoriensem R. P. D. Sebastianum Herrero et Espinosa de los Monteros, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, cum de mense Septembris **1875** Conchensi Ecclesiae praefectus fuit.

Victoria Hispaniae civitas, et provinciae Alavae caput ad radices montis S. Adriani plano in loco aedificata salubri sub coelo, atque aedificiis, elegantia commercioque satis eulta, a viginti circiter

millibus inhabitatur incolis sub temporali dominio praefati Serenissimi Regis Catholici

Templum Cathedrale Sanctae Mariae titulo gloriatur, amplitudine, decore, gothicaque structura satis commendatur, nullius eget reparationis atque Burgensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum iuxta Literas Apostolicas « ***Ad Vicariam*** » datas nonis Septembris 1851 quinque adnumerat dignitates, quarum post pontificalem prima Decanatus, quatuor insuper cum theologo ac poenitentiario Canonicos ***de oficio,*** septem ***de gracia,*** ac duodecim Beneficiatus.

Per Presbyterum animarum cura ipsamet exercetur in Ecclesia.

Tres recensentur Victoriae paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, quaedam mulierum monasteria, plures laicorum sodalitates, duplex magnificum nosocomium, celebre pro pauperibus hospitium, atque seminarium, cum alumnis; mons autem pietatis desideratur.

Huius dioeceseos ambitus tres complectitur provincias ***Alavia, Guipuscoa et Biscaia*** nuncupatas, ad quadraginta circiter leucas quadratas protenditur, septingentas nonaginta sex paroecias, et mille ac quingenta sub se continet loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM NERITONEN, vacan, per dimissionem a R. P. D. Salvatore Nappi ultro libenterque in manibus Sanctitatis Suae peractam, ab Eademque admissam: Sanctissimus promovit ad recensitam Ecclesiam R. D. Michaelem Mautone ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in oppido Mariliani Nolanae dioeceseos progenitum et sexagesimum aetatis suae annum supergressum. Sacro Presbyteratus ordine dudum insignitus, in functionibus ecclesiasticis obeundis, praesertim Dei verbum praedicando, fideliumque sacramentales confessiones excipiendo, naviter emicuit. Inter dioeceseos Nolanae Examinatores Cleri et Pro-Synodales cooptatus, in patria Collegiata Canonicus-Curatus hucusque renunciatus et Primiceriatus dignitate cohonestatus est.

Neritum vel Neretum urbs provinciae Lyciensis in Hydruntina regione ad agrum Neapolitanum non procul a litore maris in planitie aedificata, duorum fere milliarium est ambitus, termille circiter continet domos, eamque quatuordecim pene mille incolunt cives.

Cathedralis Ecclesia, veteris solidaeque structurae, Bmae Virginis Mariae in Coelum Assumptae titulo gloriatur, nullius magni momenti eget reparationis atque Apostolicae Sanctae Sedi est immediate subiecta.

Eius Capitulum quatuor enumerat dignitates, quarum post pon-

tifiealem prima Archidiaconatus, viginti cum theologo ac poenitentiario Canonicos, octodecim Mansionarios, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Per Canonicum-Archipresbyterum animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Altera praeterea reperitur Neriti paroecialis quae et succursalis Ecclesia, triplex virorum et unum mulierum monasterium, conservatorium, plures laicorum sodalitates, hospitale, mons pietatis et seminarium.

Dioeceseos ambitus ad viginti quinque circiter milliaria protenditur et sexdecim sub se complectitur loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM MAURIANEN. vacan, per obitum, bo. me. Francisci Mariae Vibert ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti : Sanctissimus ad nominationem perillustris Viri Mauritii de Mac-Mahon Ducis Magentae Gallicae Reipublicae Praesidis ad recensitam Ecclesiam transtulit R. P. D. Michaelem Rosset, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, cum de mense Iunio labentis anni Pariensi Ecclesiae praefectus et in Apostolicum Administratorem Maurianensem deputatus fuit.

Mauriana, seu Fanum S. Ioannis Maurianensis, civitas Sabaudiae ad Arcum fluvium in valle posita, bono potitur aere, ac a tribus millibus inhabitatur incolis sub temporali Gallico dominio.

Cathedralis Ecclesia S. Ioannis Baptistae titulo gloriatur, quasdam, exigit reparationem et Archiepiscopo Chamberiensi suffragatur.

Eius Capitulum decem enumerat absque theologo ac poenitentiario Canonicos, quos inter Praepositus principem post pontificalem tenet locum, quibus adiunguntur Vicarii parochiales ac diebus solemnibus etiam seminarii alumni pro divino servitio.

Per Archipresbyterum-Canonicum ad honores animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Nulla alia reperitur Maurianae paroecialis aut Collegiata Ecclesia, nec mons pietatis, sed unum tantum mulierum monasterium, hospitale ac duplex seminarium.

Dioeceseos ambitus satis late patet ac septuaginta sub se complectitur incolarum millia.

CATHEDRALEM ECCLESIAM S. **DIONYSII** vacan, per translationem R. P. D. Victoris, Ioannis Baptistae, Paulini Delannoy ad Cathedralem Sedem Aturensem: Sanctissimus ad nominationem perillustris Viri Mauritii de Mac-Mahon Ducis Magentae Gallicae Reipublicae Praesidis evexit ad recensitam Ecclesiam R. D. Dominicum Ciernen-

tem Soulé ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, qui vulgo ***Capbreton*** dicitur dioeceseos Aturensis progenitura, et quadragesimum nonum aetatis suae annum supergressum. Sacro Presbyteratus ordine dudum insignitus, ad ecclesiasticas functiones exercendas sedulum applicuit animum. A Secretis adlectus tum praedefüncti Antistitis Aturensis^ tum illius curiae Episcopalis, Canonicus hucusque ipsa in Cathedrali, et Vicarii Capitularis Assessor renunciat i est.

Civitas S. Dionysii est in insula Reunionis, vulgo ***Bourbon*** una ex coloniis ad Galliam spectantibus, eaque in ora Oceani indici ad australem plagam Africae sita in planitie, loci amoenitate ac pulchritudine praestans, a viginti circiter millibus inhabitatur incolis, qui fere omnes-catholicam religionem profitentur sub temporali gallico dominio.

Cathedralis Ecclesia ampla satis, decens ac ad formam structurae romanae aedificata, Sancti Dionysii, urbis Patroni, titulo gloriatur, nullius eget reparationis atque Burdigalensi Archiepiscopo suffragatur.

Capitulum nondum est erectum, et Episcopus ex Apostolico indulto quosdam nominat Canonicos honorarios, et Ecclesiae servitium a Vicariis Generalibus, nonnullisque perficitur Presbyteris.

Per Parochum a duobus Vicariis adiutum animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Quatuor aliae recensentur in urbe S. Dionysii paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, tres pro viris, et quatuor pro mulieribus religiosae domus, duplex laicorum sodalitas, triplex hospitale, et seminarium; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus totam complectitur insulam Reunionis, quae in circulum ad sexaginta fere leucas protenditur, et plurima sub se continet loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM GOYASEN. vacan, per translationem R. P. D. Ioachim Gonçalves de Azevedo ad Metropolitanam Sedem 8. Salvatoris in Brasilia: Sanctissimus ad praesentationem Serenissimi Brasiliae Imperatoris promovit ad recensitam Ecclesiam R. D. Antonium Maria Correa de Sa' et Benevides ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in civitate, cui vulgo nomen ***Campos dos Goytacaps,*** dioeceseos Fluminis Ianuarii progenitura et quadragesimum aetatis suae annum supergressum. Sacro Presbyteratus ordine dudum initiatus, in ecclesiasticis functionibus obeundis sedulo incubuit. Apud Imperiale Petri Secundi Collegium Vice-Rectoris et naturalis

historiae Professoris munere perfunctus, ibidem in confessionibus audiendis, inque animis in via Domini dirigendis naviter emicuit.

Goyasensis civitas et caput eiusdem nominis provinciae in interiori parte Brasiliae salubri sub coelo in planitie aedificata ab ultra quinque millibus inhabitatur catholicis incolis sub temporali dominio praefati Serenissimi Imperatoris.

Cathedralis Ecclesia satis ampla, decens, ac nuper instaurata S. Annae titulo gloriatur, nullius eget reparationis, atque Archiepiscopo S. Salvatoris in Brasilia suffragatur.

Eius Capitulum, quod iuxta Literas Apostolicas « ***Sollicita catholici gregis cura*** » datas Idibus Iulii 1826 duas adnumerare debet dignitates, ex quibus maior Archidiaconatus, ac decem cum utraque praebenda Canonicos, nondum est constitutum, et tres hodiedum Canonici honorarii inibi divinis inserviunt officiis.

Per Parochum animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Alia reperitur Goyasensi in urbe paroecialis Ecclesia baptismali fonte munita, nullum monasterium, nec mons pietatis, sed hospitale tantum, quaedam laicorum sodalitates atque recentis operis seminarium, et collegium.

Dioeceseos ambitus satis late patet, et plures sub se complectitur paroecias.

Iuxta morem deinde Sanctissimus Pater os aperuit Emo atque Revmo D. Cardinali Simeoni; eidemque tradidit annulum cardinalitium, eumque absolvens a vincalo Ecclesiae Archiepiscopalis Calcedoniae *in part. infid.* constituit ei Titulum Presbyteralem *S. Petri ad Vincula.*

Tandem S. Pallii postulatio facta fuit pro Ecclesiis Metropolitanis S. Salvatoris in Brasilia, et Augustae Braccarum.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

PRAEBENDAE THEOLOGALIS.

Die 5 augusti et 3 septembris 1876.

Compendium facti. I. B. Canonicus Theologus Cathedralis C. supplici dato libello, haec S. Sedi exposuit: sese Theologiae dogmaticae professoris munere in Seminario Dioecesano fungi, et pluries sese exemisse ad explanandis Sacris Scripturis tum ob multa negotia sibi adimplenda in ministerio ecclesiastico, tum quia facultate usus est, quam SS. Canones professoribus eiusmodi concedunt. Ast nesciens, tuta ratione, iurium onerumque limites, quae in usu facultatis eiusmodi proveniunt, pro suae conscientiae tranquillitate, dubiorum quae subnectuntur, solutionem expetivit a S. Sede Apostolica.

1. An gratis docere sibi opus esset Theologiam Dogmaticam, ut ab onere S. Scripturae explanandae eximeretur.

2. An, in hypothesi responsi affirmativi, onus docendi gratis sese extendat ad omnes unius anni scholastici lectiones vel tantum ad numerum, qui aequet lectionum S. Scripturae summam, a Canonico Theologo peragendarum.

3. An diebus, quibus in schola lectiones tradit loco scripturalium lectionum, a choro dispensetur pro tota die, vel tantum ab horis quae cum illis scholae conveniunt.

Accepto a S. C. Concilii supplici libello, rescriptum fuit: *Episcopo pro informatione et voto, qui, audito Capitulo referat an orator aliquod stipendium e Seminario suscipiat, et an Constitutiones Capitulares, vel decreta Synodalia circa propositas quaestiones quidquam decer-*

nani. Episcopus respondebat : « Praemisso dictum sacer-
« dotem B. bonis Theologalis praebendae anteacto anno
« tantum esse fmitum, referimus stipendium huius Se-
« minarii Theologiae Iudi magistro assignatum non exce-
<(dere summam libellarum 166 annuatim. Nihil habetur
<(ex Constitutionibus Capitularibus, atque etiam ex Sy-
<(nodo Dioeceseos circa hanc quaestionem. Quoad vero
« Chori obligationem ipsum credimus exemptum horis
« tantum in schola transactis, eo quia aliquod habet sti-
« pendium etsi modicum. Attamen si illum volumus te-
<(neri ad docendum gratuito, tunc videtur non solum te-
« neri ad tot lectiones Theologicas, quot sunt lectiones
« Scripturales, cum hoc modo non erudiantur iuvenes, sed
<(conficiendum esse verum cursum scholasticum, et hoc
« in casu eum a servitio Chori concedemus exemptum in-
<(tegre singulis diebus in quibus vacat scholae, eo quia
<(cum non habeat stipendium, Praebenda Theologalis stat
<(loco stipendii, et dies lectionis Theologicae aequiparan-
« tur diebus Scripturalis lectionis, in quibus non tenetur
« adesse Choro».

Disceptatio synoptica.

Nemo umquam dubitavit Pontifices Romanos summo studio prosequutus fuisse sacrarum Scripturarum scientiam. Nam Alexander III in Concilio Lateranensi III in qualibet Cathedrali ecclesia Beneficium erigi mandavit ad erudiendos pauperes clericos in sacris uteris et disciplinis. Innocentius vero III in Concilio Lateranensi IV salubriter imperavit ut in quavis Metropolitana ecclesia ad explanandam Sacram Scripturam Theologus constitueretur, assignatis eidem unius praebendae reditibus in *Text. Cap. Quia nonnullis, de Magistris.* Et Card. Petra ad *Const. 2 Innoc. VI n. 8* refert eiusmodi Concilii generalis legem Consessum Basileensem (inter plura quae sibi indebita auctoritate arrogavi!) ad Ecclesias Cathedrales

quascumque extendisse in *Sess.* ***31*** *Cap.* ***3*** his verbis : *Cum per generalis Concilii statuta ordinatum existat, quod quaelibet Ecclesia Metropolitana unum debeat habere Theologum, ordinat haec S. Synodus, quod extendatur huiusmodi ordinatio ad Ecclesias Cathedrales.*

Sacrosancta Tridentina Synodus *Cap.* ***1*** *Sess.* ***5*** *de ref.* constituit quoad hanc rem : « In Ecclesiis autem Metro-
<(politanis vel Cathedralibus si civitas insignis vel popu-
« Iosa, ac etiam in collegiatis existentibus in aliquo insigni
« oppido, etiam nullius dioecesis, si ibi clerus numerosus
« fuerit, ubi nulla praebenda aut praestimonium seu sti-
« pendium huiusmodi deputatum reperitur, praebenda
« quomodocumque, praeterquam ex causa resignationis,
« primo vacatura, cui aliud onus incompatibile iniunctum
« non sit, ad eum usum ipso facto perpetuo constituta et
« deputata intelligatur. Et quatenus in ipsis ecclesiis
« nulla vel non sufficiens praebenda foret, Metropolitanus
((vel Episcopus ipse per assignationem fructuum alicuius
« simplicis beneficii, eiusdem tamen debitis supportatis
((oneribus, vel per contributionem beneficiatorum suae
<(civitatis et dioecesis, vel alias, prout commodius fieri
« poterit, de Capituli consilio ita provideat, ut ipsa Sacrae
« Scripturae lectio habeatur, ita tamen, ut quaecumque
« aliae lectiones, vel consuetudines vel quavis alia ratione
« institutae, propter id minime praetermittantur ».

In locis autem, in quibus certa praebenda vel stipendium pro Lectoribus Sacrae Theologiae deputatum reperitur: *Episcopi, Archiepiscopi, Primates et alii locorum Ordinarii eos qui praebendam aut praestimonium seu stipendium huiusmodi obtinent, ad ipsius Sacrae Scripturae expositionem et interpretationem per se ipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneum substitutum ab ipsis-Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus et aliis locorum Ordinariis eligendum, etiam per subtractionem fructuum cogant et compellant.*

Et paulo post eadem S. Synodus loquens de Monasteriis Monachorum subdit: *In Monasteriis quoque Monachorum, ubi commode fieri queat, etiam lectio Sacrae Scripturae habeatur.*

His decretis quoad constituendam praebendam cum onere exponendi Sacram Scripturam, et quoad electionem eiusdem Theologi adiungi debet Constit. Benedicti XIII *Pastorali officii,* in qua habetur : *tertiam partem proventuum praebendae theologalis ab Episcopo distribui et proportionaliter applicari singulis lectionibus Sacrae Scri-^ pturae.* Ergo ex his quae retulimus erui videtur Theologi munus circa Sacrae Scripturae expositionem versari, eoquod causa finalis Tridentinae dispositionis ea fuit ne coelestis sacrorum librorum thesaurus neglectus iaceret. Quapropter Giraldi *exposit. Iur. Pontif. part.* ***1*** *lib. IV Decretal. §* ***4*** ait : *Ex Tridentino vero illius* (Theologi) *munus est Sacram Scripturam dumtaxat exponere et interpretari.*

Quamvis a compluribus canonistis ceu Fagnan. in *cap. Quia nonnullis, de Magistris,* Card. Petram *comment, ad Const.* ***2*** *Innoc. VI num.* ***46,*** Ferraris *V. Canonicus art.* ***9*** *n.* ***15 § 30,*** Benedict. XIV, *Institut. Eccles.* ***57,*** *n.* ***7,*** S. C. Concilii in *Fulginaten.* ***3*** *iulii* ***1784,*** in Hispana ***5*** *aprilis* ***1576,*** aliisque arbitratum sit Canonicum Theologum aeque suo muneri satisfacere si S. Scripturam legat vel dogmaticam aut scholasticam Theologiam doceat; tamen post Encyclicam Gregorii XVI alia obtinuit sententia. Nam Summus hic Pontifex, occasionem praebentibus neotericis biblicis, praedicta Enciclica statuit ut Theologus Canonicus S. Scripturae explanationem traderet \

Quapropter hoc post ius novissimum, quoties S. C.

[1] Huius Encyclicae, § 3, qui Canonicum Theologum respicit, relatum habes in Appendice ad hanc resolutionem infra, pag. 529; ubi repetitur quod originem, et onera tangit Canonici Theologi

Concilii rogata fuerit an Canonicus Theologus munere fungeretur proprio si Sacram Scripturam explanare!, vel dogmaticam aut scholasticam aut moralem theologiam doceret, toties respondit eiusmodi Canonicum teneri ad explanandas Sacras Scripturas. Ideoque dicendum S. C. Congregationem a doctrina Benedicti XIV recessisse, ut videre est in *Derthonen.* ***27*** *iulii* ***1844*** *Visitationis SS. LL.* proposito dubio III. *An, et quomodo sit annuendum postulatis super commutatione lectionis Sacrae Scripturae in casuum conscientia explicationem, in casu;* respondit : *Non expedire: et Episcopus curet exequutionem* nuperrimae Encyclicae SSmi Domini Nostri.* In *Casalen. Praebendae Theologalis diei* ***26*** *iunii* ***1847*** proposito dubio: *An et quomodo Theologus parere debeat mandatis Episcopi circa lectiones Sacrae Scripturae instar concionis habendas, habita praecipue ratione sensus mystici et moralis, in casu:* respondit: *Negative et servetur lectio biblica ad tramites Conc. Tridentini Sess.* ***5*** *cap.* ***1*** *et prout exponitur in Conc. Roman, anni* ***1725,*** *tit. i, cap.* ***8.***

Ut tandem Canonicus Theologus a munere legendi S. Scripturam dispensari valeat, gratis videtur docere debere theologiam Dogmaticam ; ne pro unico labore duplex percipiat stipendium, quod per sacros canones reprobatur utpote redolens aviditatem lucri. Extra controversiam quoque positum esse videtur, quod onus gratis docendi theologiam Dogmaticam extendatur ad fixum ac determinatum numerum lectionum biblicarum; nani quum onus praedictum subrogetur lectionibus biblicis, nullo modo extendi posse ad omnes lectiones theologiae unius anni integri. Haud pariter dubitari posse videtur Theologum, die qua Theologiam dogmaticam docet, dispensari ab integro chori servitio illius diei : etenim si die qua sacram explanat Scripturam ab integro chori servitio dispensatur, cur non dispensaretur ea die qua theologiam

tradit, cum huius lectiones subrogatae fuerint lectionibus biblicis \

Quum ex officio haec aliaque exposita fuissent submissum fuit EE. CC. prudentiae quonam responso dimittenda essent dubia Canonici Theologi I. B.

RESOLUTIO. Sacra Concilii Congregatio die 5 augusti respondere censuit « *Dilata* ». Sub die autem 2 septembris 1876, causa iterum disceptata, sequens dedit responsum: *Canonicum I. B. teneri ad lectiones scripturales; attentis tamen peculiaribus circumstantiis, indulgendum ei ut abesse possit a choro, diebus quibus Scholae Dogmaticae vacat.*

EXINDE COLLIGES :

I. Canonicum Theologum nulla alia ratione suo fungi munere quam explanando Sacras Scripturas.

II. Ex Tridentino enim, iuxta doctissimum Giraldi, erui praecipuum officium Canonici Theologi nil aliud esse quam sacram explanare et interpretari Scripturam \

APPENDIX.

Quoad originem et onera Canonici Theologi.

Quum magnus ille salutaris doctrinae thesaurus, quem Spiritus Sanctus liberaliter hominibus largitus est, in Sacris Scripturis contineatur; ideo RR. PP. et ecclesiastica Concilia omni tempore, omnique solerti studio curarunt ut in earumdem sacrarum Scripturarum scientia imbueretur Clerus populusque fidelis ***ne coelestis ille thesaurus neglectus iaceret.*** Quapropter Alexander III in Concilio Lateranensi III iussit ut in qualibet Cathedrali ecclesia Beneficium erigeretur ad erudiendos clericos pauperes in sacris Litteris ac disciplinis. Innocentius vero III in Concilio Lateranensi IV, quum loquutus fuisset de institutione peragenda, in qualibet Cathedrali Ecclesia, unius

[1] **Recole etiam Volumen VIII, huius operis, pag. 336 et seqq.**

magistri qui gratis doceret Grammaticam eiusdem Ecclesiae clericos, aliosque scholares: mandavit etiam ut in quavis Metropolitana Ecclesia canonicus Theologus constitueretur, qui sacras explanaret Scripturas. Ait enim ***Cap. IV de Magistris : Quia nonnullis propter inopiam et legendi studium et opportunitas subtrahitur, in Lateran. Concilio pia fuit constitutione provisum, ut per unamquamque Cathedralem Ecclesiam Magistro qui eiusdem Ecclesiae Clericos, aliosque scholares pauperes gratis instrueret, aliquod competens beneficium praeberetur, quo et docentis relevaretur necessitas, et via pateret discentibus ad doctrinam* Verum quoniam in multis Ecclesiis id minime observatur: nos praedictum roborantes statutum adiicimus, ut non solum in qualibet Cathedrali Ecclesia, sed etiam in aliis quarum sufficere poterunt facultates, constituatur Magister idoneus, a Praelato cum Capitulo, seu maiori et saniori parte Capituli eligendus, qui Clericos Ecclesiarum ipsarum gratis in Grammatica facultate, ac alios instruat iuxta posse. Sane Metropolis Ecclesia Theologum nihilominus habeat, qui Sacerdotes et alios in sacra pagina doceat, et in his praesertim informet quae ad curam animarum spectare noscuntur. Assignetur autem cuilibet Magistrorum a Capitulo unius Praebendae proventus et pro Theologo a Metropolitano tantum, non quod propter hoc efficiatur Canonicus, sed tamdiu reditus ipsos percipiat, quamdiu perstiterit in docendo. Quod si forte de duobus Magistris Ecclesia Metropolis gravetur, Theologum iuxta modum praescriptum ipsa provideat, Grammatico in Ecclesia suae civitatis, sive dioecesis, quae sufficere valeat, faciat provideri.***

Hoc generalis Concilii Lateranensis **decretum per Consessum** Basileensem, qui plura sibi indebita auctoritate abrogavit, Sess. **31** cap. **3** extensum fuit ad Ecclesias Cathedrales taliter, videlicet « ***Quod quilibet collator ipsarum Praebendarum teneatur et debeat Canonicatum et Praebendam, quamprimum facultas se obtulerit, et inveniri potuerit, uni magistro, licentiato vel in Theologia Baccalaureo formato conferre, qui per decennium in Universitate privilegiata studuerit, et onus residentiae et lecturae et praedicationis subire voluerit, quique bis aut semel ad minus per singulas hebdomadas, cessante legitimo impedimento, legere debeat; et quoties ipsum in huiusmodi lectura deficere contigerit, ad arbitrium Capituli in subtractione distributionum totius hebdomadae puniri possit. Et si residentiam deseruerit, de alio provideatur. Verumtamen ut liberius studio vacare possit, nihil perdat ex eo cum absens fuerit a divinis*** ».

Decretum illud ad verbum Sanctioni Pragmaticae, nec non Con-

cordato inter Franciscum. I regem Galliae et Leonem X insertum est legitima interveniente auctoritate Leonis X in Concilio Lateranensi V anno 1516. In quo fuit constitutum ut in Galliae et Delfmatus Ecclesiis Cathedralibus et Metropolitanis addiceretur Praebenda Theologalis Doctori sive Licentiato in Theologia ut bis saltem in hebdomada Scripturas legeret.

Intelligens autem Synodus Tridentina haec saluberrima decreta non ubique suum hactenus obtinuisse optatum effectum, edixit Sess. V, cap. 1 de reformat, ut « ***in Ecclesiis Metropolitanis, vel Cathedralibus, si civitas insignis vel populosa ac etiam in Collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido etiam nullius dioecesis, si ibi clerus numerosus fuerit, ubi nulla Praebenda aut praestimonium seu stipendium huiusmodi deputatum reperitur, Praebenda quomodocumque, praeterquam ex causa resignationis*** [1] ***primo vacatura, cui aliud onus incompatibile iniunctum non sit, ad eum usum ipso facto perpetuo constituta et deputata intelligatur. Et quatenus in ipsis ecclesiis nulla vel non sufficiens praebenda foret, Metropolitanus vel Episcopus ipse per assignationem fructuum alicuius simplicis beneficii, eiusdem tamen debitis supportatis oneribus, vel per contributionem beneficiorum suae civitutis et Dioecesis vel alias, prout commodius fieri poterit, de capituli consilio ita provideat, ut ipsa Sacrae Scripturae lectio habeatur; ita tamen ut quaecumque aliae lectiones, vel consuetudine vel quavis alia ratione institutae propter id minime intermittuntur. Ecclesiae vero, quarum annui proventus tenues fuerint, et ubi tam exigua est Cleri et populi multitudo, ut Theologiae lectio in eis commode haberi non possit saltem magistrum habeant ab Episcopo cum consilio Capituli eligendum, qui clericos aliosque scholares pauperes Grammaticam gratis doceat, ut deinceps ad ipsa sacrae Scripturae studia, annuente Deo, transire possint; adeoque illi magistro Grammatices vel alicuius simplicis beneficii fructus, quos tamdhi percipiat, quamdiu in docendo perstiterit, assignentur; dum tamen beneficium ipsum suo debito non fraudetur obsequio; vel ex capitulari vel episcopali mensa condigna aliqua merces persolvatur; vel alias Episcopus ipse aliquam rationem ineat suae Ecclesiae et Dioecesi accommodam ; ne pia haec, utilis, at-***

[1] Praebenda primo vacatura ex causa resignationis deputari nequit in usum Praebendae Theologalis; quae tamen prohibitio vim habere intelligenda est in resignatione quae emittitur ad *favorem.* Eoquod resignatio haec conditionalis est; et habetur cum quis Beneficium résignât cum hac conditione, ut conferatur certae personae et non aliter; diciturque *resignatio* ***in*** *favorem tertii.*

que fructuosa provisio, quovis quaesito colore negligatur. In Monasteriis quoque Monachorum, ubi commode fieri queat, etiam lectio sacrae Scripturae habeatur ».

Ex quibus verbis clare patet mentem fuisse Concilii Tridentini, non tantum in Cathedralibus et Metropolitanis Ecclesiis iuxta prae^ cedentium Conciliorum decreta, sed etiam in Collegiatis insignibus, ubi numerosus sit Clerus, ut constituatur Theologus, qui sacram Scripturam perlegat; eique praebenda quomodocumque, praeterquam ex causa resignationis, primo vacatura, cui aliud onus incompatibile iniunctum non sit, ipso facto perpetuo constituta et deputata intelligatur [1].

Hisce omnibus adiici debet Constitutio Benedicti XIII quae incipit ***Pastoralis^/)fficii*** [2]. In ista praemonuit Summus Pontifex esse proprium sui pastoralis officii curare ut universa S. Tridentinae Synodi decreta inviolabiliter observentur. Inter quae decreta unum ex praecipuis esse ait illud, quo cautum fuit ut nedum in Cathedralibus sed etiam in Collegiatis [3] oppidorum insignium praebenda pro sacrae scripturae lectionibus institueretur. Hinc prosequebatur : ***verum eiusmodi provida sacri Concilii dispositio in aliquibus Cathedralibus, sicut non absque gravi animi nostri dolore percipimus, huc usque neglecta debitaeque executioni demandata non fuerit. Hinc igitur est***

'• Ut praebenda tamen primo vacans dicatur formaliter erecta in Theologalem facto Episcopi opus est: requiritur nempe ut Episcopus ipse primo vacantem praebendam huic muneri *actualiter* deputaverit et annexuerit, Theologalemque declaraverit. Aliter eiusmodi praebendam manere liberam docent communiter Canonistae, et Sacra ipsa Concilii Congregatio ceu refert Fagn., ad cap. IV, De *Magistris: Sacra Concilii Congregatio censuit adprobante SSmo, ad erectionem Praebendae Theologalis requiri actualem deputationem ; et ideo si in provisione Praebendae non fuerit facta actualis deputatio, non posse provisum cogi obire munus lecturae.*

[2] Scitum est quod eiusmodi Constitutio ad Italiam et Insulas adiacentes circumscribitur.

[3] Collegiatae aliae dicuntur simplices, aliae insignes, seu insignitatis titulo decoratae. Ex *Gloss, Cap. Statutum, de Bescr.* hae debent adesse conditiones, ut aliqua Collegiata insignis dicatur; vel quia communiter pro tali habetur ac reputatur; vel quia multis comitatur circumstantiis, quae talem esse suadeant: ut puta si fuerit Matrix, nobilis ex celebritate situs, si antiqua, si supra alias praecedentiam obtineat, si insignem structuram habeat, si refecta sit magno numero deservientium Ministrorum. Ut in quadam Collegiata Praebenda Theologalis erigi oporteat haud opus est eamdem esse insignem, ut nonnullus ex errore putavit, sed sufficit ut oppidum in quo extat Collegiata, etiam simplex, sit amplum, conspicuum, numerosoque clero r efectum.

quod nos illius exequutionem pro Pontificiae vigilantiae debito urgere intendentes Motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione sancimus, decernimus, ut in Cathedralibus quibuscumque Italiae insularumque adiacentium, in quibus praebenda Theologalis hactenus instituta non fuerit, Praebenda primo vacatura post eiusdem praesentis Constitutionis piiblicationem, sive ad Nos Sedemque Apostolicam sive ad Ordinarium illius collatio, atque provisio pertineat, ipso iure et absque ulla alia declaratione sit ac esse censeatur praebenda Theologalis constituta [1].

Quum edixisset Summus Pontifex quod Praebendae Théologales conferri semper debeant Doctori in S. Theologia, vel qui infra annum Doctoralem Lauream in eadem facultate suscipiat ; et ceteroquin magis idoneo in formali concursu ab Examinatoribus renunciato, ad institutionem eiusmodi Praebendae rediit. « ***Quod si Episcopus primo vacaturam Praebendam contra formam in praesenti Constitutione praescriptam conferre praesumpserit, vel etiam in aliis occurrentibus casibus eamdem formam observare neglexerit, illius collatio atque provisio ipso iure nulla et irrita, nulliusque prorsus roboris vel momenti sit ac esse debeat, eiusdemque Praebendae dispositio statim devolvatur et pertineat ad Sanctam Sedem, et Romanum Pontificem pro tempore existentem, a quo Doctori in S. Theologia conferetur*** ».

Hisce praenotatis quoad Canonici Theologi institutionem aliquid innuere libet, quoad eiusdem Canonici onera, sive quoad eiusdem Theologi praecisum munus : supra quo variis temporibus diversimode retentum est. Plures enimvero adfuerunt Doctores, qui Concilii Tridentini decreto atque insequentibus Pontificum constitutionibus innixi censuerint Canonicum Theologum muneri suo satisfacere posse si legeret S. Scripturam vel Theologiam Dogmaticam aut Scholastisticam. Quin imo Card. De Luca ***Adnot. ad Conc. Trid. Disc. II n. 5*** censuit quod in partibus haereticorum tradenda esset Theologia Scholastica, in Locis vero, in quibus pacifica est Fidei catholicae possessio, legi etiam possit Theologia moralis utpote quae utilior sit. Et Cardinal. Petra ***Comment, ad Constit. Innoc. VI n. 46*** ait: ***Quinimo neque***

[1] **Evenire tamen potest, ob adiuncta temporum vel locorum, quod Theologalis Praebenda canonice institui nequeat; prout evenit ex. gr. in Gallia,, in qua Canonici certum a Gubernio stipendium in pecunia numerata locopraebendae recipiunt. Tunc S. C. Concilii solet hortari Episcopos, donec Conc. Trid. decretum exequi non detur, ut alicui canonico, dum eidem canonicatum confert, onus iniungat gerendi officium Theologi.**

Theologiae moralis quae casuum conscientiae dicitur, improbari potest expositio; potissime in nostris Italiae regionibus, aliisque in quibus de fidei dogmatibus, et theologicis quaestionibus cum Haereticis et Schismaticis, Deo iuvante opus non est, quocirca utiliorem Theologia, opportunioremque pro moribus christianis efformandis atque pro sacramentorum administratione Moralium expositionem, ubi pacifica est Catholicae Fidei possessio, dixit Card. De Luca ad Conc. Trid. disc. *2* ***n. 5. Idque approbasse videtur,*** prosequitur C. Petra, ***Sac. C. Congregat, in Pharen, die 13 Aprilis 1595*** dum resolvit : « ***Theologalem Praebendam alicui ex Collegii Illyrici Alumnis idoneis conferri posse, tametsi is casus conscientiae tantum sit explicaturus, lib. 8 Dec. pag. 116. Et cum fuerit, ut inferius dicam, res remissa Episcopo, iste iuxta sui prudentiam, si agnoverit auditores capaces, praesertim etiam laicos, quos etiam sub nomine populi S. C. Congr. comprehendit, debet explanandam demandare; sed si secus populus non adsit, nec Clerus tam doctus, melius instruendi sunt in theologia morali magis iis accommodata ».***

Neque quoad hanc rem omitti debet Benedictus XIV, qui in ***Synod. Dioec.*** Lib. 13, cap. IX n. 17 sic sese habet: « Iuxta praesen-« tem Ecclesiasticorum studiorum methodum, negari non potest, ea in « varias classes esse distincta; altera enim est eorum qui sacram « scripturam interpretantur; altera eorum qui theologicas disciplinas « sive scholastice sive dogmatice exponunt ; altera moralistarum, qui « de agendis, et vitandis in praxi disputant ; altera demum eorum « qui sacros canones profitentur. Haec diversarum classium distinctio « occasionem dedit nonnullis Episcopis, ut S. Sedi aliquando in suis « relationibus repraesentarent, pro Cleri utilitate, et instructione ma-« gis expediens fore, si a Canonico Theologo in suis Cathedralibus, et « Collegiatis Theologia moralis traderetur, quam si idem Divinas « Scripturas exponeret ; ex ea potissimum ratione, quod sacrarum « Scripturarum explanationem a Concionatoribus intelligere Clerus « facile possit ; Theologiam vero moralem ab aliis fere, quam a Ca-« nonico Theologo, addiscere nequeat. De hac etiam re actum fuit « cum nos a secretis essemus saepe dictae Congregationis Concilii quin « etiam typis impressus fuit Discursus quidam noster, in ea Congre-« gatione relatus, quae habita fuit die 5 Iunii anno 1723, qui legitur « in Thesauro Resolutionum tomo 2 pag. 329. In eo probavimus, de-« cretum illud Tridentini Concilii, sive eius verba considerentur, sive « ratio habeatur praxis et consuetudinis sequentium temporum, aequo « comprehendere Sacrarum Scripturarum expositionem, ac theologiae

« Scholasticae disciplinam, et a Canonico Theologo non magis, suo « muneri •satisfieri si sacros Scripturae libros explicet atque declaret, « quam si in Theologia Scholastica Clerum erudiat, dummodo haec « talis sit qualem Melchior Canus tradendam, addiscendamque suadet « in suo lib. 8 de ***Locis Theologicis*** cap. 1. et quidem nos etiam indi- « cavimus in nostra ***Institutione*** 42 ***pag.*** 220 ***et seq.*** quae scilicet, circa « quaestionis gravis momenti et utilitatis versetur, easque pertractet, « allatis Divinae scripturae testimoniis, Conciliorum decretis, et Pa- « trum auctoritatibus. Ulterius adnotavimus, nonnullorum Episcopo- « rum mandato laudabiliter factum esse, ut per Canonicum Theologum « ea traderetur Theologia, quae est de conscientiis et moribus diri- « gendis; id unum vero minime decisum fuisse, num iuxta Concilii « mentem, Canonicus theologus suum munus satis adimpleat si expli- « cando Iuri Canonico operam praestet. Sane professores Iuris Cano- « nici aliquando praebendam. Theologalem se posse consequi conten- « derunt, etiamsi laurea doctorali in sacra Theologia insigniti non « fuissent, satis esse censentes, se lauream reportasse in Iure Canonico. « Et quidem inficiali non possumus, arcto inter sese vinculo copulari « theologiam moralem, et canonici Iuris scientiam, sicuti in citato di- « scursu ostendimus : nihilominus cum hodie hae facultates tamquam. « ab invicem distinctae, diversa ratione tractentur, et magisteria « seorsim conferantur, statueritque Concilium., ut is Canonicus Theo- « logus eligatur, qui in Sacra Theologia sit Doctor; merito a sacra « Congregatione responsum fuit ad consequendam Praebendam Theo- « logalem, generaliter loquendo, satis non esse, ut quis in iure cano- « nico Doctoris gradum adeptus fuerit ; in casibus tamen particularibus « videri posse, an expediat eamdem Praebendam alicui sacrorum Ca- « nonum, Magistro conferre, qui scilicet cum Iuris Canonici lectione, « ea quoque coniungere valeat, quae pertinent ad Theologiam moralem; « quod sane ab aliquibus magna cum laude praestitum fuisse, et « adhuc praestari dignoscitur, ut patet ex eruditis eorum operibus «typis impressis. Videatur responsum eiusdem Congregationis ad « dubium propositum die 5 Iunii .1723 in Thesauro Resol, tom. 2 « pag. 321 ».

Ex praenotatis ergo colligi posse videtur variis in adiunctis et temporibus ex Doctorum sententia, et ex nonnulla quoque S. C. C. resolutione arbitratum fuisse Theologum suo fungi munere tum si Sacras Scripturas expían aret, tum si Theologiam Scholasticam tra- deret, tum etiam si doceret Theologiam quae ad mores spectat. Ve- rumtamen quoad lectiones morales observare oportet S. C. Congre-

gàtionem tantum aliquo in casu, pro speciali aliqua circumstantia respondisse quod Canonicus Theologus tradere posset moralem Theologiam.

Verum in Thesauro resolutionum quamplurima habentur exempla, in quibus denegata fuit Theologo facultas muneri suo satisfaciendi per theologiae moralis lectiones: ita ut asseri queat, quod si Doctores nonnulli adfuerint qui putarent Theologum docere posse etiam scientiam theologicam, quae mores respicit, praxis generalis S. C. C. tamen fuit quod lectiones theologiae moralis haud convenirent cum Decreto Cap. 1 Sess. 5 de ref. a Patribus Trid. edito.

Praeter Doctorum sententiam innumerae habentur S. C. C. resolutiones quibus declaratum est Canonicum theologum posse indiscriminatim explanare sacras Scripturas, et tradere Theologiam dogmaticam. In Hispalensi diei 5 Aprilis .1576 respondit S. C. « ***Satisfieri Decreto Concilii sess.*** 5. ***cap.*** *1.* ***si vel S. Scriptura vel theologia scholastica legatur.*** Idque ut innuimus Benedictus XIV pluries probavit, autumavitque quod si alterutrum Theologus perageret aeque suo muneri satisfaceret.

Interea Gregorius XVI. f. r. anno 1842 Encyclicam edidit ***Inter praecipuas machinationes,*** quae § 3 sic se habet :

« Hunc in finem biblici iidem socii Ecclesiam sanctamque hanc « Petri Sedem calumniari non cessant, quasi a pluribus iam saeculis « fidelem populum a sacrarum scripturarum cognitione arcere cone- « tur; quum tamen plurima extent eademque luculentissima docu- « menta singularis studii, quo recentioribus ipsis temporibus Summi « Pontifices, ceterique illorum ductu catholici antistites usi sunt, ut « catholicorum gentes ad Dei eloquia scripta et tradita impensius « erudirentur. Quo in primis pertinent decreta Tridentinae Synodi, « quibus nedum Episcopis mandatum est, ut ***Sacras Scripturas divi- « namque legem*** frequentius per dioecesim annuntiandam curarent, « sed ampliata insuper Lateranensis Concilii institutione, provisum, « ut in singulis ecclesiis seu cathedralibus seu collegiatis urbium in- « signiorumque oppidorum non deesset theologalis praebenda, eadem- « que conferretur omnino personis idoneis Sacrae Scripturae exponen- « dae et interpretandae. De ipsa postmodum theologali praebenda ad « Tridentinae illius sanctionis normam constituenda, et de lectionibus « a canonico theologo ad clerum, atque etiam ad populum publice « habendis actum est in plurimis synodis provincialibus, necnon in « Romano Concilio anni 1725 in quod Benedictus XIII fel. rec. prae- « decessor noster nedum sacros Antistites Romanae provinciae, sed

« plures etiam ex Archiepiscopis, Episcopis caeterisque locorum Or-
« dinariis Sanctae huic Sedi nullo medio subditis convocaverat. Idem
« praeterea Summus Pontifex eumdem in finem nonnulla constituit
« in Apostolicis Uteris, quas pro Italia nominatim insulisque adia-
« centibus dedit. Vobis denique, venerabiles fratres, qui de conditione
« sacrarum rerum in cuiusque dioecesi ad Sedem Apostolicam statis
« temporibus referre consuevistis, ex responsis per nostram Congrega-
« tionem Concilii ad decessores vestros, aut ad vos ipsos iterum ite-
« rumque datis, perspectum est, quemadmodum sancta eadem Sedes
« et gratulari Episcopis soleat si praebendatos theologos habeant in
« publicis sacrarum literarum lectionibus munere suo bene fungentes,
« et numquam intermittat excitare atque adiuvare pastorales illorum
« curas si alicubi res adhuc ex sententia non successerit ».

Ut appendici huic finem ponamus aliquid adiici debet de sententia S. C. Concilii quoad munus Canonici Theologici post editam praefatam Encyclicam Gregorii XVI. Quae sententia eiusdem S. Cong. ex variis resolutionibus post id temporis desumpta, talis videtur esse ut Can. Theologus explanando Sacras Scripturas munus impleat, quod ei, usque ab institutione^ a Tridentino impositum fuerat. Nonnullas in medium proferemus ex resolutionibus istis ut pateat, quod assertum est. Sic in Dertonen. ***Visit. SS. LL. 27 Iulii 1844;*** in qua ad tertium dubium ***An et quomodo sit annuendum postulatis super commutatione Lectionis sacrae Scripturae in casuum conscientiae explicationem in casu:*** responsum fuit - ***Non expedire et Episcopus curet executionem nuperrimae Encyclicae SSmi Domini Nostri.*** In Casalen. ***Praebendae Theologalis*** habita sub die 26 Iunii 1847 dubio proposito « ***An et quomodo Theologus parere debeat mandatis Episcopi circa lectiones sacrae Scripturae instar concionis habendas? habita praecipue ratione sensus mystici et moralis, in casu*** ». Sacra C. Congregatio respondit: ***Negative et servetur lectio biblica ad tramites Concilii Tridentini Sess. 5 cap. 1. et prout exponitur in Conc. Roman, an. 1725 tit 1. cap. 8.***

xandern in una ***Summaria precum*** Civitatis Castelli diei **2** Septembris 1876 quoad Praebendam Theologalem S. C. C. respondere censuit - ***Canonicum*** (Theologum) ***teneri ad lectiones scripturales*** [1]**.**

Quae resolutiones, nobis fatendum est, magis aptae temporibus, quibus vivimus, visae sunt; dum multi perversi homines omni conatu nitantur, ut sacras Scripturas pervertant, ad homines decipiendos-

[1] Videsis hanc quaestionem relatam pag. 524 et seqq.

Ideoque omni studio curandum ut rite explanentur Sacrae Scripturae ad medelam afferendam huic quoque malo tam catholicae reipublicae exitioso.

Tandem quoad numerum lectionum per Can. Theologum tradendarum ius commune nil praestituit: nam neque Conc. Lateranense, neque Tridentinum, nec Bened. XIII Const. ***Pastoralis*** de hoc loquuti sunt. Sed Concil. Romanum anni 1725 quadraginta saltem lectiones per annum haberi voluit; isque numerus imminui nequit sine speciali indulgentia ceu tradidit S. C. C. ***in Balneor. VV. SS. LL. 9 Maii 1840.*** Verum etiam arbitrio prudenti Ordinariorum relinquitur ex eadem S. C. C. ***in Ripana 12 Ian. 1692*** definire tempus et numerum lectionum habendarum, a Theologo. Ut autem poena certa et determinata infligeretur Theologo negligenti Benedictus XIII Constitutione, cuius" initium ***Pastoralis officii n. 4.*** decrevit : ***Volumus, statuimus et mandamus tertiam partem proventuum dictae praebendae theologalis ab Episcopo distribui, et proportionaliter applicari singulis lectionibus Sacrae Scripturae, quae a praebendato, praescriptis diebus et horis totius anni habendae erunt; ita ut si praebendatus universas lectiones habuerit, assignatas distributiones integras, absque ulla prorsus diminutione consequatur; si vero in aliqua, vel pluribus lectionibus defecerit, distributiones neglectis lectionibus respondentes amittat, quae in Sacristiae ecclesiae beneficium cedant ac erogentur. In casu autem gravioris contumaciae praebendati, liceat Episcopo deputare alium theologum Sacerdotem saecularem, vel regularem, qui iugiter supplendo eiusdem praebendati vices, praefatis distributionibus potiatur.***

MATRIMONII.

Die 20 decembris 1873, 8 iulii et 2 septembris 1876.

Compendium facti. Vincentius N. e Dioecesi S. annorum 24, amore captus fuit erga puellam A. eiusdem Dioecesis; quae tunc (anno 1868) annos circiter duodecim agebat. Per mediatores et per epistolas .suum affectum puellae pandidit, quae paene nullam interposuit moram, ut amore in amorem responderet : et per fenestras amatoriis colloquiis indultum est, insciis parentibus. Ad illos tamen

aliqua pervenerat huius amoris fama, quando amatores inter sese fugam arripere meditati sunt; puella enim iam blanditiis iuvenis irretita ac verbis fallacibus commota fuerat. Quod inutiliter prima vice cessit, secunda tamen conatum perficere potuerunt; et die 20 martii 1868, hora quinta vespertina puella e conspectu aufugit parentum, et, eam quadam comitante muliere, ad locum conventum pervenit, ubi in currum iam paratum una cum iuvene, eiusque famulo ascendens ad Civitatem S. iter fecit. Ibi aliquantisper morata, ad domum pergitur Vicarii Capitularis, una cum binis personis. In cuius conspectum vix pervenerunt, iuvenis puellae appropinquans, protulit: *ista est uxor mea:* et puella voce submissa respondit : *hic est maritus meus.*

Hoc perfecto ad viri lares reditum fuit, comitantibus eos testibus matrimonii, et viri propinquis. Pater puellae, re cognita, auctoritatem politicam praemonuit, eo consilio ut filia etiam vi auferretur e manibus Vincentii. Re quidem vera dum lauto incumberent convivio, accidit ut Puella e mensa ad paternos lares reduceretur, et iuvenis stipante milite, in carcerem detrusus fuerit.

Quum iudiciariae potestatis ratio procedendi super negocio haud puellae parentibus placeret Sacratissimum Principem, dato supplici libello, adiverunt, nullitatem matrimonii expostulantes, sin minus dispensationem matrimonii haud consummati.

Tum puellae parentibus rescriptum fuit, ut coram proprio Ordinario, iuxta Benedictum XIV, suis uterentur iuribus quoad adsertam matrimonii nullitatem. Verum allegata incompetentia a Vicario pro causa iudicanda, et pro tabulis processualibus absolvendis, eo quod coram ipso matrimonium initum fuerat, ideoque examini subiciendus erat, S. C. Congregatio processus curam Episcopo F. concredidit.

Iuvenis processui haud interfuit : ideoque puella tan-

tum examini subiecta fuit; quae rogata quid respondisset verbis a Iuvene prolatis coram Vicario Capitulari - ***ista est uxor mea*** - fassa est se adiecisse, voce submissa, ruboris causa, - ***iste est meus maritus*** -. Iterum percontata : quid illis verbis intellexerit, et an ita in actu prolationis illorum voluntatem habuerit Vincentium pro marito habendi, subdit : se caeremoniam valoremque eiusdem ignoravisse, et tantum retulisse id quod eidem suggesserat Iuvenis, antequam domum Vicarii Capitularis ingressi fuissent. Sese, ante eiusmodi actum impletum, voluntatem habuisse et desiderium uxorem eius fieri; attamen dum coram Vicario Capitulari sisteret, verba illa protulisse ignorando an in hoc solemnis actus matrimonii consisteret, quoniam sibi pro certo erat, matrimonium fieri debuisse in Ecclesia. Post haec interrogata fuit quid in posterum acciderit : ad hoc respondit : sese e domo Vicarii Capitularis una cum Vincentio et duobus testibus, aliisque duabus foeminis perrexisse in domum Iuvenis; in qua mensae paratae erant. Attamen dum comederent, avunculum suum venisse, seseque per manum arreptam, ductam fuisse coram pubernii civilis officiali, qui de omni re certior fieri voluit : deindeque reductam fuisse in domum suam. Rogata tandem utrum aliquod temporis spatium sola cum solo Vincentio transegisset, responsum dedit negativum.

Expleto puellae examine, parentes, famula eorum, et Vicarius Capitularis interrogati quod eamdem quaestionem fere idem retulerunt quod iam dictum est. Vicarius Capitularis vero rogatus fuit an audierit verba aliqua quaecumque, aut viderit gestum aliquem approbationis Puellae ad verba a Iuvene prolata; respondit nil vidisse aut audivisse pro sua inopinata perturbatione, qua affectus fuit ex facto illo. Adiecit tamen sibi videri ex adiunctis quae novit haud locum fuisse cohabitationi solius puellae cum solo iuvene. Caeteri testes de facto interro-

gati quasi omnes idem deposuerunt; in id praecipue consentientes quod matrimonii consummationi locus haud potuit.

Iuvene in contumacia persistente, citatus fuit vinculi defensor, qui comparuit, et dubia in calce exposita concinnata fuere. Defensor Puellae, et vinculi Vindex allegationes exhibuerunt, quarum synopsis hic traditur.

Disceptatio synoptiea.

PUELLAE DEFENSIO. Orator praemonere coepit matrimonium, de quo res est, *annullali,* aut *dispensari* debere. Nullitatem matrimonii istius erui prope, ait, ex triplici capite, nempe **1 .** ° ex eo quod raptus seductionis in themate intervenerit; **2 .** ° ex eo quod puella autumaverit rem actam penes Vicarium haud constituere matrimonium; **3 .** ° ex eo quod Vicarius haud audierit verba puellae, vel viderit signa, quae eius consensum in matrimonio innuerent.

Quoad primum caput primo citavit decretum Trid. *Sess.* ***2M,*** *c.* ***6,*** *de ref. Decernit S. Synodus inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium.* Quo posito edixit raptum constitui nedum a violentia, verum etiam a seductionibus, et conciliarem dispositionem locum habere tum in raptu ex vi commisso, tum in raptu per seductionem perpetrato. Quod ut evinceret innixus est auctoritati Card. De Luca *de matrim, disc.* ***5*** *n.* ***13.*** Cosci *de separatione tori lib.* ***1,*** *c.* ***15,*** *n.* ***9.*** Eotae *p.* ***16,*** *decis.* ***250,*** *n.* ***5.*** Constituto hoc iuris principio, totis viribus adlaboravit ut demonstraret eiusmodi raptum perpetratum fuisse a Vincentio. Idque, ait, erui posse ex testibus omnibus, ex ipsius adulescentulae ingenua narratione, ab ipsis epistolis Vincentii ad puellam missis, et ex confessione iuvenis ipsius qui litteras scribens Episcopo processus ordinatori, questus est carcerem tulisse ob id factum. Insuper potestatem laicalem ipsam, ad vindicandum crimen a pa-

rentibus puellae vocatam, criminis existentiam admisisse.

Ad secundum caput gradum faciens ait: iuxta Van Espen *p.* **2** *cap. 4 n.* **7** matrimonium haud perficitur nisi per consensum de praesenti. Ast cum puella ante Vicarium Capitularem sisteret haud intellexit matrimonium perficere, quia nesciebat etiam, ut fassa est, verbis, quae protulit, matrimonium fieri posse. Ergo matrimonium non existit quia consensus deest de praesenti \

Obiici neque posse, dixit orator, mulieris errorem haud nocuisse canonicae veritati; nam si error quemlibet contractum nullum reddit, a fortiori irritum facit matrimonium, in quo absolute consensus de praesenti requiritur. Errantis enim nullum esse consensum *leg.* **8** *Cod. de iuris et f acti ignorantia* traditur - ibi: *Ipsius non accessit iudicium cum errantis voluntas nulla est.* Cui concinunt *lex* **9,** *Cod. eod.; lex* **15** *ff. de iurisd.* Richer *de iurisprud. lib.* ***l,*** *cap.* ***12, § 711;*** Cosci *de separatione tori lib.* **1,** *cap.* **7,** *n.* **2.** Pariter quin subsumeretur in puella haud praesumi posse ignorantiam in re sacramentali, triplici modo respondit Orator: 1.° etenim ait, puella haud sponte sua errorem allegavit, sed zelo defensoris vinculi adacta fuit, ut veritas rerum actarum erumperet. 2.° Nil mirum esse, si puella decimum quartum annum nondum egressa in

[1] Causa igitur efficiens et perficiens matrimonium est mutuus contrahentium consensus, ut sicuti sponsalia de futuro contrahuntur solo consensu in nuptias futuras, ita matrimonium per consensum de praesenti in nuptias perficiatur iuxta regulam iuris *Nuptias non concubitus sed consensus facit,* (leg. *Nuptias,* ff. *De regulis iuris).* Unde Pontifex, in cap. 23, De *Sponsalibus,* tamquam indubitatum suae resolutionis fundamentum assumit, *quop sufficiat ad matrimonium solus consensus illorum de quorum quarumque coniunctionem agitur.* Quod Eugenius IV in Decreto pro Armenis dicit: *Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus.* Nullatenus sic intelligendum quasi aliquando alia esset causa efficiens matrimonii quam *mutuus consensus,* sed quod is consensus non semper sit exprimendus per verba: ideoque vocula *regulariter* non refertur *ad mutuum consensum,* sed refertur ad consensum per verba de praesenti expressum.

ea opinione fuerit, quod matrimonium haud contrahi posset, nisi observato Ecclesiae ritu. 3.° Tandem, ait, id eo magis in muliere admittendum, quia leges iuris ignorantiam in mulieribus haud reprobant, cum omnium in ora volitet principium illud, « *mulieribus ius ignorare permissum est* ». Fortius autem in themate, quia de muliere in minori aetate constituta agebatur. Hinc ad rem quadrare subiunxit quod iura de minoribus tradunt *leg.* ***4,*** *ff. de iuris et facti ignorantia leg. 11, Cod. eod. tit.* Itaque, ait defensor, quoniam puella in negocio gesto coram Vicario in patulo versata est errore, ideo consensus defuit de praesenti, et matrimonium nullum atque irritum est declarandum.

Ad tertium progrediens caput defensor autumavit nullum fuisse matrimonium etiam ex eo quod Vicarius Capitularis nec verba puellae audierit, nec signa prospexerit, quae necessarium consensum innuerent.

Idque demonstravit principio iuris, quo traditur, quod ex Concilio Tridentino praesentia parochi et testium in matrimonio contrahendo esse debet moralis et humana; ita ut ad vertant atque intelligant quid agatur ; nec sufficit physica et materialis praesentia: Sánchez *de matrim, lib. 3, disp. 39;* Van Espen *ius Eccl Univers, part. 2, Tit. 12, n. 25; Cosci de separat, tori lib. 1, cap. 14, num. 97 et seq.;* Grutierez *de matrim, cap. 59, n. 8 et seq.* S. Congr. *in Segnen, matrimonii 22 septembris 1736, § Posito.* Ast praesentiam Vicarii nullimode moralem et humanam, sed physicam et materialem fuisse ex eiusdem depositione constare ; ergo etiam ex hoc capite matrimonium nullitatis vitio laborare asseruit.

Neque dicere prodesset quod Vicarius non viderit, neque audierit ex perturbatione mentis, non vero ex inadvertentia : nam quacumque de causa id acciderit, certum est illum haud praebere posse testimonium de consensu praestito, ideoque existentia matrimonii probari nequit

ex *Cosci de separat, tori lib. l, cap.* ***14,*** *n.* ***15,*** et S. Rota in *Urbevetana Matrimonii* ***5*** *iulii* ***1861*** *coram Sbarretti* § ***2*** *et seq.* Qui autem dixerit parochi testimonium minus necessarium ad probandam matrimonii existentiam ni temeritatis, audaciae profecto incurreret notam. Ad rem Benedictus XIV *Synod. Dioec. Cap.* ***3,*** *lib.* ***13,*** *n.* ***6*** haec ait : *Parochus autem interest matrimonio tanquam testis auctorizabilis pro ecclesia. Idcirco Tridentinum parochi praesentiam voluit ut in illius probitate maximum fundamentum statueret. Parochus autem non potest testem agere tantae auctoritatis in Ecclesia, nisi et videat contrahentes, vel eorum verba audiat vel ea non percipiat, signa autem videat, et intelligat quae mutuum significent utriusque partis consensum.*

Ergo, ait orator, ex tribus capitibus nullitatis eiusmodi matrimonii scatet. Si quis autem haereret in dicti coniugii proclamanda nullitate, ad illius memoriam revocat agi in themate de matrimonio (Clandestino : hinc praesumptio stat pro eius invaliditate, et in dubio pro nullitate iudicium est ferendum Ursaya *discept. Eccles, tom.* ***2,*** *discept, i,* ***§9,*** *n.* ***19,*** Tamburin, *de Sacramentis lib.* ***8,*** *tit. de m,atrim. tract.* ***6,*** *cap.* ***2, § 2,*** *n.* ***15.*** Cosci *de separat, tor. lib.* ***3,*** *cap.* ***4,*** *n.* ***29*** *et seq.*

Transivit hinc orator ad secundam defensionis partem, nempe ad matrimonii dispensationem ; pro qua consequenda duo requiri ait, idest probationem de non consummato matrimonio, et iustam causam. Quoad primum requisitum edixit certum esse praesens matrimonium fuisse tantum ratum et non consummatum. Idque confirmatum fuisse omnium testium depositione, ex qua constavit puellam solam cum solonuvene numquam permansisse post matrimonium. Adesse autem etiam iustam causam ad matrimonium dissolvendum erui ex aversione animorum contrahentium, et ex odio inter familias exorto. Nam puella ad parentes restituta, atque in se reversa

horruit eiusmodi factum, atque idea redeundi in potestatem Vincentii eam deterrebat. Odia insuper inter duas familias ita exardescere ut Iuvenis et parentes eius, coniuratione facta, omnes examini se subiicere renuerint. Praeter odia, et iras quae animos dissociarunt, ait orator, nullam adfuisse omnino conciliationis spem ; ex quo fit ut dispensatio nedum legitima, sed et necessaria et indeclinabilis reddatur, ad monitum Cosci *de separat, tor. cap. 16, n. 256.*

Itaque cum matrimonium in themate ratum tantummodo et non consummatum fuisse constet, causasque adfuisse pro dispensatione, ideo conclusit orator dispensationem indulgendam fuisse.

VINCULI DEFENSORIS DEDUCTIONES. Haud fuisse admittendam puellae parentum petitionem conatus est evincere iugalis vinculi defensor; tum quia ex iure canonum ipsi sponsi actoris figuram repraesentare debeant; tum quia acta ad iudiciarium ordinem instituendum et perficiendum absoluta scateant pluribus nullitatibus. Insuper edixit esse reiiciendam petitionem eamdem, quia censuit validum fuisse matrimonium eiusmodi; utpote quod libere ac sponte tum a viro tum a foemina celebratum fuerit. Idque ita fuisse erui, ait, ex eo quod in antecessum longo Temporis intervallo amori indulserirht, quin unquam honestatis fines praetergrederentur et vis aliqua fieret; nil aliud vir et foemina prae oculis habuerunt, quam matrimonium iugiter contrahere. In actu matrimonii contrahendi ipsa puella urgebat gaudens ut quam sollicitius actus perficeretur. Tandem ita libere matrimonio consenserat puella ut vi ad parentes restituta suum enixe efflagitant virum. Ex quibus omnibus seductionis raptus omnino repellitur in themate.

Neque edici posse, ait, defuisse puellae consensum, ex eo quod illa putaverit haud constitutum fuisse actum matrimonii solemne in illis verbis quae coram Vicario

protulit. Nam sicuti ex confessione puellae eiusdem pro certo habetur, eamdem ante et post eiusmodi actum, voluntatem habuisse contrahendi matrimonium; hinc errorem an hic vel ille actus matrimonium perficiat, nullum secumferre, posse, asseruit, obstaculum validitati actus. Et aliqua difficultas solummodo oriri posset si dubitaret ur an eodem momento quo implebatur actus coram Vicario, puellae intentio perduraverit. Attamen dubium eliminatur a puella ipsa quae post reditum ad patrios lares plorans repetebat: *volo meum maritum, volo meum sponsum.*

Pariter dici nequit quod matrimonii huius validitas nutet, ex eo quod Vicarius Capitularis non audierit puellae verba; etenim ipse iureiurando testatus est ideo non audivisse verba eadem, quia exturbatus per verba iuvenis, illico intellexit attentatum fuisse matrimonium. Ast si intelligatur quod vir et mulier de matrimonio celebrando rem habeant, haud interesse, ait, audire contrahentium verba; nam ad matrimonii validitatem sufficit si parochus intelligat quid agatur. Idque arguit ex Neritonen. *Matrimonii 24 maii 1738* et ex aliis.

Vinculi defensor tandem ad secundam descendens defensionis partem, idest ad dispensationem; praemisit de ea in hac iudicii sede disseri non posse, tum quia sponsorum petitio deest, tum quia processuales tabulae ad hoc confectae haud fuissent. Proindeque censuit illam nullimode potuisse indulgeri; 1.° quia de matrimonii consummatione certa et concludens probatio haberi nequivit; dum omnes Vincentii coniuncti examini se subiicere recusaverit, et aliunde sola consummationis possibilitas satis sit ad eam recusandam; 2.° quia nulla ac legitima causa praesto est ad eam indulgendam, dum neque puella odio prosequatur iuvenem, neque de eiusdem parentum odio adversus iuvenis familiam, verbum unquam in actis appareat. Ideoque etiam ex hoc capite puellae parentum petitionem reiiciendam fuisse edixit.

Haec ex utraque parte quum praemissa fuissent, duo quae sequuntur supposita fuere enodanda

Dubia.

I. An constet de nullitate matrimonii in casu.

Et quatenus negative.

II. An sit consulendum SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati in eam.

RESOLUTIO.

Sacra Concilii Congr. die 10 decembris 1873, causa discussa, censuit responsum praebere : *Dilata, et coadiuventur probationes iuxta instructiones dandas.*

CAUSAE PROSEQUUTIO. Iuxta rescriptum instructiones datae fuerunt, et longo post tempore responsa transmissa sunt.

PUELLAE DEFENSIO. Cum quaestio reproposita fuerit Advocatum fidelibus subiecit oculis omnia acta noviter absoluta, totusque in eo fuit ut matrimonii nullitatem vindicaret. 1.° Ex crimine raptus; 2.° ex defectu moralis praesentiae parochi; 3.° ex defectu consensu puellae. Sin minus contendit matrimonium in themate dispensandum fuisse, quia fieri non potuit ut consummaretur, et quia legitimae atque iustae causae suppeterent ad huiusmodi dispensationis gratiam obtinendam. Omnia haec iam adduxerat in prima propositionis causa.

VINCULI DEFENSORIS DEDUCTIONES. Vindex iugalis vinculi obsistit enixius autumans, ita luculentam effectam fuisse matrimonii validitatem, ut de ea amplius dubitare non liceat. Etenim mulier expressis verbis fassa est se nedum nulla prorsus vi adactam fuisse, sed ipsam sponte diem et horam indixisse qua e domo ad nuptias ineundas in votis erat. Atque id verum ita fuisse ut (ex testimonio aurigae) ipsa mulier rem excogitaverit, atque expleverit.

Ex iurata dein depositione testis I eruitur atque con-

firmatur, quod puella ipsa antequam sisteret coram Vicario Capitulari annulum matrimonialem elegerit; ideoque indubium manere quod illa iam sciverit se matrimonium revera inivisse.

Validitati huic nil officere potuisse, adiecit defensor, praetensum raptum; cum raptum perpetretur tunc solummodo quando mulier invita, non seductione, sed vi physica de loco in locum transferatur. Si enim illa consensit idea proprii raptus evanescit; tantumque asseri potest quod vis parentibus illata fuerit. Ast memoria remeandum est Tridentinum per crimen raptus consulere tantum voluisse libertati matrimonii, minimeque respexisse ad consensum parentum. Et *Sess. 21, c. 1,* damnavit eos qui affirmarent, matrimonia sine consensu parentum contracta irrita esse.

Proindeque defensor vinculi matrimonialis conclusit: validitatem matrimonii in liquido fuisse positam; neque fas esse disserere de dispensatione matrimonii rati et non consummati; dum inconsummatio evidentissime probata non fuerit, neque causae legitimae praesto sint.

Hisce noviter deductis, eadem duo reproposita fuere

DuMa.

I. *An constet de nullitate matrimonii in casu.*

Et quatenus negative.

II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione matrimonii rati, et non consummati in casu.*

RESOLUTIO.

Sacra Concilii Congr. causa iterum discussa, die 8 iulii 1876 censuit respondere:

Ad primum: providebitur in secundo. Ad secundum: Affirmative.

CAUSAE PROSEQUUTIO. Vinculi matrimonialis vindex beneficium novae auditionis obtinuit, ideoque tertio quae-

stio eiusmodi proposita fuit. Patronus Puellae nil iam dictis adiecit, et Vinculi defensor iam dicta iterum egit, nova allegagione. Quapropter tertio lis discussa fuit, sub dubitandi formula.

An sit standum vel recedendum a decisis in 1.° et 2.° dubio in casu.

Eadem S. C. Congregatio sub die 2 septembris 1876 respondit: *In decisis.*

Ex **QUIBUS COLLIGES :**

I. Ex Tridentino certum esse inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris permanserit, nullum consistere posse matrimonium [1].

II. Attamen raptum ut matrimonium dirimat perfici debere per violentiam sive per vim apertam, rapiendo nempe violenter mulierem, causa ineundi matrimonium, haud vero quacumque alia ratione.

III. Raptum *subornationis* vel *seductionis* exulare a canonica iurisprudentia; et manere apud nonnullos tantum theologos praecipue in Gallia.

IV. Praesentiam Parochi in celebratione matrimonii haud corporalem et physicam, sed moralem esse debere ut eius testimonio matrimonium probari possit.

V. Consensum de praesenti contrahentium matrimonium exprimi posse non solum verbis sed etiam signis; ita ut matrimonium sit validum etiamsi parochus verba non audierit, sed signa aequivalentia viderit,

VI. Quapropter nil obfuisse, putandum est, validitati matrimonii quod Vicarius Capitularis (qui in themate Parochi munere fungebatur) mulieris verba non audierit ; dum ipse fassus sit se intellexisse illo in adiuncto agi de matrimonio ineundo.

[1] Scitum est etiam post editam Constitutionem Apost. Sedis, vigere semper excommunicationis censuram ipso iure incurrendam, sed nemini reservatam, prout eam inflixit Tridentinum, sess. 24, cap. 6, De *ref. matr.*, contra raptores mulierum, eisque consilium, auxilium et favorem praebentes.

VII. Pro dispensatione super matrimonio rato obtinenda adesse debere probationem omnino concludentem de non consummatione matrimonii; atque iustam gravemque causam requiri, quae dispensationem eiusmodi suadeat.

EX S. CONGREGATIONE S. R. U. INQUISITIONIS

DECLARATIONES.

Feria IV, die 25 novembris 1874.

In Congregatione Generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis coram Emis et Rmis DD. S. R. E. Cardinalibus contra haereticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus relatis infrascriptis dubiis ab R. P. D. Episcopo Nolano propositis, scilicet:

1. An loca, in quibus excipi solent confessiones Monialium, habenda sint ut loca destinata ad audiendas confessiones; vel ut vera confessionalia?

2. An idem dicendum sit de locis constructis ad formam eorum, in quibus excipi solent confessiones Monialium claustralium, in quibus excipiuntur confessiones mulierum degentium in locis, quae vulgo dicuntur *Conservatorii, Ritiri f*

3. Quatenus habenda sint ut vera Confessionalia, utrum talia censendae sint solum quoad Moniales, et alias degentes in praedictis locis, an vel etiam quoad alias mulieres extraneas ?

Iidem Emi Patres respondendum censuerunt: Ad tria dubia prout exponuntur: *Affirmative.*

Pro Dom. I. P**ELAMI,** *S. R. et U. Inquisii. Not.*

Iacobus Vagaggini, *Substitutus.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

IURIUM PAROCHIALIUM.

Die 1 aprilis 1876.

Sess. 23, Cap. 15 de Reform.

Compendium facti. Reverendissimus Archiepiscopus B. ad S. Congregationem Concilii scripsit quae sequuntur. ((In Metropolitana Ecclesia B. cura animarum **a** tam habitualis quam actualis est penes Capitulum cu- **ti** mulative cum Archiepiscopo, ac per octo Canonicos « totidemque Hebdomadarios ad nutum solius Capituli (amovibiles solet exerceri. Hinc factum est, ut nonnulli « putarint, non eos tantum qui actu curam exercent, sed « omnes et singulos Canonicos facultate excipiendi *Sa-* « cramentales Confessiones praeditos esse, absque Ordi- <(narii approbatione. Quapropter infrascriptus Archiepi- « scopus sequentia dubia declarari humillime postulat ».

I. *An quilibet Canonicus, quando Cura animarum est penes Capitulum, Confessiones Sacramentales, absque licentia Ordinarii, valide et licite excipere possit?*

Tí. An Canonici, quibus cura animarum committenda est, examen pro Confessionibus excipiendis apud Ordinarium subire teneantur t

n I. *Quid in casu?*

Huiusmodi Quaestiones ad *plenam Congregationem* ablegatae sunt, per assuetum decretum *ponatur in folio* et Patrum Cardinalium iudicio suppositae, nonnullis adiectis *ex Officio* argumentis quae ex una parte Ordinarii approbationem et examen pro confessionibus audiendis fulciebant, ex alia eamdem excludebant.

ARGUMENTA CANONICIS CONTRARIA. Exordium ductum est ab axiomate iuris Ecclesiastici notissimo : scilicet, ad hoc ut quilibet Sacerdos fidelium confessiones licite et valide excipere valeat, praeter remotam ordinis potestatem, et eam proximam potestatem requiri, quae iurisdictionis nuncupantur. Hac postrema sacerdotem, ex communi Doctorum sententia, subditos adipisci in quos iudicii actus exerceat. Hanc autem iurisdictionem, nisi eam,ali unde habeat sacerdos, nullo alio modo ei obvenire posse, nisi aut per parochiale beneficium aut per Ordinarii approbationem, quae de sacerdotis idoneitate ad confessiones excipiendas iudicium plerumque continet. Perspicuam esse in subiecta materia S. Tridentinae Synodi mentem *Sess.* ***23,*** *Cap.* ***15,*** *de Reform.* - ibi : *decernit S. Synodus nullum etiam regularem posse confessiones Saecularium etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, approbationem quae gratis detur obtineant.*

Huius absolutae praescriptionis rationem praebere Sánchez *de Matrim, lib.* ***3,*** *disp.* ***20,*** *num.* ***10*** *vers, potest.* - ibi : *Quia hanc approbationem tantum petit Tridentinum pro confessionibus audiendis propter magnam prudentiam, scientiam et vitae probationem, quae in tali ministro requiruntur cum sit medicus et iudex animarum.* - Propterea absolutionem datam per sacerdotem non approbatum nullam atque irritam declaratam fuisse ab eadem S. Synodo *Sess.* ***14,*** *Cap.* ***7,*** *de Reform.* - ibi : *Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem.* Idque iure ac merito. Sacramentum namque poenitentiae esse actum iudicii : iudicii autem naturam et rationem expo-

scere ut sententia in subditos feratur, quos certe non habet qui iurisdictione caret.

Canonicos Ecclesiae Cathedralis B. neque ordinariam neque delegatam habere iurisdictionem. Non ordinariam quae vi officii communicatur, quia parochiale beneficium haud possident : non delegatam quia certum est, eos approbationem ab Ordinario neque petiisse neque impetrasse. Nec admitti argumentum, quod scilicet Canonici isti beneficium parochiale possideant eo ipso quod Canonici renuntiantur, et sunt pars Capituli penes quod animarum cura reperitur. Exceptis namque octo Canonicis quibus curae exercitium demandatum est, quique cum totidem Hebdomadarius illud adimplent, ceteros Canonicos sese ab omni gestione abstinere, et in curae animarum administratione nullatenus sese immiscere: inutiliter ergo ipsos dispositionem invocare iam relati *cap.* ***15,*** *sess.* ***23,*** *de Reform.*

Et gravius illud in themate superesse, quod neque Canonicis quibus cura animarum commissa est, eadem illa Tridentini dispositio prodesse valeat. Docere enim Canonistas, parochos quantumvis probatos, et Ecclesiae Paroecialis exercitio existentes, novo examini ab Episcopo subiici posse, novis supervenientibus etiam extraiudicialibus indiciis de eorum imperitia, si parochi ab ipsomet Episcopo approbati fuerint : si vero ab antecessore instituti sint, novo Episcopo licere eos pro sola conscientiae suae quiete iterum examini subiicere. Id expresse tradere Ferraris, verbo *Parochus art.* ***2,*** *num.* ***21,*** *ad num.* ***27,*** Hota *Decis. Recent, part.* ***19,*** *tom.* ***1,*** *Decis.* ***257,*** Gonzalez, Garcia, Barbosa, De Luca, Pignatell. *tom.* ***1,*** *consult.* ***133,*** *num.* ***7,*** S. C. C. in *Pampilonen.* a Pignatelli relata loco citato num. **8.** Si ergo id obtinet pro parochis qui in vim facti speciminis iam ab Episcopo expresse approbati fuerunt; multo magis dicendum esse de Canonicis qui curam exercent sibi a Capitulo concreditam, quin ullum examen

dederint, vel alias approbati fuerint ad curatum officium adimplendum. Et ita revera definitum fuisse per S. Cong. Conc. in *C iugulano, Curae animarum,* ***19*** *iulii* ***1732*** in qua sequenti dubio : *An capellanus seu Vicarius ad exercitium curae animarum deputandus, vel de gremio, vel extra gremium Capituli, debeat ab Episcopo approbari ad eamdem curam?* responsum est: *Affirmative.*

Ast illud praecipue esse prae oculis habendum in themate, quod nempe Canonici Cathedralis B. revera Parochi censeri nequeant, sed sint simplices operarii ad vineam Dòmini excolendam vocati, vel simplices Curae administratores. Etenim in casu rem esse de Ecclesia Cathedrali curata, et animarum curam iuraque omnia parochialitatis nunquam Capitulo avulsa censeri : et Canonicos illos quibus curae exercitium demandatur, esse veluti Vicarios temporaneos, ad ipsius Capituli nutum amovibiles; Garcias *de Benef. part.* ***9,*** *cap.* ***2,*** *num.* ***182*** *et seq.;* Pitonius *Discept. Eccl. part. 4, discept. 104.* Quapropter S. Congregationem Concilii rescripsisse, ipsos quoque Canonicos a Capitulo quotannis electos, pro exercenda cura animarum egere Episcopali approbatione, ut videre est in *Aliphana, curae animarum* ***12*** *ianuarii* ***1726.***

His ita se habentibus, octo Canonicos ad curae exercitium deputatos, in eadem conditione versari ac alios eiusdem Capituli Canonicos, quibus nullum concreditum est ministerium : et quemadmodum primi ad confessiones audiendas admitti non possunt absque Episcopi approbatione, ita nec secundi ; cum neutri parochiale beneficium habeant.

Nec esse oggerendum, hoc ipso quod sermo sit de Cathedrali Ecclesia Curata, Episcopo facultatem adimi examinis vel concursus indicendi. Certum namque esse Episcopum posse examini subiicere Canonicos a Capitulo, vel ab aliis auctoritatem habentibus ad curam animarum exercendam deputatos, eisque praecipere ne absque sua

approbatione curam exerceant, licet etiam ab immemorabili in exercitio curae versentur absque examine et approbatione Episcopi. Ita tradere Garcías *loc. cit.* referentem plures S. Congr. Conc. declarationes.

ARGUMENTA CANONICIS FAVORABILIA. Pro Canonicis fundamentum positum est in ea facti circumstantia, quod nempe agitur non de quacumque Cathedrali Ecclesia, sed de tali Ecclesia Cathedrali, penes quam cura residet animarum. Hoc posito, singuli de gremio Capitulares, quemadmodum Canonici fiunt in vim peractae possessionis, et ad omnia officia muniaque parochialia ius habent, sic pariter eo ipso Comparochi evadunt : ac propterea ea omnia munera et iura ad ipsos pertinent quae parochiali officio inhaerent. Et sicuti Sacerdos quilibet eo ipso quod parochus constituitur valet confessiones audire, quin speciali Episcopi approbatione, vel delegatione indigeat - ita et Canonici isti, cum hoc ipso quod Canonici fiunt, Parochi sint.

Ad hanc theoriam roborandam afferebatur auctoritas Navam *Cons. 8 de privilegiis N. 9,* qui tenuit non posse ab Episcopis Canonicos Capellanos examinari: quia eo ipso quod a Capitulo Capellani renuntiantur, habent facultatem adnexam curam exercendi.

Fagnanus quoque *Cap. eoe parte lib. I, Decret, de Off. Vicœr. n.* ***13,*** animadvertit : quod ubi Ecclesia Cathedralis parochiam habet, non ad Episcopum, bene vero ad Capitulum parochialia iura pertinent. Quare concludi potest parochialibus iuribus vacare posse Capitulum, etiam Episcopo ignaro.^ Sed sub nomine Capituli veniunt Canonici. Ergo Episcopi approbatio nullo modo requiritur, ad hoc ut Canonici Ecclesiae Cathedralis Curatae confessiones rite excipere valeant. Ergo Canonici Cathedralis Ecclesiae B. rite sui favore invocant dispositionem *Conc. Trident. Sess.* ***23,*** *Cap.* ***15*** *de Reform.*

Haec si Canonicis omnibus, multo magis illis appii-

canda sunt qui in curae exercitio a Capitulo demandato reperiuntur. Hi enim Capituli Vicarii sunt in eadem iurisdictione, officio, aut cura substituti, ut indicat Gloss, communiter recepta *in Clement. I. V. Presbyter, de privil.* et eamdem omnino iurisdictionem exercere debent eius, cuius locum et vices gerunt. Pirhing *de Offic. Vic. tit.* ***28,*** *sect.* ***i,*** *p,* ***i****,* *num.* ***23.*** Ergo sicut Capitulum Curatum iurisdictionem ordinariam habet, quod nullo modo ambigitur, ita et Canonici a Capitulo delegati : et quemadmodum cetera parochialia munera exercere possunt, ita et confessiones audire.

Hisce hinc inde notatis, EE. PP. proponebantur quae iam superius transcripsimus

Dubia.

I. *An quilibet Canonicus, quando Cura animarum est penes Capitulum Confessiones Sacramentales, absque licentia Ordinarii, valide et licite excipere possit?*

II. *An Canonici, quibus cura animarum committenda est, examen pro Confessionibus excipiendis apud Ordinarium subire teneantur?*

III. *Quid in casu?*

Sacra Congregatio in Comitiis diei 1 aprilis 1876, reformavit dubia prout sequitur.

D**UBIUM PRIMUM.** *An Canonici Ecclesiae Metropolitanae B. Confessiones Sacramentales absque approbatione Ordinarii valide et licite excipere possint in casu?*

D**UBIUM SECUNDUM.** *An Canonici praedicti qui nominantur ad curam animarum, et qui sunt amovibiles ad nutum Capituli indigeant, ad curam animarum exercendam, approbatione Ordinarii praevio examine in casu?*

Et respondit :

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative quoad approbationem etiam praevio examine, si ita in singulis casibus Ordinarius iudicaverit.*

EXINDE COLLIGES :

I. Quoties de iure alicuius presbyteri ad confessiones audiendas quaestio instituitur, illud prae primis inspiciendum esse num Sacerdos iurisdictionem habeat : quia praeter *remotam* ordinis potestatem et *proxima* iurisdictionis potestas requiritur, ad hoc ut Sacerdos quilibet confessionem *valide* et *licite* excipere valeat. Cum enim poenitentiae sacramentum actus sit iudicii, et sententiam contineat quae nonnisi in subditos ferri potest, subditi vero sine iurisdictione non habeantur, ideo iurisdictionem necessariam esse.

II. Hanc iurisdictionem nisi sit ordinaria vel delegata, nullo modo suppleri.

III. Non habere neque ordinariam neque delegatam iurisdictionem Canonicos Ecclesiae Cathedralis, licet curata sit, et Cura habitualis maneat penes Capitulum.

IV. Neque iurisdictionem habere dicendos esse inter Canonicos illos, quibus curae exercitium quotannis a Capitulo demandatur. In hoc enim casu, cura animarum, et parochialitatis iura, numquam a Capitulo avulsa censeri et Canonicos a Capitulo ad curam exercendam electos, esse veluti Vicarios temporaneos ad ipsius Capituli nutum amovibiles, quibus nuda dumtaxat administratio curae committitur.

V. Deficiente iurisdictione, prodesse nequire Canonicis Ecclesiae Cathedralis Curatae quae Concilium Tridentinum praescripsit *Sess. 23, Cap. 15, de Reform.*

VI. His de causis S. Congregationem in casu decrevisse: illis etiam intra Canonicis alicuius Ecclesiae Cathedralis Curatae qui nominantur ad .curam animarum, necessariam esse Ordinarii approbationem ut valide et licite confessiones excipiant: et Ordinarium si ita iudicaverit, posse etiam in singulis casibus, eos examini subiicere.

IUBILATIONIS. [1]

Die-8 iulii 1876.

Compendium facti. Franciscus C. Ecclesiae Cathedralis **N.** Canonicus Praepositus, supplici porrecto libello, Sacratissimo Principi exposuit: se ab anno 1868 Indultum iubilationis obtinuisse per rescriptum S. Concilii Congregationis. In eo rescripto, praeter alia, legitur: *quamvis in posterum non serviat* (Canonicus Praepositus) *nihilominus fructus omnes et distributiones quotidianas sui Canonicatus percipere valeat perinde ac si choro et officiis divinis personaliter interesset.* Hoc non obstante Indulto pontificio, se iuxta Constitutiones Capitulares, haud a S. Sede approbatas, prosequutum fuisse Missam Conventualem usque adhuc, per turnum applicare sive per seipsum, sive per alios.

Attamen, ait orator, quum nunc iam octoginta quinque annos attigerim, ideoque impar effectus sim per memetipsum oneri implendo; neque aliunde alius facile reperiatur qui vices gerat; proinde humiliter adprecor ut onus eiusmodi a me auferatur pro gratia, quatenus id efficere nequiverit iubilationis indultum.

Ordinarius, a S. C. C. requisitus quoad eiusmodi preces, transmisit deductiones Capituli, et Canonici Praepositi, nec non Constitutionum Capitularium particulam,

[1] **Cfr. Vol. V, pag. 440; Vol. VI, pag. 414, 421 et sqq.**

quae sic se habet : *Caput XXIII, De Distributionibus, p. III.* « De his qui absentes pro praesentibus habentur.
« Numero II. Illi demum qui Ecclesia et Chori servitio
« per annos quadraginta laudabiliter expleto, dispensatio-
« nem iubilationis titulo nuncupatam, *firmo tamen ma-*
ii nente Missarum per turnum onere a S. Sede impetrave-
« rint, obtento prius Capituli consensu etc. ».

Disceptatio synoptica.

EA QUAE FAVENT PETITIONI CANONICI PRAEPOSITI. Constans et universalis cuiuscumque Ecclesiae observantia, et paene innumerae declarationes S. C. C. ad rem prolatae suadere videntur preces Canonici Praepositi benigno favore fuisse excipiendas. Et quoad observantiam, neminem latet Canonicos qui post laudabile et continuum 40 annorum servitium in sua Ecclesia praestitum ad iubilationis indulto fruendum admissi sun't, ab onere celebrandi Missas per turnum dispensatos esse. Et ratio huius dispensationis fundamentum habere videtur in ipso indulto; nam sicut per idem indultum iubilatus a chori interessentia eximitur, ita liberatur a quocumque onere quod ab interessentia vel a chori servitio dependet, dum id secumferat accessorii naturam et rationem. Ast accessorium necesse est sequi principalis naturam iuxta *reg. 42 de Reg. Iuris in 6* - ibi : *Accessorium naturam sequi congruit pñncipalis.* Cui consonat lex *Nihilo dato 129, ff. de Reg. iuris* - ibi : *Cum principalis causa non consistit, ne ea quidem, quae sequuntur, locum, habent.* Quapropter perempto onere principali, quae accessionum locum obtinent extinguantur oportet *I. 2, ff. de pecul. legato.* Iam vero onus Missam conventualem seu per turnum celebrandi eamque applicandi dependere a servitio chori et ab eo descendere ex constanti S. C. C. praxi definitum reperitur. Ergo qui ad interessendum choro, seu ad servitium praestandum haud tenetur, nec huiusmodi Mis-

saram celebratione obstrictus esse videtur. Veritatem eiusmodi fundamentum habere in plurimis S. C. C. resolutionibus indubium est. Inter alias quae hic referri possunt sufficiat *Serien, celebrat, et applicai. Miss, convent. 12 martii 1839: Nepesina 7 martii 1718,* et praesertim *Praenestina5 sept. 1835* in qua proposito dubio: *an Canonici iubilati teneantur canere et applicare Missas conventuales et feriales de turno,* respondit : *Negative.*

Constitutiones illius Capituli utpote quae ab Episcopo tantum adprobatae, nullam exerere possunt vim contra oracula Summorum Pontificum et S. C. Congregationis praxim. Nam vetitum est in Capitularibus Constitutionibus, et in Synodis Dioecesanis condere leges quae Pontificum rescriptis ac generali ecclesiae disciplinae adversentur. Pia mater Ecclesia, ad imitationem eius quod in temporali militia consuevit, ex benignitate introduxit quod Canonici iubilati ab interessentia in choro et a quocumque onere a chori servitio dependente eximerentur. Ad rem E). Ambrosius in *Lib. de viduis, circa finem* - ibi : *miles confectis stipendiis alma deponit et relicto officio, quod gerebat, ad propria veteranis iura dimittitur ut et ipse eœercjtae laboribus vitae requiem consequatur, et alias spes futurae quietis subeundis faciat operibus promptiores.* Quae profecto divi Ambrosii verba in tenues abirent auras si Canonicus Praepositus Missarum onere per turnum adhuc premeretur : penitus enim arma haud deponeret, officium quod gerebat, non relinqueret, propria veteranis iura nec vitae requiem consequeretur laboribus exercitae. Quam consuetudinem suo iam tempore universaliter inductam testatur S. Pont. Bened. XIV in suo opere *de Synod. Dioeces, lib. 13, cap. 9, n. 15.* « *Hinc consuetudo universalis invaluit, ut canonici et alii qui chori servitio addicti sunt, si per annos quadraginta laudabilem illi operam impenderint, ab eodem in posterum frequentando absolvantur, fructus tamen atque distributiones*

eodem quo antea modo percipiant. Tandem *loc. cit.* adiecit : *Animadvertendum dumtaxat hic est quod is qui iubilationem obtinuit, non solum amplius non tenetur choro interesse, sed neque residere in civitate aut loco, ubi sita est Ecclesia cathedralis sive collegiata in qua Canonicatum aut Praebendam, aliudve beneficium chorale obtinet, sed in illius potestate est, domicilium alibi figere ».*

Dici tamen posset quod canonicus quilibet per has constitutiones capitulares renunciaverit iuri in sui favorem per legem inducto : quod cuivis licitum est per *leg. penult. Dig. de pactis.* Cui observationi replicari potest eiusmodi regulam amittere officium suum quoties agatur de lege quae publicum ordinem respiciat, quaeque ut in themate evenit ob publicum bonum sit promulgata. Quo casu nulla cogitari potest renunciatio, cum effectus eiusmodi legis a privatorum arbitrio pendere haud debeat; sed omnes conformare debent actiones suas huic legi, quae ad publicum consequendum bonum confert. Quia *quae contra ius sunt debent utique pro infectis haberi iuxta Reg.LXIV de reg. iuris.* Cui concordat lex *ius publicum 38 ff. de pactis* - ibi : *Ius publicum privatorum pactis mutari non potest: iuncto c. si diligenti* ***12*** *in fin. de for. compet, ubi dicitur: Cui* (indulto publico) *privatorum pactis derogare non potest.* Attamen concesso etiam quod canonici favori eiusmodi et privilegio abdicando cedere possent *Leg. pen. ff. de pact.* superius allata; huiusmodi tamen legitimi iuris abdicatio personam abdicantis non praetergreditur, et multo minus in alterius detrimentum operari posset renunciatio quae ex Constitutionibus a Canonicis emissa eruitur, per id quod traditur *leg. 74 ff. de reg. iuris* - ibi : *Nec quod alterius est sine facto suo auferendum.*

Neque asseri posset Canonicum Praepositum facto proprio fecisse suam renunciationem editam ab antecessoribus suis in Constitutionibus ; quatenus etiam post ob-

tentum iubilationis indultum Missae eiusmodi per turnum celebraverit. Nam primo has ita paucas fuisse, ut inducere nequirent consuetudinem in contrarium. Deinde scitum in iure est consuetudinem vim suam nancisci ex voluntate agentium, qui eatenus actus quosdam operantur, ut obligationem exinde inducant *Leg. 32, ff. de leg.* Proposita ergo tali observantia, adhuc dubitari licet an animo sese obligandi Iubilatus et caeteri onus Missarum susceperint : consuetudo enim, quae obligationem inducit stricte est interpretanda. Porro animus sese obligandi per actus ab oratore adhibitos exulat, posita praesenti controversia.

Insuper in themate haud obliviscendum, est Canonicum Praepositum in tali versari aetate ut in continua detineatur infirmitate, ceu Philosophus romanus testatur. « *Senectus ipsa est morbus* ». Ergo ceu Canonicus iubilatus nullo sive servitii chori, sive celebrationis Missarum onere teneretur si in morbum incidisset, sic pariter a quavis obligatione dispensandus **est,** quia in tali aetatis statu reperitur, qui morbo assimilatur et aequivalet. Quapropter quidquid sit de iuris principiis favore Canonici Praepositi aliati, memoria quoque remeandum, hic potius quam de stricti iuris controversi applicatione, agi de gratia concedenda. Ast pro gratia tantummodo requiruntur nonnulla adiuncta, et peculiares illae rationes, quae sufficiant ad derogandum in casu speciali generalibus relativi (Constitutionum capitularium in themate) iuris regulis absque gravi interesse habentium vel contradictorum detrimento. In themate adfuisse omnia adiuncta nemo dubitavit; nam Orator ultra quadraginta annos continuo et laudabiliter Ecclesiae inserviit, aliaque peregit ceu innuimus.

IURA CAPITULI CATHEDRALIS. Capitulum quodlibet posse leges seu statuta quaedam condere supra particularia negotia, seu circa Ecclesiae aut ipsius Capituli rectam ordinationem indubium est. Quae statuta et leges, si concur-

rant conditiones caeterae requisitae, valida esse etiam nullo Episcopi accedente consensu sentit Glossa in *cap. Constitutionum, vers, statutorum de Verb. signif. in* ***6.*** *A b-basin. c. cum omnes num.* ***4.*** Barbosa *de Canonicis cap.* ***42,*** *n.* ***16*** post Rotam in *Herden. Statuti* ***19*** *maii* ***1597*** *coram R. P. D. Corduba:* et in *P aduana Sedilium* ***26*** *ianuarii* ***1618*** *coram bon. mem. Card. Sacrato.* Iam vero prostant in themate Constitutiones Capitulares rite peractae, cum adprobatione Episcopi ; quae iubent Canonicos omnes et singulos etiamsi iubilatos teneri onere Missarum per turnum. Ergo Constitutiones eiusmodi, utpote quae latae fuerint ab habente auctoritatem et ius, validae censendae sunt; et Canonicos obligari eisdem sese conformare, praecipue quia possessionem canonicatus nanciscentes iuramento promittunt eas sese religiose observaturos. Cui iuris principio praxis S. C. C. adiici debet; quae in *Reatina Distrib.* ***19*** *aprilis* ***1692,*** quum declaraverit iubilationis indultum immunem reddere Iubilatum a Missa conventuali, aliisque capitularibus oneribus, protinus hanc adiecit limitationem: *dummodo non obstent Constitutiones particulares et consuetudo ecclesiae.* Huc accedere quod eiusmodi Capitularia statuta usque adhuc ad unguem observata ab omnibus sint. Quae longissimi temporis observantia quantum valeat facile apprehenditur, si animadvertatur consuetudinem vim legis habere, ideoque servandam esse ius utrumque conclamat.

Si vero diceretur onus fieri nimis grave, subiiciendum est hic agi non de particulari sed de generali dispositione, quae omnes in universum tangit Canonicos, nulla facta exceptione, quae ab omnibus de Capitulo sponte et libere allata fuit et sancita, et quam propterea nemini licet in praesenti respuere. Neque novum in iure est posse quemlibet iuri vel privilegio in sui favorem inducto renuntiare si ei placuerit, argumento *ex lege penult. Dig. de pactis.* Atque ita legem privatam sibi imponere. Quae deinde lex

privata ex speciali consensu seu pacto proveniens procul dubio servanda est : quia *pacta custodiantur oportet c.* z, *de pactis.* Et. quidem etiam ex aequitate naturali *leg. i, ff. eod. aequitas naturalis est. Quid enim tam congruum fidei humanae, quam ea, quae inter eos placuerunt servari?* Neque onus de quo lis est grave haberi potest; quia Sacerdos per Capitulum constitutus fuit, qui Missas omnes dierum ferialium celebrare debet: ideoque raro canonici huic subiacent oneri. Dum ex adverso exemptio etiam vulnus Constitutionibus Capitularibus impingeret.

Neque obiicere prodest Constitutionum particulam inutile reddere iubilationis indultum, vel cohibere iubilationis privilegium, per quod indultarius a quacumque obligatione dependente a servitio exoneratus Etenim quamvis Pontifex quascumque leges corrigere vel abrogare possit; tamen certum est Pontifices non tollere Constitutiones generales neque revocare rationabiles consuetudines, et particularia locorum statuta atque conventiones, nisi id specialiter Legislator exprimat. Ita communis et habetur decisum *cap. 1, de Constit, in 6* - ibi: *Quia tamen locorum specialium et personarum singularum consuetudines et statuta (cum sint facti et in facto consistant) potest Romanus Pontifex probabiliter ignorare; ipsis, dum tamen sint rationabilia, per Constitutionem a se noviter editam (nisi expresse cavetur in ipsa) non intelligitur in aliquo derogare* ». Ergo cum Iubilationis indultum Canonico Praeposito sub clausulis generalibus concessum fuerit, quin in eo de particularibus Capituli illius legibus ulla mentio fiat : cum ista Capitularia statuta in facto consistant, quae proinde a S. Pontifice ignorari possunt; cum denique rationabilia sint ; hinc prono alveo fluere videtur Pontificem noluisse contra ea quidpiam statuere vel ea revocare ; sed potius praesumendum est ea in suo robore et vigore relinquere voluisse.

Hisce praeiactis in utramque partem, sequens propositum fuit dirimendum

Dubiam.

An Canonicus lubilatus teneatur ad Missas per turnum in casu.

RESOLUTIO.

Sacra C. Congr. die 8 iulii 1876, causa cognita, respondere censuit : *Negative.*

Ex **QUIBUS COLLIGES :**

I. Onus celebrandi Missas per turnum videri accessorium, et dependens a chori servitio; ita ut, per iubilationis indultum canonicus a servitio chori exemptus, haud amplius teneatur neque ad Missarum turnum.

II. Accessorii quippe proprium esse ut naturam principalis sequatur; ideoque causa principali haud consistente, neque ea quidem quae sequuntur locum habent.

III. Per iubilationis indultum piam matrem Ecclesiam imitatam esse, quod in temporali militia fieri consuevit: miles enim, confectis stipendiis, deponit arma, et requiem consequitur vitae laboribus exercitae \

IV. Eiusmodi iubilationis consuetudinem (quae praxi S. C. C. roboratur) iam suo tempore universaliter inductam fuisse testatur etiam Benedictus XIV in Synodo Dioec. *lib.* ***13,*** *cap.* ***9,*** *n.* ***15.***

' In iure scripto nulla adest canonica dispositio, quoad iubilationis privilegium. Hoc tamen inductum fuisse videtur ex aequitate ad exemplum Sacerdotum Veteris Legis, n. 8, 25 et 26. *Cum tamen* (ait Bened. XIV, De *Synod, dioec.* 1. XIII, cap. 9, n. 15) *animadversum fuerit in lege Mosaica Levitam illum, qui a vigesimo quinto ad quinquagesimum aetatis annum in templo ministerium suum accurate implevisset, ab omni deinceps opere et labore Uberum et immunem declarari...* Vel tandem exemplum civium veteranorum qui ob diuturnum servitium tandem ab onere militiae soluti Beneficia retinebat (lib. *A muneribus ff. de vacat, et excusat, muner,* lib. 1, cap. De *veter.).*

V. Constitutiones Capitulares Pontificis adprobatione carentes haud talem posse exerere vim, ut adversentur sive Pontificum Romanorum oraculis, sive generali Ecclesiae disciplinae.

VI. Etsi cuilibet liceat iuri in sui favorem inducto renuntiare ; id tamen locum non habere quoties idem ius respiciat publicum ordinem : quia ius publicum privatorum arbitrio immutari nequit.

VII. Particulam statutorum capitularium in themate adversari videri generalem Ecclesiae disciplinam; qua, indulto iubilationis, concedi solet exemptio a servitii chori et a quolibet onere ab eo dependente ; ita ut iubilatus a loco beneficii discedere et alibi domicilium constituere possit.

DUBIA

CIRCA DISPENSATIONES MATRIMONIALES QUOAD ANGUSTIAM LOCI.

Die 8 iulii 1876.

Compendium facti. Vicarius Generalis Illmi Episcopi O. supplici libello Sacratissimo Principi quem Deus diutissime sospitet oblato, haec exposuit :

<(In hac Dioecesi perpauca inveniuntur populi congre-
« gati, et fere omnes parochiae componuntur ex quibus-
« dam vicis et villis, oppidulis saepe spatio unius vel dua-
« rum vel etiam trium leucarum dissitis, adeo ut maiores
« parochiae illae sint quae pluribus vicis constant. Con-
« suetudo invaluit pro dispensationibus matrimonialibus
« obtinendis non allegandi causam quae desumitur ex an-
<(gustia loci, nisi quando oratores pertineant ad paroeciam
« cuius focorum numerus[1] non excedit tercentum. Haec
<(praxis videtur fundamento destituta et penitus iniusta,
« quia ratio causae angustiae loci non solum existit, quan-

« do parochiae foci non excedunt tercentum, sed etiam in « plerisque, quae praedictum numerum superant, quum « inhabitantes uniuscuiusque vici, sive villae tantummodo « vident eos qui in aliis eiusmodi paroeciae morantur, « quando ad munia religiosa obeunda in ecclesia congre- <(gantur, et fere semper evenit plures haberi ecclesias in « eadem paroecia vel ad ecclesias Parochiales viciniores « concurrere ad Sacrum audiendum, et idcirco deest fa- « miliaritas, amicitia et plerumque notitia inter inhabi- « tantes eiusdem parochiae. Omnes auctores quando de « hac causa pertractant eam unanimiter vocant *angustia « loci,* numquam autem *angustia* paroeciae : revera in ali- « quibus exiguis parochiis nequit allegari talis causa, si « alioquin locus non fuerit exiguus prout evenit in subur- « banis, ut aperte declaratum est. Item in uteris dispen- « sationum, tum Sacrae Datariae tum etiam Poenitentia- « riae nunquam mentio fit de exiguitate paroeciae, semper « autem loquitur de angustia loci.

<(Hisce rationibus permotus, nec non et bono fidelium « consulens a Beatitudine Vestra exposcit, ut declarare « dignetur :

« 1. Angustiam loci non desumi ex numero focorum <(paroeciae cuiusdam, sed loci seu locorum, in quo degunt « oratores.

« 2. Posse evenire igitur ut praedicta causa habeatur « etiamsi oratores pertineant ad paroeciam quae tercen- « tum focorum numerum excedat, dummodo locus seu « vicus in quo degant sit exiguus.

« 3. Quibus in casibus in hac dioecesi O. nequit alle- « gari causa angustiae loci ?

« 4. Attendendum ne est ad numerum focorum qui in- « veniuntur in unaquaque leuca quadrata ?

« 5. Quisnam numerus focorum videri debet sufficiens « in uniuscuiusque leucae quadratae spatio, ut locus, ne- « queat dici angustus ? »

Disceptatio synoptiea.

Angustia loci est una ex frequentioribus causis quarum ope conceduntur dispensationes matrimoniales, praesertim in gradibus consanguinitatis et affinitatis remotioribus. Ita Sánchez *de matrim, disp.* ***19,*** *num.* ***12.*** *Palao de sponsal. disp. 4 punct. ult.* Bosco *de matrim, disp.* ***12,*** *sect.* ***13*** *conclus. 4 num.* ***260.*** Corradi *in praec, dispensat. I.* ***7,*** *c.* ***5*** De Iustis *Disp. matr. I.* ***3,*** *c.* ***2*** et alii.

Porro per angustiam loci intelligitur talis locus, in quo puella non invenit sponsum sibi aequalem vel parem, nisi consanguineum aliquem vel affinem; consequenter si tali nubere non liceret, deberet manere innupta, vel nubere cuidam, qui statu, conditione, aut divitiis inferior, vel aetate, moribus, ingenio aut religione dispar esset. Nec enim sola status, generis ac divitiarum, sed etiam alia quaecumque inaequalitas constituit angustiam loci. Sánchez, *cit.* Bosco *cit. n.* ***15;*** Tusc. *litt.* ***M.*** *conci.* ***157;*** *arg. I. Nuptiae C. de nuptiis, ibi: etsi pares sint genere et moribus, iunct. Can. super eo* ***22*** *de test, et attest.* Hinc est quod in Apostolicis uteris dispensationum passim inveniatur haec clausula : « Cum oratrix in dicto loco orta « propter illius angustiam virum sibi non consanguineum « vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire « nequeat, mandamus quod, quatenus ... preces veritate « niti repereris . . . . tunc . . . . auctoritate nostra dispenses ». Et ratio potissima huius causae ea est, quod valde expediat bono communi matrimonia inter pares iniri. Tiraquel. *I.* ***5*** *connubiali a. i,* Navarro, Ledesma, et Lopez, Vaga cit. a Sánchez. Nam matrimonia inaequalia infelices exitus habere frequenter solent. Sane si vir non ducat coaetaneam, numquam vel raro de ea bonum fructum capiet, et saepissime incidit in calamitatem; Cepol. in *comment, fol.* ***137*** *num.* ***7:*** contra vero, si maritus et uxor sint cor-

respondentis aetatis, quae placebunt naturaliter uni, placebunt pariter et alteri, Tiraquel. *loc. cit.* Si vir duxerit uxorem pauperem, ponit in domo sua paupertatem, si vero divitem ponit tempestatem. Nuytz in *syl. nupt. I.* ***2**, num.* ***55.*** Si denique nobilis accipiat plebeiam, semper rusticani vocabit et contemnet; quia neque satis firma, nec tuta est pauperum cum opulentis amicitia Bal. in *I. per adoption, ff. de adopt.*

Nec requiritur ut fiat stricta et exacta perquisitio, an aliquis impedimento carens foeminae ad nubendum aequalis inveniatur in loco, sed sufficit moralis diligentia : imo sufficit, si puella decenter ornata, et quasi exposita ad nubendum per aliquot annos incedat, quin tamen nullus pro sponsa illam expetierit; De Iustis, Corradi et Sánchez *cit.* Nam honestas et pudor puellarum non patitur quod sibi ipsis viros quaerant. *Can. Honorantur caus.* ***32*** *q.* ***2,*** - ibi : *Non est enim virginalis pudoris eligere maritum.*

Praeterea ad verificandam angustiam loci non indagandum est exactissime, an sit nec ne aliquis vir paris in omnibus conditionis, cui foemina nubere possit. Id non videtur esse ita stricte accipiendum sed morali etiam modo. Satis enim est communiter non reperiri in eo loco viros pares, qui non sint consanguinei vel affines. Quia cum matrimonia debeant esse libera, et multas conditiones exigant ut convenientia et paria iudicentur, expedit valde ne foemina ad unum vel alterum arctetur, sed sint varia ex quibus ei optio detur. Nam licet reperiantur duo vel tres, dicetur non reperiri virum paris conditionis : imo verificatur illa clausula modo maior pars oppidi seu loci sit imparis conditionis, vel dici possit iuxta communem loquendi modum in eo loco non reperiri aliquem aequalis conditionis : Sánchez, Wigers, Tamburinus, Diana.

Imo censetur adesse angustia loci etiam si in vicinia foemina posset habere sibi aequalem virum non consan-

guineum vel amnem, cum dispensatio hac in re communiter sit libera et absque conditione concessa; nam licet ipsa sit stricti iuris et stricte interpretanda *Cap. quod dilect. de consang.* ***et*** *affin, cap. 1 in fin. de fil. presb, in* **6,** nihilominus est late interpretanda quatenus verba sonant, et ipsorum verborum natura requirit, Germen, *in sua prax. cap. 20 num. 4.* Etenim si Summus Pontifex aliud voluisset, profecto id in uteris dispensationum exprimere solitus esset, ac propterea dixisset : « dummodo in alio «loco finitimo suae patriae oratrix virum paris conditio-« nis invenire nequeat » vel alia verba aequipollentia; sed cum sufficiat oratricem non invenire virum paris conditionis ob angustiam loci, unde orta est, vel domicilium constanter habet, non est recedendum a vi verborum, bene vero absolute dicendum, esse sufficientem causam non invenire matrimonium aequale intra proprium foeminae locum: sicut etiam dicendum est de oratrice, habente dotem minus competentem; nam haec alia causa est sufficiens, et satis verificatur, licet in locis finitimis invenire potuerit matrimonium aequale et cum illa dote oratricis, non autem in proprio loco : circa quod adest expressa declaratio S. C. C. ad instantiam Archiepiscopi Mediolanensis die 28 novembris 1570, his verbis : « Clausula illa, quia virum <(sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis « invenire nequit, verificatur et iustificatur per diligen-« tiam praesertim dumtaxat in ipso loco mulieris et non « in locis circumvicinis ». Sánchez, Corradi et Reiff, *appena . de dispens, ad* ***I.*** *4 sect. 3 n. 77.*

Verumtamen adhuc inquirendum remanet, qualis debeat esse locus, qui plerumque oppidum vocatur, ob cuius angustiam dispensatio conceditur: an, videlicet, debeat esse civitas, urbs, aut saltem insigne et populosum oppidum, an vero sufficiat vel potius esse debeat locus magis angustus, ut parva civitas, commune oppidum, seu pagus vel oppidulum, quod ad rem apprime pertinet. Procul du-

bio haec causa dispensationum matrimonialium, scilicet, ob angustiam loci passim olim admittebatur, non solum in locis angustis, verum etiam in amplis et popularis, quinimo etiam in magnis civitatibus, necnon in ipsa Urbe, ex eo quod oratrices talis qualitatis esse poterant, quod respectu illarum non inveniebant in illis viros paris conditionis, quibus nubere potuissent. Cum vero inverisimile videretur, non solum in tam insignibus, verum etiam parvis civitatibus, posse hanc causam verificari, Paulus V eam sustulit quoad angustiam civitatum, nec deinceps illa amplius admittitur. Neque hac ratione, scilicet, appellatione loci, per cuius angustiam datur dispensatio, veniunt suburbia civitatis, prout rescriptum fuit Episcopo Lauden, a Dataria iussu Clementis VII, nisi per milliare, sive paulo minus distent a civitate. Attamen, quia frequenter contingit in quibusdam civitatibus, et in plerisque aliis oppidulis, revera foeminas ob istorum angustiam non invenire pares sibi viros, sicque causam huiusmodi angustiae verisimiliter hisce in locis verificari posse existimatur, illa quidem admittitur, si tamen locus non excedat numerum tercentum focul ariorum, et non aliter : etenim in uteris dispensationum reperitur etiam haec clausula, nempe : « Et dummodo praedicta civitas tercento- « rum foculariorum numerum non excedat ». De Iustis et Corradi *cit.*

Hinc est quod Reginaldus, Sánchez, Tannerus et alii communiter, etsi loquantur de civitate, urbe, vel loco insigni, aut famoso, oppidove maiore, minime tamen excludunt oppida minora, et pagos, seu vicos non venire inter loca angusta. Quinimo Gobat in *Theol, experiment. tract. 9 n. 648 et seq.* minora loca, ac in specie pagos, aut vicos, ad effectum de quo agitur, angusta loca intelligit et bene probat Reiff, *cit. n. 78.* Etenim ut dispensatio concessa ob angustiam loci sustineatur, solummodo requiritur quod in oppido, vel loco in quo orta est, seu habet do-

micilium sponsa, non reperiantur multi conditionis ipsi paris, qui non sint ei iuncti cognatione vel affinitate intra quartum gradum. Dicitur in oppido; nam vocabulo oppidi utuntur absolute Hurtado, Eiectus, Tamburinus aliique passim : imo vero per oppidum intelligendum etiam est in hac materia pagus, seu vicus, vel oppidulum ; etenim Hurtado, Palaus, Diana et communiter alii absque limitatione ulla dicunt : si sponsa virum parem non reperiat in loco sui domicilii, et Innocentius X absolute etiam exprimit angustiam loci in Brevi ad quemdam Nuntium Apostolicum ius ipsi faciens « dispensandi cum quibuscumque perso- « nis. . . . quae . . . . propter angustiam loci.... aut alias ob « rationabiles causas matrimonium invicem contrahere « voluerint ». Ratio profecto id suadet; quia etiam multis mulieribus educatis in parvis oppidis, aut pagis et vicis durissimum et perquam difficile est, extra proprium locum, etiamsi vicinum, nubere deserendo suos et sua, ut sic patris et matris, consanguineorum et amicorum consortio destitutae acerbam et quasi solitariam vitam transigant. Tamburinus *cit.* Re quidem vera spectando finem et mentem legis, non tantum posset, sed etiam deberet esse locus minor, minusque populosus, ut oppidulum non adeo magnum, aut pagus, seu vicus, quando ob angustiam illius, dispensationem impetrare quis vult, et ut haec petitur sic conceditur : ita ut in civitate (nomine enim .civitatis venire solent stylo Curiae solae urbes residentiarum Episcoporum) et ubi sunt plura quam tercenta focularia, angustia loci in ordine ad matrimoniales dispensationes non detur, seu penitus non admittatur, ut dictum est. Reiffenst. *cit. num. 79.* Tandem confirmatur haec sententia continua et communi praxi, ac stylo Curiae qui pro lege habetur, *Cap. ex Uteris, de const.; et cap. quam gravi de crim. fai.; unde* evidenter constat habitantes in pagis etiam minimis ex causa angustiae loci passim sollicitare et obtinere dispensationes matrimoniales.

In casu vero quo foemina nubere vellet suo consanguineo ea sola de causa, quod in parvo oppido in quo habitat non reperiat quemquam paris conditionis, bene vero plures in loco suae parochialis ecclesiae, distante solum dimidiae horulae spatio, Tamburinus credit, re adhuc integra non videri esse spem nisi dubiam dispensationis : idcirco quod circumstantia propriae parochialis ecclesiae adeo vicinae faciat, ut haec foemina non possit iuxta vulgarem moralemque modum loquendi, dici, non habere posse in loco habitationis suae pares sibi conditione ad nubendum : tum quia ex una parte quod parum distat nihil distare videtur; Tiraquel. *in tract, de iudic, in reb. exig.*, tum quia ex altera parte censetur quis habitare in loco suae parochialis ecclesiae vicinae, si in eo frequentare divina consueverit. Contra vero Gobat *loc. cit. n. 650* quia absolute DD. aiunt, puellam posse frui gratia dispensationis etiamsi virum paris conditionis reperiat in insigni loci vicino suae patriae : Sánchez, Riccius, Wigers *aliique plures,* ideo non censet subreptitiam dispensationem quam petiisset impetrassetque ista foemina allegans bona fide se non reperire parem in loco sui domicilii ob angustiam loci.

Profecto omnes enuntiatae rationes legis verificari videntur etiam in casu quo parochia plures pagos, seu vicos aut oppidula, plus minusve distantes inter se complecteretur. Etenim iura absolute loquuntur de angustia loci, non vero de angustia paroeciae : etiam in hoc casu sponsa cogeretur deserere suos et sua, ut sic suorum consortio destituta acerbam et solitariam vitam transigat. Praesertim cum paroecia, quae in casu proposito solummodo distabat dimidiae horulae spatio, aliquibus in locis complectatur non solum duarum vel trium leucarum spatium, ut in themate, sed etiam multoque magis, veluti in America, ubi paroeciae inveniuntur extensae plus quam dioeceses : et cum plerumque una vel altera aut plures ecclesiae sint

intra confinia istarum paroeciarum, parochiani nec in eodem loco confrequentare divina consuescunt: ita ut facta dismembratione paroeciae, procul dubio nulla prorsus esset difficultas quominus angustia uniuscuiusque loci per se admitteretur; cum vero contra evenire potuisset ut in loco revera augusto duplex parochia sit. Nulla ergo esse debet relatio paroeciae ad angustiam loci diiudicandam: notum est enim quod in iure expressa nocent, non expressa non nocent; legislator quod voluit expressit, quod non expressit noluit, et cum in verbis nulla ambiguitas est non debet admitti voluntatis quaestio: *Arg. I. ille vel illa 25 ff. de legat.* Igitur dicendum etiam videtur angustiam loci non protrahendam ad angustiam paroeciae.

Hoc statuto principio veluti prono alveo fluit resolutio dubiorum oratoris: **1.**° Angustia loci desumi non debet ex numero focorum paroeciae cuiusdam; sed ex numero focorum uniuscuiusque loci in quo degunt oratores. 2.° Consequenter evenire potest, ut praedicta causa habeatur etiamsi oratores pertineant ad paroeciam, quae tercentorum focolariorum numerum excedat, dummodo locus, seu vicus vel oppidulum, in quo degunt sit sufficienter exiguus. Etenim in sola curia O. invaluit consuetudo limitandi angustiam loci ad angustiam paroeciae, cum nec iura, nec DDv certo exigant hanc limitationem, neque praxi communi mittatur. 3.° Licet obscurum vel contradictorium videatur hoc dubium, in genere tamen dici potest: absque dubio angustia loci, veluti alia quaecumque causa dispensationum allegari nequit in casu in quo revera non verificetur, cum, vel sine, respectu ad paroeciam. 4.° Minime quidem attendendum est ad numerum focorum, qui inveniuntur in unaquaque leuca quadrata. Quod absonum prorsus est ex iure, DD. ac praxi communi: praeterquamquod adversus hanc limitationem eadem militant rationum momenta, ac adversus limitationem ad paroeciam. Quaecumque innovatio, praeter novi-

tatem, difficilis admodum esset in praxi, prae angustia loci uniuscuiusque morali quidem modo ac naturali verbi sensu intellecta : igitur satis provisum est a iure in casu.

Sed denique notandum est, quod in themate agitur de consuetudine omnino singulari Curiae O. quae fundamento destituta et penitus iniusta iudicatur, ex eo quod angustia loci strictiori interpretatione intelligatur, cum iura, DD. et praxis communis interpretationem potius latam et benigniorem admittant; idcirco nihil obstare videretur quominus Episcopus, (Consulendo AA. et utendo iure suo, aliam consuetudinem seu praxim introducat, quam in Domino melius expedire iudicaverit.

Nihilominus erit sapientiae, religionis ac prudentiae EE. VV. decernere an et quomodo dimittendae sint huiusmodi preces.

RESOLUTIO. S. C. Concilii die 8 iulii 1876 respondit :

Dilata et ad mentem. - Mens fuit ut hac super re Sacra Poenitentiaria interrogaretur; quae percontata respondit, nil in Archivio reperisse quod certam et determinatam normam constituere valeret quoad declarationem et dubia Vicarii generalis Dioecesis O. Quapropter reproposita quaestione eadem sub die 16 decembris 1876 S. C. C. respondere censuit : *A ngustiam loci non esse desumendam a numero focorum cuiusque Paroeciae, sed a numero focorum cuiusque loci vel etiam plurium locorum, si non distent ad invicem ultra milliare; in reliquis provisum.*

Ex **QUIBUS COLLIGES :**

I. Inter causas, quae adhuc uti canonicae habentur pro dispensationibus concedendis super matrimoniis inter consanguineos et affines, apprime recenseri angustiam loci.

II. Locum (qui ad id angustus dici queat) talem esse debere, in quo puella, aut innupta manere cogeretur, aut

nubere consanguineo vel affini, ut sponsum sibi aequalem vel parem invenirent.

III. Aequalitatem vel paritatem inter matrimonio coniungendos erui ex eorumdem statu, conditione, divitiis, aetate, moribus, ingenio et religione.

IV. Receptum esse apud S. Sedem haud haberi angustiam loci, si locus, quocumque nomine appelletur, tercentum foculariorum numerum excedat,

V. Neque pariter angustiam loci desumi posse ex numero focorum loci cuiusvis, vel locorum plurium, qui ad invicem constituti reperiantur infra milliare.

VI. Consuetudinem seu praxim Curiae O. admitti non posse videri, utpote quae non sit iuxta leges, quae de angustia loci, minime vero de angustia paroeciae loquuntur.

EX VATICANO

LITTERAE APOSTOLICAE

AD EPISCOPOS HELVETICAE NATIONIS

VENERABILIBUS FRATRIBUS STEPHANO EPISCOPO LAUSANNENSI, ALIISQUE EPISCOPIS HELVETIAE, EIUSDEMQUE REGIONIS DILECTIS FILIIS CLERICIS, ET FIDELIBUS GRATIAM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS

PIUS PP. IX.

VENERABILES FRATRES ET DILECTI FILII, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Ea quae evenerunt in ista Helvetica regione elapso septembri mense, quo sacrilega consecratio temere impleta est cuiusdam Pseudo-Episcopi, quem neo-haeretici, qui se veteres Catholicos dicunt, sibi constituere non dubitarunt, merito vos, venerabiles fratres, summo dolore affecerunt, ac excitarunt, ut vestras voces contra huiusmodi

execrabile facinus et scandalum fideli populo illatum communi consilio attolleretis. Omnino enim dignum fuit vigilantia et sollicitudine vestra, ut vos detestantes impios illos ausus, quidquid est ecclesiasticae Hierarchiae nonnisi in angulari lapide, atque in Apostolicae Petrae soliditate fundatum erigi ac stare posse ostenderetis, et tamquam vindices verae fidei ac defensores Catholicae unitatis fidelium vestrorum animos ad vitandas insidias et molimina filiorum perditionis opportuna et gravi declaratione quae exacto septembris mense a vobis est edita muniretis. Etsi enim memoratam neo-haereticorum sectam, quae patriam vestram misere pervasit ac perturbat, in litteris ad vos datis die 23 martii superiore anno omnino reprobavimus ac damnavimus, ea tamen non modo ab inceptis non destitit, sed imo in suis iniquis consiliis pergens, nullum fraudis et artis genus omittit, ut Catholicae Ecclesiae filios sua hypocrisi et catholici nominis usurpatione decipiat, et in consortium suae pravitatis adducat. Nunc vero, ut scimus, eiusdem haereticae et schismaticae sectae asseclae iniquitati et temeritati suae novum scelus adiicere non reformidantes, notorium quemdam a Catholica Eide apostatam Eduardum Herzog e pago Lucernensi ab legitimo Ordinario suo excommunicationi subiectum produxerunt, quem conventu habito Ultini suum Episcopum proclamarunt, ac deinde Pseudo-Episcopum Iosephum Hubertum Reinkens a nobis iampridem ab Ecclesiae communione segregatum in oppido Rhenofeldensi sacrilega caeremonia consecrari curarunt. Hic autem infelix post sacrilegam consecrationem acceptam veritus non est, ut ad nos perlatum fuit, litteras in vulgus edere, quibus Sanctam hanc Sedem impudenter impetit, et Catholicum Helvetiae Clerum ad rebellionem excitare studet, ac praeterea omni legitima missione et iurisdictione carens nonnullis e senatoribus pravitatis suae sacerdotalem Ordinem conferre praesumpsit. - Huiusmodi ele-

ctionis et consecrationis nefarium facinus quam acerbum vobis fuerit, quam indignum, quam deplorabile vos optime ostendistis, Venerabiles fratres, in eadem superius memorata declaratione, in qua de fundamento haereticae et schismaticae factionis, quam impietas et insania perditorum hominum in ista regione excitare conata est, de miseris presbyteris qui ecclesiasticis poenis et censuris obstricti, et gratia ordinationis suae conculcata ei nomen dederunt, de eo qui illegitima consecratione accepta non per ostium, sed aliunde ascendens uti fur et latro dat operam, ut Christi gregem dividat ac disperdat, opportune disseruistis. At una cum vobis nos etiam gravem acerbitatem hausimus, et intimo dolore affecti sumus, considerantes sacrilegia et gravissima scandala admissa, ac audaciam, qua praevaricatores veritatis et catholicae unitatis perturbatores in perniciem animarum incumbunt de qua quidem gravem rationem Supremo Iudici sunt reddituri; ac reputantes praeterea eos favore et patrocinio frui, dum legitimi Pastores, Episcopus nempe Basileensis et Vicarius Apostolicus Genevensis, alter a magna parte sui gregis divulsus, alter in exilium eiectus, suum ministerium exercere prohibentur. Haec impia, gravia, et funestis fecunda fructibus facinora, quae in ista regione patrata sunt, quaeque vobis, et omnibus bonis moerori magno fuerunt, et Ecclesiae Dei nova vulnera inflixere, nos auctoritate nostra Apostolica palam damnamus ac reprobamus, ac agnoscentes Supremi nostri ministerii munus, quo fidem Catholicam et universalis Ecclesiae unitatem tueri tenemur, Decessorum nostrorum, sacrarumque legum morem atque exempla sequuti, tradita nobis a Coelo potestate primum electionem memorati Eduardi Herzog in Episcopum contra sacrorum canonum sanctiones factam, illicitam, inanem, et omnino nullam, ac eius consecrationem sacrilegam decernimus, declaramus, reiicimus, et detestamur. Deinde

ipsum Eduardum Herzog, et qui eum eligere attentarunt, ac Pseudo-Episcopum Hubertum Reinkens sacrilegum consecratorem, eiusque assistentes qui sacrilegae consecrationi operam praestiterunt, nec non quicumque iisdem adhaeserunt, eorumque partes secuti, opem, favorem, auxilium, aut consensum praebuerunt, auctoritate omnipotentis Dei excommunicamus et anathematizamus, atque ab Ecclesiae communione segregatos, et ut prorsus schismaticus habendos esse edicimus et demandamus. Decernimus praeterea ac declaramus ipsum temere nulloque iure electum Herzog omni ecclesiastica et spirituali iurisdictione pro animarum regimine carere, ac illicite consecratum ab omni exercitio episcopalis ordine esse suspensum. Qui autem ab ipso ecclesiasticis ordinibus initiati fuerint, ii noverint suspensionis vinculo se obstrictos, atque irregularitati praeterea obnoxios, si susceptos ordines exercuerint. - Quod vero ad vos attinet, dilecti filii, Ecclesiastici viri, laicique fideles Helveticae regionis, vobis in Domino gratulamur pro ea sincera fide et pietate, qua certantes contra diabolum et contra insidias ministrorum eius, Ecclesiae Matri et huic Apostolicae Cathedrae firmiter adhaeretis, ac pro vestra virtute summas gratias divinae benignitati persolvimus. Adveniet tempus cum impii discent, quid ipsis profuerit malitia sua, et cum vos contra intelligens quid vobis aeterni gaudii et immortalis gloriae constantia vestra pepererit. Sed haec constantia, dilecti filii, in medio certamine perseveranter est retinenda, nec umquam committendum ut scandalis permanentibus, quae, uti scriptum est, necesse est ut veniant, ea labefactetur et corruat. <(Deus unus est, S. Cyprianus ait, Christus unus, et una « Ecclesia, et Cathedra una super petram Domini voce « fundata. Aliud altare constitui aut sacerdotium *no*-<(vum fieri praeter unum altare et unum sacerdotium non <(potest. Quisquis alibi collegerit, spargit. Adulterum est,

« impium est, sacrilegum est quodcumque humano fu-
« rore instituitur, ut dispositio divina violetur. Procul ab
«huiusmodi hominum contagione discedite, et sermones
« eorum velut cancer et pestem fugiendo vitate, praemo-
« nente Domino et dicente : caeci sunt et duces caecorum:
« caecus autem caecum ducens simul in foveam cadent ».
(S. Cypr. *Ep. 43, ed. Härtel).* Quoniam autem nihil nobis optabilius esset, quam si animas errantium a potestate tenebrarum erutas lucrifacere Redemptori Nostro possemus, hinc Divinam Bonitatem enixe adprecari non omittimus, ut eorumdem errantium contumaciam sua potenti gratia flectere dignetur, ac praesertim si qui sunt ex ipsis, qui nondum penitus infixi manent in limo profundi, eorum corda permoveat, ne praecipites ruant cum iis qui se Satanae devoverunt. Hunc in finem et Vos, venn. fratres ac dilecti filii, precum vestrarum officium constanter esse adhibituros apud Deum non dubitamus. Caeterum vobis plenitudinem caelestium luminum, gratiarum, et munerum fervide a Domino implorantes, Eumque suppliciter rogantes, ut eorum molimina, qui Catholicam fidem et unitatem in patria vestra corrumpere moliuntur, irrita faciat et confundat, Apostolicam Benedictionem in pignus praecipuae charitatis nostrae vobis, venerabiles fratres et dilecti filii, peramanter et ex corde impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die vi decembris anno **MDCCCLXXVI**, pontificatus nostri anno tricesimoprimo.

PIUS PP. IX.

DILECTIS FILIIS IOANNI ACQUADERNI PRAESIDI TOTIQUE CONSILIO SUPERIORI SOCIETATIS IUVENTUTIS CATHOLICAE

PIUS PP. IX.

DILECTI FILII, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Non' sine moerore accepimus, dilecti filii, esse inter vos contentiones ; cum alii illecti doctrinis fautorum conciliationis arbitrentur, ex humilioribus susceptis operibus animum iam ad altiora erigendum esse, convertendumque ad occupanda publicorum conventuum subsellia, e quibus consuli valeat gravioribus et generalibus Ecclesiae negociis : alii vero memores, se in subsidium coaluisse Ecclesiae, censeant, tenendam sibi esse viam ab ecclesiastica auctoritate designatam, et ea provehenda sibi potissimum esse, quae, ipsa suadente aut probante, susceperunt, donec eadem auctoritas aliter agendum suadeat. Iam vero, cum haec auctoritas nondum definiverit, liceat nec ne, et quo pacto, praesertim pro ditione Nostra, publicis se ingerere negociis; probare profecto nequimus illorum consilium, qui sacrae auctoritatis placitum antevertentes, eam potius praeeundam, quam sequendam existimant.

Quod sane consilium, nunc saltem inopportunum, ea etiam de causa displicet, quod non immerito vereamur, ne Satan se transfiguraverit, hoc in casu, in angelum lucis. Et sane, si mentem adiiciatis ad indolem operum a societate vestra institutorum, ea spectare videbitis, vel ad sanam iuventutis institutionem, vel ad fovendam religionem in populo, vel ad ipsum avertendum ab insidiis errorum, vel ad servandos christianae eius educationi levitas a militari conscriptione redemptus, vel ad explicanda tuendaque Ecclesiae et huius Apostolicae Sedis

iura, vel ad occurrendum necessitatibus cultus, sacrorumque ministrorum, vel ad alia, quae fidem confirmare, caritatem incendere, promovere pietatem, virtutes alere, submovere pericula et animum addere valeant in adversis. Salutare autem hoc consilium a paucis initum et ad pauca propterea porrectum opera, adeo placuisse Deo experimini, ut Ecclesia benedicente, brevi fecundatum et novis semper actum accessionibus, totam brevi pervasero Europam et exteras quoque regiones, in amplissimum religiosae rei et animarum emolumentum, variasque illas societates excitaverit, quae spiritum catholicum tam belle referunt, unitatemque religiosam in populis tam valide confirmant. Haec certe arridere nequibant Christi et humani generis hosti, qui coeptis idcirco huiusmodi consociationum tot ubique difficultates obvertit, earumque sodales calumniis, insectationibus, contumeliis lacessivit.

Cum tamen per haec omnia constantiam earum et vestram nec labefactare posset nec commovere, iam in lucis angelum conversus, schismata inter vos serit, ut vires dividat, altiusque proponit bonum, ut ab eo, quod agitis, recedatis. Quod sane suppositicium bonum, nec obvium, nec certum facile existimabitis, si illi mentem serio adiiciatis. Omnium quotidie versantur ob oculos publicarum electionum exitus et acta publicorum coetuum apud exteras nationes. E prioribus autem discimus, perditos, ut plurimum, honestis praeferri; et ex alteris, licet catholici praestantes magnaeque apud populos auctoritatis, iustitiae causam egregie tueantur, passim sanciri leges Ecclesiae adeo infensas, ut, si ipsa divinum opus non esset, subvertenda plane videretur. Certae igitur utilitati incerta praeponitur; et eo magis anceps, quod non cum errore mentium sit confligendum, sed cum hostili plerarumque suffragatorum voluntate religionis odio succensa. Ceterum, obsequium sacrae auctoritati debi-

tum omnino postulat, ut laicae consociationes non illam in suam sententiam trahere nitantur, sed ut ipsius monita sequi studeant, ne a tuta recti semita deflectant.

Nemini vero probabitur, quod, obtentu nobilioris fructus, ea, ut vilia, deserantur opera quae in verum animarum bonum invecta, multos ab errore revocarunt, multos servarunt, arctioribusque vinculis unitatis obstrinxerunt populos; et quae Christi Sanctorumque exemplo nituntur, qui pro spirituali hominum salute animam ponere non dubitarunt. Hortamur itaque vos universos, ut decipi non sinatis a pseudosapientum consiliis, firmique perseveretis in proposito vestro, et curetis, ut schismata non sint in vobis; sitis autem omnes perfecti in eodem sensu et in eadem sententia. Deus pacis et caritatis vobis adsit gratia sua, vestramque concordiam et unanimitatem restituat et confirmet in suam gloriam, Ecclesiae provectum, et veram fidelium utilitatem. Ac interim favoris eius auspex sit vobis apostolica benedictio, quam paternae nostrae benevolentiae testem vobis singulis, dilecti filii, totique, cui praeestis, catholicae consociationi peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxix ianuarii anno **MDCCCLXXVII**, pontificatus nostri anno tricesimoprimo.

PIUS PP. IX.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

MISSAE CONVENTUALIS.

Die 5 augusti 1876.

Compendium facti. Ex relatione status Ecclesiae A. P. ad S. Congregationem transmissa, habetur ut infra ad caput IX de Postulatis : « Ab immemorabili in Cathedrali « et in Collegiata non cantatur Missa de Eeria in Quadra- « gesima, in Quatuor temporibus et Vigiliis, sed unus ex « Canonicis eam plane celebrat sine caeterorum inter- « ventu. Quaeritur an sustineatur iste usus, attenta Ca- <(nonicorum paucitate ? ».

Disceptatio synoptica.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. Missalis Rubricae praescribunt, ut in Eeriis Quadragesimae, aliisque per annum, si festum aliquod occurrat, celebrentur in Cathedralibus et Collegiatis duae Missae: una de Festo post Tertiam, et alia de Feria post Nonam. *In tit. de Feria et Vigilia \1 et 2.* Missalis vero Rubricae a S. Pio V Constitutione *« Quo primum* » approbatae ac confirmatae fuerunt, et cum postea contraria consuetudine sensim obsolevissent, sac. mem. Urbani VIII Constitutione incipiente « *Si quid est* » ad primaevam observantiam revocatae fuerunt. In specie autem eas, quae plurium Missarum conventualium celebrationem statuunt, recensuit atque observari mandavit Benedictus XIV celebrata Encyclica « *Cum semper oblatas ».*

Has autem Missas conventuales de Festo nempe et de Feria et Vigilia cum cantu celebrandas esse in dubium revocari non potest. Siquidem Rubricae Missalis *tit. 15*

§ 2 statuentes ordinem, quo Missa conventualis et solemnis dici debeat, asserunt etiam Missam de Feria et Vigilia canendam esse. Ita sane ibi legitur: « In Adventu, « Quadragesima, Quatuor temporibus, etiam infra Octa« vam Pentecostes, et Vigiliis, quae ieiunantur, quamvis « sint dies solemnes, Missa de tempore debet cantari posi « Nonam ». Id confirmatur ex S. Rituum Congregatione in *Urbevetana Praeeminentiarum super dubiis,* ***5*** *augusti* ***1737*** ubi ad II dubium « An quoties ex praescripto ((Rubricae celebrandae et cantandae sunt in Ecclesia Ca**ce** thedrali plures Missae, liceat aliquam ex illis planam « celebrare in casu » respondit: *Negative.*

Hinc cum huiusmodi celebratio cum cantu ex universali lege dimanet, ubique peragenda est, nec aliquid in contrarium per Synodales Constitutiones decerni potest; quippe vetitum est in Dioecesanis synodis lege sancire, quae Pontificiis Constitutionibus ac generali Ecclesiae disciplinae adversentur. Nec pariter contra Missalis Rubricas vim suam exserere potest consuetudo. Siquidem S. Rituum Congregatio renovando alia edita decreta ex oraculo SSmi Rubricas Missalis Romani servari in omnibus et per omnia praecepit, non obstante quocumque praetextu et contraria consuetudine, quam abusum esse declaravit, ceu refert Fagnanus *in cap. Cum creatura, de celebratione Missarum, num. 29.* Quapropter usus, qui A, P. invaluit, omnino reiiciendus esse videretur.

Verum ex adverso animadverti potest, quod si alteram Missam celebrari contingat, minime cantu esse litandam arbitratur Sacrorum Canonum dispositio. Enimvero Benedictus XIV, qui in memorata Constitutione « *Cum semper oblatas* » quaestiones omnes in renodandas suscepit, dum sermonem instituit de secunda ac tertia Missa conventuali certis diebus offerenda, haud cantum in illis adhibendum praecepit sed tantummodo iussit, ut binae ac tres Missae conventuales ex Rubricarum san-

ctione, ubi id usu receptum invenitur, celebrarentur, ac pro Benefactoribus in genere applicarentur. Hinc evenit ut Sac. Congregatio Rituum, attento praesertim exiguo Canonicorum numero, aliquando ab alterius Missae celebratione cum cantu dfspensandum consueverit. Id patet in *Hortana **5** iulii **1631*** ubi Episcopus exponens : « Ca-
« nonicos Civitatis Castellanae et Hortanae se excusari
« ab obligatione canendi duas Missas quando ultra Fe-
tt stum diei recurrit aliqua Vigilia, tempus Quadragesi-
« mae, Quatuor tempora, Rogationes, aut quid simile pri-
« vilegiatum, ob penuriam dictorum Canonicorum Ca-
« thedralium supplicavit eos eximi a penso canendi
<(utramque Missam in dictis diebus privilegiatis ». Sacra Rituum Congregatio attentis narratis censuit concedendum, quod cantata Missa conventuali de festo, altera Missa recitetur sine cantu cum interventu omnium Canonicorum.

Et Sacra Concilii Congregatio in *Comen, diei **28** septembris **1771** ad dubium I.* « An sustineatur consuetudo
c canendi unicam Missam conventualem in quibuscum-
« que diebus per annum, exceptis diebus anniversarii et
« obitus defunctorum necnon exceptis feriis Quadrage-
« simae, in quibus concurrit officium alicuius Sancti in
« casu », dedit responsum. « Negative et ad mentem.
« Mens est, quod canatur una Missa, reliquae conven-
ti tuales lectae celebrentur exceptis diebus prout in du-
« bio ». Sic etiam in *Derthonen. **12** septembris **1829,*** et in *Firmana Missae Conventualis **7** iunii **1845*** in qua postrema ad dubium « An et quomodo annuendum sit
« precibus Capituli Oratoris in casu 1 - Affirmative pro
<(gratia tantum celebrationis Missae sine cantu in Choro
« tamen adstante Capitulo non vero quando celebrantur
« Horae canonicae, facto verbo cum SSmo ». Attamen Sacra Concilii Congregatio in una *Aretina anno **1914,*** attenta praesertim consuetudine, immunes declaravit Ca-

nonicos Ecclesiae Aretinae etsi Cathedralis, ab onere interventus ad huiusmodi Missas de Feria vel de vigilia, quum proposito dubio : « An Canonici Cathedralis Are- <(tinae exempti sint ab interventu Missis in diebus feria- <(libus ex Rubrica post Missam conventualem praescri- <(ptis in casu » - Respondit « in casu, de quo agitur, non « esse cogendos ». Casus erat, quia in decreto Visitationis Apostolicae Dioecesis Aretinae lato anno 1583 ab Episcopo Sarsinatensi Angelo Peruzzi nulla mentio facta fuit de secunda et tertia Missa sed tantum de *Missa Maiori,* atque ex consuetudine biscentenaria inductum fuit, ne Canonici hisce Missis interessent.

Ex his itaque omnibus deducitur consuetudinem in themate sustineri posse, praesertim cum exiguus sit Canonicorum numerus prouti Episcopus innuit. Verum si Canonicorum paucitas potest esse ratio, ob quam indulgen posse videtur, ut Missa de Feria et Vigilia A. **P.** celebretur sine cantu, dubitare forte potest utrum etiam celebranda sit sine Canonicorum interventu. Ex pluribus enim Sacrae Concilii Congregationis decisionibus constat, quod licet dispensatum fuerit a celebratione Missae cum cantu, raro tamen Canonici ab onere interessendi Missae dispensati fuerunt.

R**ESOLUTIO**. His perpensis S. Conc. Congr. die 5 augusti 1876 respondit : *Pro gratia; et attentis curcumstantiis, Missas de quibus in casu posse celebrari sine cantu sed cum interventu Capituli.*

POSTULATUM.

CIRCA AMOVIBILITATBM VICARIORUM CATHEDRALIS.

Die 5 augusti 1876.

Compendium facti. Reverendissimus Archiepiscopus P. in relatione status suae Ecclesiae haec retulit :

« Illustrissimus P. Angelus F. Archiepiscopus P.
« anno 1783 non sine animi sui moerore animadvertens
<(quod animarum cura Primatialis Ecclesiae Capitulo
« perpetuo adnexa non a veris propriisque Pastoribus,
<(sed a mercenariis hominibus cum tenui stipendio exer-
ce cebatur, volens huic malo occurrere rem exposuit SSmo
« Domino, postulavitque pro dote duorum Vicariorum
a statuendorum in eadem paroecia suppressionem vacan-
te tis praebendae Canonicalis De Salmolis, cuius patro-
« natus erat penes domum Misericordiae huius civitatis.
« Et quia preces obtulerat annuentibus partibus haben-
te tibus vel praetendentibus interesse idest Patrono et ci-
tt vili Gubernio, quod petiit, obtinuit virtute rescripti
« 6 augusti eiusdem anni. Quibus praehabitis auctoritate
(t sua ordinaria et in vim facultatis a S. Trid. Concil.
H sess. **7,** *c.* **7,** *de Ref.* Episcopis tributae, decrevit exerci-
ti tium curae animarum a Canonicis et Capitulo Prima-
it tialis Ecclesiae omnino abdicatum ac separatum haben-
ti dum,, et una simul erectum declaravit unum perpetuum
tt Vicarium per duos Sacerdotes saeculares cum omni-
tt moda et absoluta parochiali iurisdictione in solidum
(t regendum et administrandum, pro quorum sustenta-
ti tione assignavit titulo ac nomine dotis reditus prae-
t< fatae suppressae Canonicalis praebendae, aliosque pro-
ti ventus qui dicuntur *incerti di stola.* Sed quia decretum
« istud ab alio posteriori decreto eiusdem Archiepiscopi
« edito sub die 28 ianuarii 1788 emendationem in aliqui-

« bus subierat, Illmus Raquerius Alliata immediatus suc-
ée cessor suo decreto diei 14 septembris anni 1816 solemni-
ce ter declaravit in posterum observandum primum de-
ee cretum anni 1873 Archiepiscopi ita ut cura animarum
ee quoad habitum maneret penes Capitulum, quoad exer-
ce citium vero penes duos Vicarios inamovibiles cum
ee omnimoda et plena parochiali iurisdictione nominan-
ee dos a Capitulo et instituendos-ab Archiepiscopo praevio
ee examine; haec duo addens, nempe Archipresbytero
ee veluti primae Dignitati Capituli onus simpliciter per-
ce vigilandi ut omnia fierent ordinate a Vicariis; et doti
ce pro sustentatione duorum Vicariorum, de qua supra,
ee alios adiunxit reditus suppressae paroeciae **S.** Euphra-
e< siae ; et sic iuxta statuta res manserunt usque ad a. 1865.

ee Die 25 aprilis anni 1865, Canonici capitulariter con-
ce gregati animadvertentes vi decretorum praefatorum sibi
ee impositum fuisse iugum a civili auctoritate imperante
e< potiusquam ab Ecclesiastica serviliter exequenti (uti
« putarunt ipsi) et causas expiscantes ex controversiis
« subortis inter duos Vicarios inamovibiles in solidum
ee tenentes curam animarum Primatialis Ecclesiae cum
ce omnimoda iurisdictione, decreverunt ad pristina redire
ee iura ac si nullum hac in causa editum fuisset Arcliie-
ce piscopale Decretum, ita ut in posterum Vicarii Paroe-
e< ciae Primatialis Ecclesiae, salva dote ipsis assignata
e< pro sustentatione, haberetur et essent amovibiles ad
ee nutum Capituli. Et re quidem vera, iuxta quod decre-
ce verunt ita fecerunt duo Vicarii qui in praesentiarum
ee curam animarum tenent; obtinuerunt deputationem in
ee forma institutionis a Rmo Domino Aloysio delia Fan-
ée teria, qui licet tunc temporis iungeretur munere Vicarii
ee Generalis, declarat in illa scriptura ac protestatur, illos
e< eligere ac deputare ad Vicariam quatenus Archipre-
ee sbyter et prima Dignitas, nec non auctoritate sibi facta
<e a Capitulo, non aliter, nec alio de titulo; et quamvis in

<(praefata scriptura sit verbum de amovibilitate, atta-
« men iuxta mentem a Capitulo expressam sunt amovi-
« biles ad nutum, idque virtute Capitularis deliberationis
« anni 1865.

« Quod in processu tractationis huius animum offen-
« dit, est absoluta carentia Decreti saltem Archiepisco-
« palis, vel abrogantis priora suorum Antecessorum, vel
« confirmantis deliberationem Capitularium anni 1865.
« Nullum revera extat huiusmodi decretum, neque in
« Curia Archiepiscopali, neque in Archivio Capitulari.

« Rebus.pro veritate expositis, modernus Archiepi-
<(scopus hoc unum postulat, utrum acquiescere possit et
« silere ».

Disceptatio synoptica.

EA QUAE CONTRA CAPITULUM FACERE VIDENTUR. Systema a Canonicis eiusmodi excogitatum haud admittendum esse suadent Tridentinum, ratio agendi Summorum Pontificum, praxis S. C. Concilii, Canonistarum doctrina ipsaque ratio. Nam Tridentina Synodus *cap. 13, Sess. 21, ole Ref.* imperat Episcopis : *pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas propriasque paroecias, unicuique suum perpetuum, peculiaremque assignent, qui eos cognoscere valeat, et a quo solo licite sacramenta suscipiant.* Ad huius dispositionis tramites Pius V Constitut. *Etsi omnibus 5 novembris 1571,* Motu proprio varias ad maius divini cultus augmentum, animarumque commodum erexit Vicarias perpetuas in almae Urbis Basilicis et Collegiatis. Cum intelligentia schedulae dicti Motus proprii a S. Pontifice propria manu signatae occasionem praebuisset non levis controversiae inter Capitulum Vaticanum ex una parte, et Vicarium Curatum ex altera; S. C. Congregatio anno 1662 resolvit, curam habitualem Basilicae Vaticanae penes Capitulum residere, exercitium vero ad Vicarium Curatum eiusdem

Basilicae pertinere. Idem fecerunt subsequentes Summi Pontifices; ac praesertim Benedictus XIII.

Et ipsa S. C. Concilii hanc saepius confirmavit doctrinam ; etenim in una *Nullius seu Montis Masini **25** ianuarii **1726,*** mandavit in Ecclesia matrice et Parochiali terrae Peschii Constantii, cuius cura per presbyteros eiusdem Ecclesiae cumulative exercebatur, deputari parochum perpetuum, praevio concursu, eligendum. In *Farmen. **7** iulii **1731*** exequi iussit litteras S. Congregationis die 5 maii 1646 quas Episcopo dederat his verbis : *Quoad curam animarum Ecclesiae cathedralis non probarunt EE. PP. quod vage capitularibus immineat, sed mandarunt alicui certae praebendae de consilio Capituli adiungi et Vicariam ibi erigi perpetuam ut subiectus populus certum pastorem agnoscat.* Perpetuum insuper Vicarium eligi decreverit in Castrimaris *per Summaria precum **17** decembris **1825*** pro cura animarum exercenda. Et, ut alias omittamus, idem decrevit in *Novarien. Curae Animarum **5** iunii **174-6*** pro Collegiata loci *Intra,* in qua cura turnatim pariter a Canonicis exercebatur.

Ad rem pariter faciunt quae late Canonistae deducunt. Inter quos, brevitatis gratia, recensetur Fagnanus, qui *Cap. VI, ex part. de Offic. Vicar. num. **14** et seqq.* ostendit utilius Ecclesiis parochialibus praestari servitium a Vicariis perpetuis, quam a temporalibus ; et expedire ut Sedes Apostolica decernat, quod Capitula Cathedralium et Collegiatarum Ecclesiarum curam animarum habentium, et eos per Vicarios temporales exercentium, *cogantur ad deputandos Vicarios perpetuos qui curae incumbant.* Experientia enim quae est efficax rerum magistra docuit in dictis Cathedralibus et Collegiatis, in quibus est cura animarum communis, circa nominationem et deputationem Vicariorum temporalium : 1.° Crebras inter ipsos canonicos oriri discordias et contentiones, cum quilibet eorum studeat nominare Vicarium pro suo lu-

bitu et saepe etiam non zelo utilitatis Ecclesiae. 2.° Vicarii temporales qui solent nominari per dicta Capitula cum sint ad nutum eorum amovibiles saepe etiam sine causa, ob privatos affectus a Capitulis amoventur. 3.° Qui amovibiles sunt Ecclesiam non diligunt, nec ovium sollicitam curam gerunt. 4.° Ob mutationum frequentiam, vel ob periculum amotionis, vel ob stipendii tenuitatem vix reperiuntur Vicarii, qui qualitates habeant requisitas ad curam animarum exercendam.

Systema tandem ab eisdem Canonicis expiscatum ab ipsa ratione, reprobatur, quia Synodus Tridentina ideo expostulavit Vicarios perpetuos ut melius oves suas dignoscere valerent dum parochi pastores sint. Praeterea cum ex *can.* ***9,*** *dist.* ***99,*** etiam patres sint, decet eos non esse perpetuos. *Glos, in d. cap. un. de vic. perpet. de Capell. Monach,* Denique sicut matrimonium carnale non contrahitur ad tempus *can. fin. de cond. oppos.; can. solet.* ***32*** *q.* ***2,*** *ita nec spirituale; Glos, in d. cap. un. d. v. perpet.* Quare merito Barbosa *de offic, et potest. Paroch. part. i, cap.* ***1,*** *n.* ***43*** *et* ***44*** tradit. « *Sicut una mulier non potest duos vel plures sponsos habere... nec unum corpus duo capita, quia esset monstrum; sic nec Ecclesia duos vel plures parochos sive curatores, et in una Ecclèia unus debet esse sacerdos, sponsus et rector qui curam habeat* ».

Neque ad hanc iuris censuram quoad amovibilitatem avertendam suffragari posse videtur quaelibet in contrarium consuetudo, uti post Gonzalez ad *regul. Cancell. glos.* ***5****,1* ***5*** *n.* ***60,*** tenuit Rota in *Toletana, iuris nominandi* ***29*** *novembris* ***1482*** *coram Bianchetto;* et Corrad. *prax. benef. lib.* ***3,*** *num.* ***6,*** autumat ex verbis *sess.* ***7,*** *cap.* ***7,*** *de ref.* deprehendi: « *Idem Concilium derogare privilegio ponendi Vicarium temporalem, seu ad nutum amovibilem; quin immo derogat etiam immemorabili consuetudini deserviendi per Vicarios temporales, seu amovibiles.*

quod iam declaratum etiam est per S. C. eiusdem Concilii, quae sic ait: per hoc decretum tollitur consuetudo immemorabilis, ut in illis beneficiis unitis deserviatur per Capellanos amovibiles, nisi aliter Episcopo videbitur ».

Proindeque resolutio Capituli P. nullius roboris est tum quia animarum curae haud expedit, tum quia ab Ordinario approbata numquam fuit. Eiusmodi enim approbationem fuisse magnae necessitatis ex eo etiam erui, quod Archiepiscopus Angelus E. anno 1783 haud constituerit methodum inamovibilitatis propria auctoritate, verum hanc decrevit venia ei data a SSmo Pio Papa VI mercenarii pastoris arcendi causa.

EA QUAE CAPITULUM DEDUXIT. Constitutionem perpetuam Vicarii Curati in Ecclesia P. locum habere nequire ait Capitulum : quia a primaeva erectione in Capitulum seu collegium cura animarum profluit.

Etenim in hoc casu compertum est locum habere debere Vicarium amovibilem ceu clare eruitur ex Trid. *Sess.* ***25,*** *cap.* ***16,*** *de reform.: Statuit sancta Synodus ut ecclesiastica beneficia saecularia, quocumque nomine appellentur quae curam animarum ex primaeva eorum institutione, aut aliter quomodocumque retinent, illa deinceps in simplex beneficium, etiam assignata Vicario perpetuo congrua portione, non convertantur, non obstantibus quibuscumque gratiis, quae suum plenarium effectum non sunt consecutae.*

Cui dispositioni concinit canonistarum corona; inter quos Ventriglia *Prax. rer. notat. p. 1, adnot.* ***20,*** *§ 3, n. 4* rem exponit : *In cura animarum spectante capitulo, collegio, beneficio vel alteri pio loco non per viam unionis sed ex primaeva erectione, vel alio modo, non posset de-* ***ntari*** *Vicarius perpetuus, quia non esset secundum mentem cap. Extirpandae et Concilii Tridentini ac constit. S. Pii V, quae etiam loquitur in terminis unionum, imo*

esset expresse contra dispositionem eiusdem Concilii cap. ***16,*** *sess.* ***25*** *de reform, ubi prohibetur beneficium curatum convertere in simplex.* Insuper concordat S. Congr. Concilii in *Camerinen.* ***26*** *ianuarii* ***1726;*** *Assisien.* ***16*** *novembris* ***1706*** *et ipsa Aliphana* ***12*** *ianuarii* ***1726*** *ad* ***2*** *dub.* utpote quia cura radicatur in Collegio a quo fluit et renuit iuxta Lotter. *de re benef. lib.* ***1,*** *q.* ***33,*** *n.* *7U.*

Evincere dein sategit Capitulum sibi a primaeva institutione animarum curam imminere, seseque praeditum esse ordinaria auctoritate ceu eruitur ex Bulla Nicolai IL In ista enim Canonici veluti Ordinarii renuntiantur et sub immediata Apostolicae Sedis auctoritate constituuntur. Quam ordinariam iurisdictionem progressu temporis a variis Summorum Pontificum documentis confirmatam fuisse constat. Ut eiusmodi auctoritatis ordinariae specimen Capitulum praeberet, ait sibi competere institutionem Cappellanum Beneficiorum, et Officiorum ex Primatiali Ecclesia; institutionem quoque plurimarum parochialium Ecclesiarum; propter quod ius sibi inest sacram peragendi visitationem Dioecesis una cum Ordinario; aliaque huius generis, quae propria sunt Ordinariorum. Habet quoque praedictum Capitulum non solum ius instituendi, verum etiam ab antiquissimo tempore habet ius destituendi quoad omnes officiales Ecclesiae inter quos cooptantur duo Capellani qui curam gerunt parochiae et baptizant; quos omnes Capitulum et Canonici *eligunt* et ponunt, revocant et deponunt ad libitum. Proindeque propriam illius Capituli esse etiam institutionem auctorizabilem, per quam tribuitur potestas exercendi curam ad tradita per Barbosa *de offic, et potest. Episcop. p.* ***3,*** *alleg.* ***72,*** *n.* ***184.***

Hisce positis conclusit Capitulum inter acta ordinariae potestatis recenseri et illud, quo constituit quotannis duos presbyteros amovibiles qui curam animarum gerant suique vices agant.

Nec umquam ullus Ordinariorum questum aut protestationem adversus eiusmodi agendi rationem emisit. Ex **quo silentio facile arguitur rectam fuisse Bullarum Summorum Pontificum interpretationem. Cui interpretationi, quae praesumitur recta, adiici debet consuetudo immemorabilis ; cuius natura valorem induit veri ac legitimi tituli. De qua re ratio adducitur a Card. De Luca** *lib. 15, disc. 21 de Iudiciis n. 50: Omnia enim dominia, ac bona vel iura quae ab antiquissimo ac immemorabili tempore bene concluso possideantur, aliquod principium absque dubio supponunt.* **Ex quo colligi posse, ait Capitulum, quod observantia immemorabilis sibi patrocinetur nedum in linea** *interpretativa et praesumptiva* **sed et in linea** *praescriptiva.*

Idem Capitulum animadvertebat etiam proprium ius haud nutare ob decreta ab Ordinario Angelo F. anno 1783 edita : quibus nempe statuebatur exercitium curae animarum omnino abdicatum et separatum manere a Canonicis et Capitulo dictae Ecclesiae. Nam decreta eiusmodi omni robore carent, dum edita fuerint vi metuque Gubernii civilis, ut colligere est ex littera Illustrissimi Domini a Secretis Regii Iuris, qua imponebatur Ordinario ut supprimeret Canonicatum praedictum, et inamovibiles redderet duos Vicarios pro animarum bono. At in iure receptum est quod si sola imperantis dignitas non semper metum reverentialem inducat aptum ad libertatem consensus removendam, ubi tamen cum potestate coniungitur, ad vim inferendum sufficit ut alter necessitate coactus assensum praebuisse censeatur, prout monet Ulpianus *lib. 6 ad Sabinam leg. 4 ff. de Regul. Iur. : Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris, vel domini.* **Sic existimandum est de illo, qui Principis vel potentis voluntati obsequatur;** *T ex. Decretalium tit. de his quae vi metus que causa cap. 4.* **Card. De Luca** *de Legitim, disc. 23, n. 3 et 4.*

Ast neque regeras, ait Capitulum, eiusmodi decreta edita fuisse iuxta Tridentinam dispositionem ideoque suam exercere vim; nam S. Tridentina Synodus *cap^* 7, *sess. 7 de reform,* facultatem praebet Ordinariis locorum consulendi, meliori quo possint modo, servitio Ecclesiarum quae unitae sunt Monasteriis, Collegiatis et Cathedralibus per Vicarios idoneos etiam perpetuos. Verumtamen indubium est, ait, sub nomine Ordinarii venire non solum Episcopum Dioecesanum, sed etiam Praelatum aut Capitulum qui *ordinaria auctoritate* fruatur in illa Ecclesia, ut in casu verificatur de Capitulo P. quoad parochiali tatem. Nam semper creavit et instituit in exercitio curae animarum duos Vicarios amovibiles, qui vices Capituli eiusdem peragerent; proindeque sibi, minime vero Archiepiscopo, spectat aliquam decernere variationem quoad Vicarios eosdem.

Decisio restituendi systema amovibilitatis est in bono iure Capituli, et iuri veteri ecclesiastico consona prouti ex Gloss. *Clement, frequens quidam, vers, etiam, verb. ad mensam, de excess. Praelat.* Geminian. *cons. 86, n. 3.* Neque adversatur eiusmodi decisio Concilium Tridentinum ceu patet ex *sess. 7, cap. 7;* ibi enim praecipitur ut iuxta utilitatem Ecclesiae et adiuncta assumantur parochi amovibiles vel perpetui. Neque regeras, adiecit Capitulum, a Trid. *sess. 24, cap. 13 de reform,* demandari ut unicuique paroeciae suus perpetuus parochus assignetur. Nam id in Ecclesia P. servatum dici potest; dum constat quod paroeciae Cathedralibus vel Collegiatis unitae totius Capituli iurisdictioni subsint, unicam repraesentantis Rectoris personam, ceu tradit Corrad. *prax. benef. lib. 2, cap. 2, n. ,51;* Gonzalez *comment, ad reg. Conc. gloss. 7, n. 71;* Barbos, *de off. et potestate parochi part. 1, cap. 1 n. 44;* et Rota *cor. Puteo decis. 290.*

Hisce adiici debet auctoritas Summi Pontificis Benedicti XIV, qui in Constit. *Cum semper oblatas § 10* absque

ullo discrimine mentionem facit tum de perpetuis, tum de amovibilibus animarum Vicariis. Quin imo suam decisionem esse, ait Capitulum, ad tramites Concilii Tridentini, nam *sess.* ***25,*** *cap.* ***16*** *de reform,* dictum est:.... *Cum primum per cessum vel decessum Vicarii seu Rectoris, aut quomodolibet, alterum eorum vacaverit beneficium curam animarum recipiat, ac Vicariae nomen cesset et in antiquum statum restituatur.* Quod utrumque obvenit in Ecclesia P. anno 1865, quum Capitulum decisionem praefatam emisit, ut sua iura vindicaret, et meliori modo Ecclesiae bono consuleret per Vicarios curatos amovibiles. Isti enim ob expulsionis timorem maiore sedulitate inserviunt Ecclesiae, et curae animarum invigilant : Barbosa *de iure Eccles, lib.* ***3,*** *cap.* ***6,*** *n.* ***65;*** et Eota *cor. Coccin, dec.* ***18,*** *num.* ***13.***

Conclusit tandem Capitulum nihili faciendam fuisse obiectionem, qua resolutio Capituli nullitate arguitur, utpote quae auctoritate Archiepiscopi haud suffulta videatur, quum Capitulum ipsum *auctoritate ordinaria* iam inde ab immemorabili potiatur.

In medium hisce deductis, sequens propositum fuit dirimendum :

Dubium.

An et quomodo constdendum sit curae animarum in casu.

RESOLUTIO. S. C. Congr. die 5 augusti 1876 causa ponderata et discussa, respondere censuit :

Affirmative per Vicarium, perpetuum, et unum adiutorem ab ipso Vicario dependentem,, facto verbo cum SSmo.

EX QUIBUS COLLIGES [1] :

I. Vicarios haud esse debere temporales sed perpetuos vel ex eo colligi potest quod Vicarii sint pastores; siquidem pastor perpetuus melius oves suas agnoscat quam pastor ad tempus.

II. Quapropter censuere Canonistas expedire ut Sancta Sedes decernat Cathedralium et Collegiatarum Capitula esse cogenda ad deputandos Vicarios perpetuos, quatenus per vicarios temporales curam animarum exerceant.

III. Praxim S. C. Concilii obtinuisse ut Capitula Cathedralium vel Collegiatarum, penes quae sit cura animarum, cogantur eamdem exercere per Vicarios perpetuos.

APPENDIX

Quoad Institutionem Yicarii perpetui in paroeciis quae Capitulis unitae sunt.

Ex Glossa in ***cap. Ex parte, verb. perpetuos, de officio Vicarii,*** Vicarius parochialis perpetuus dicitur ille, qui auctoritate Episcopi canonice est institutus ad deserviendum cuipiam ecclesiae, loco principalis rectoris, cum assignatione congruae portionis fructuum, quos inde percipere debet. Vicarius vero temporalis seu amovibilis ille est, qui auctoritate legitima superioris, pro peragendo ecclesiastico servitio, in locum alterius ad tempus seu ad voluntatem constituentis sufficitur.

Eruditam tradere dissertationem cupiens a Fagnano concinnatam quoad eiusmodi subiectum, nonnulla praemittere opportunum fore censui. Multoties enim inter canonistas disceptatum fuit an Episcopi, pro lubito, facultate pollerent reddendi perpetuos Vicarios temporales paroeciarum, quae Capitulis unitae reperiantur. Neque interea omittendum duobus modis paroecias unitas reperiri Capitulis

[1] Cfr. deductiones peractas, pag. 208, Vol. huius, in quaestione huic paene consimili, paucis exceptis. Et videsis sequentem appendicem III in subiecta materia.

posse, 1.° nempe principaliter et ex primaeva institutione, 2.° ex unione, quam dicunt accessoriae. Ex quibus disceptationibus, sive primo, sive secundo modo ecclesiae paroeciales unitae Capitulis sint, opinio obtinuit, quod Episcopi generatim possint cogere Capitula eiusmodi ad Vicarios temporales deputandos ne confuse et vage exerceantur, sine designato pastore.

Verumtamen si ecclesia paroecialis primo reperiatur modo unita Capitulo cuidam, per unionem nempe subiectivam, sive principaliter et per primaevam institutionem, tunc Episcopus nequit Vicarium perpetuum constituere ubi iam Vicarius temporalis fuerit. Quod roboratur auctoritate Rotae ***cor. Molines, Decis. 1082, n. 27 et 28,*** ubi deciditur: « ***Hodie enim post Concilium Tridentinum cura animarum exerceri potest per Vicarios ad nutum amovibiles, ita ut nec ipse Episcopus obtineat facultatem curatos amovibiles reddere perpetuos, nisi concurrente aliqua iusta causa, ut ex mente S. C. Concilii*** **».**

Nam quum in hoc casu Capitula paroecias habeant sibi pleno iure subiectas, iura parochialia ad Capitula pertinent, minime vero ad Episcopum. Et eadem Capitula dictarum paroeciarum, penes quae animarum cura residet, possent pro lubitu deputare idoneos Vicarios temporales. Proindeque si per Episcopum Vicarius perpetuus constitueretur in paroecia Capitulo subiective et pleno iure unita, eo ipso Capitulum despoliaretur iure et officio parochi; et esse verus parochus cessaret; sed Vicarius efficeretur verus parochus, quamvis titulo destitutus.

Hinc ex Barbosa ***lib. 3. Iur. Eccles, univers, cap. 6. n. 7.*** si a tempore perantiquo unio praedicta existat; ac insuper constet ex tunc Vicarios fuisse amovibiles ad nutum, scientibus et consentientibus Ordinariis, absque ulla legitima immutationis causa nil immutari potest. Ipse enim Chrysostomus monet « ***nil magis animos perturbat quam novitas*** **».** Et avertendae immutationis gratia, circa exercitium curae animarum, affabre perpendit Bota ***cor. Ansaldo in Aretina iur. Paroch. super bono iure 16 Ianuarii 1703 § Caeterum: « Consultius esse observatae consuetudini deferre, quam aliud in dissensionem populi novitate quadam adhibita statuere*** **»** et in ***decis. 212. n. 3 et 4. part. 17. recent,*** ad rem observat « ***nimis durum est immutare ea quae longo temporis cursu servata sunt*** **».**

Canonistae etiam huic doctrinae consonam emittunt opinionem; omnes enim affirmant in eiusmodi curatis ecclesiis aliam contingere non posse deputationem Vicarii quam amovibiliter et ad tempus. ***Is enim non dicitur suo iure administrare, sed alieno iure et nomine,***

canonicorum scilicet, seu collegii, ***cum ius parochiae sit apud unumquemque ipsorum in solidum, et alius non sit rector, quam ipsum Capitulum, et canonici in universum,*** ut perpendit idem Lotter. ***de Re Benefic. Lib. 1. qu. 20. n. 114 et seqq. « Quoad subiectum curae, sive parochiatìtatis est primo loco advertendum, quantum ad hanc controversiam, aliud esse ius parochiae, sive Curae, et longe aliud exercitium illius. Ius enim parochiae est individuum ut dicit Rota apud D. Coccin. Decis. 81. n. 1. Siquidem concemit iurisdictionem, quae est quid individuum; et hac ratione impossibile est, quod inter plures remaneat divisum. Exercitium vero prorsus dividuum est. Quatenus ergo supponitur in una Ecclesia extare plures ministros curae, iam non potest intelligi, apud eos reperiri ius parochiae sive curae divisunv, sed tantum exercitium, quod est natura dividuum, sed nihil prohibet, quominus ius parochiae sit apud unumquemque ipsorum in solidum.***

Quando vero paroeciae unitae sint Capitulis secundo modo, unione nempe accessoria, tunc opinio obtinuit Episcopos cogere posse Capitula ad eligendos et constituendos Vicarios perpetuos. Nam eiusmodi unio accessoria non efficit per se ut Capitulum, quatenus tale, sit verus parochus, et habeat officium immediatum animarum. Sed tantum efficit ut Capitulum teneatur ad satisfacienda onera, quae cum paroecia, accessorie unita, connexa sunt. Praeterea si Vicarius perpetuus poneretur hoc in adiuncto, fere nullam laesionem sui iuris Capitulum pateretur. Et quoad animarum curam sese haberet eadem ratione ac antea; cum illi competat parochi nomen, quia paroeciam tamquam rem temporalem possidet, cui officium curae animarum reperitur annexum.

His praenotatis, dissertationem, de qua verbum fecimus, libenter referimus. Doctissimus Fagnanus quum constituisset, sese conformans omnium canonistarum sententiae, quod canonici, inspecta iuris commmunis dispositione, cogi nequeant ad deputandos Vicarios perpetuos, sequentem sibi proposuit enodandam quaestionem.

An expediat ut Sedes Apostolica decernat de caetero huiusmodi Vicarios perpetuos in praedictis Ecclesiis esse instituendos. Et quoad hanc partem, ait sibi videri respondendum esse quod magnopere expediat ut Sanctissimus statuat, de caetero instituendos esse Vicarios perpetuos in dictis Ecclesiis: quod suadetur ex sequentibus rationibus.

Primo quia cum beneficia curata sunt in Ecclesiis Cathedralibus seu Collegiatis, animarum cura non est penes singulos in particulari,

sed potius penes collegium, seu Capitulum. At Capitulum penes quod residet cura animarum, etsi dicatur repraesentare personas eiusdem Capituli viventis, non tamen est persona vera, sed ficta et repraesentata et carens anima; et sic Parochia non habet certum et particularem pastorem, qui curam animarum exerceat. Nam cum quid est commune pluribus sic ut nullus de Collegio potest dicere: hoc est meum; omne id quod convenit pluribus, convenit eis secundum id quod est eis commune, non autem secundum id quod est proprium atque ita inconveniens videtur ut in huiusmodi Ecclesiis non sit unus et certus rector, seu perpetuus Vicarius, cui animarum cura incumbat, ***cap. Sicut 21 quaest. 2. « Sicut*** (inquit) ***in unaquaque ecclesia unus presbyter esse debet, ita ipsa quae sponsa vel uxor eius dicitur, non potest dividi in plures presbyteros, sed unum tantummodo habebit Sacerdotem qui eam caste et sincere regat ».***

Suadetur secundo, quia ut ait Aristoteles ***2 Politicorum cap. 2.*** quae communia sunt negligentius curari atque asservari solent et ut dicitur in ***C. Meminimus Cod., Quando et quibus quarta pars de\-betur lib. 10: « Naturale vitium est negligere, quod communiter possidetur, atque se nihil habere, qui non totum habeat, arbitretur ».***

Suadetur tertio, quia experientia, quae est efficax rerum magistra, et veritatis probatio legitima, docuit in dictis Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, in quibus est cura animarum communis, circa nominationem et deputationem Vicariorum temporalium crebras inter* ipsos Capitulares oriri discordias, et contentiones, cum quilibet eorum studeat nominare Vicarium pro suo libitu, et saepe etiam non zelo utilitatis Ecclesiae.

Suadetur quarto, quia cum Vicarii temporales, qui solent nominari per dicta Capitula, sint ad nutum eorum amovibiles, saepe etiam sine causa ob privatos affectus a Capitulis amoventur. Haec autem frequens Ministrorum mutatio ut plurimum, est valde Ecclesiis perniciosa.

Suadetur quinto, quia ex parte etiam ipsorum mercenariorum, mutationes non raro fiunt: nam cum non sint in Ecclesiis intitulati, oblato maiori stipendio, statim recedunt, ideoque ecclesiam non diligunt, nec ovium sollicitam curam gerunt.

Suadetur sexto, quia ob mutationum frequentiam vel ob periculum amotionis, vel ob stipendii tenuitatem, seu aliam causam consimilem, vix reperiuntur Vicarii qui qualitates habent requisitas ad curam animarum exercendam, ut docet experientia. Quod quam sit Ecclesiasticis atque ovibus perniciosum patet ex ***cap. Grave, de prae-***

bend. etc. Unde Dionysius Cartusianus ***lib. un. de vita et regimine Episcoporum art. 34: « Cum igitur*** inquit ***peccet Antistes saecularia et civilia officia committendo viris insufficientibus, imprudentibus, et iniustis, multo et quasi incomparabiliter enormius peccat constituendo in officio pastorali et curato eos, qui ad talium executionem officiorum non sunt scientia, moribus, virtutibiis et aetate idonei; similiter si dispenset et permittat quod insufficientes constituantur et sint Capellani Vicarioque pastorum ».***

Suadetur septimo, quia etsi eiusmodi Vicarii temporales passim non mutarentur, nec ipsi ecclesiarum curam desererent, et praediti essent qualitatibus requisitis; negari tamen non potest, quin sint mercenarii, et conductitii, de quibus ***Ioan. 10. Bonus pastor animam suam dat pro"bvibus suis : Mercenarius autem, et qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit, et lupus rapit, et dispergit oves. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est et non pertinet ad eum de ovibus.***

Unde Rebuffus ***in praxi beneficiorum tit. de dispensatione, de non recidendo n. 57 et 68. Cultus,*** inquit, ***diminuitur Divinus per mercenarios, qui non serviunt, et quibus nulla est cura de ovibus, ut sacrum docet evangelium;*** et textus ***in cap. Ex parte, de Constitution.*** Et hanc fuisse etiam potissimam causam haeresum, scribit Alphonsus Castrensis ***lib. 1, adversus omnes haereses cap. 13.***

Suadetur octavo, quia Vicarii perpetui, in quos tota- cura animarum translata est, dicuntur habere vere titulum Ecclesiae Parochialis; et curam animarum non tantum in exercitio sed etiam in habitu; et quamvis proprie non dicantur Rectores Ecclesiarum, sunt tamen proprie Rectores curae animarum, eisque incumbit ex officio gregem sibi creditum pascere; cum enim canonico titulo sint subrogati, in animarum cura tenentur ad omnia illa ad quae tenentur Rectores. Unde opinio Gloss, penult. ***in cap. Ad haec supra eodem*** quod Vicarii perpetui non habeant titulum, sed Ecclesiam quasi commendatam, non videtur vera, quia imo habeant veram titulum in ipsa ecclesia, ut sensit ibi Abbas, et Vitalin, ***in Clem. caeterum, n. 3, de sepulturis,*** Roman, ***cons. 3Ö6. n.*** 5, et alii passim.

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM.

Feria IV. Die 22 decembris 1876.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 22 decem. 1876 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque vel alias damnata atque proscripta in Indicem Librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

Larroque Patrice. *De la création d'un Code de droit international et de l'institution d'un haut Tribunal juge souverain des différends internationaux.* — Paris, 1875.

Spaventa Bertrando. *Opera omnia Philosophica.*

Vera A. prof. *Opera omnia. Quocumque idiomate.*

Storia della Chiesa per un vecchio cattolico italiano (Luigi Anelli) Voi. 2. — Milano, Fratelli Trêves editori, 1875. *Opus praedamnatum ex Reg. II, Ind. Trid.*

Katholisches Rituale herausgegeben nach den Beschlüssen der beiden ersten Synode der Altkatholiken des Deutschen Reiches. — Latine vero : *Rituale catholicum editum iuxta decisiones duarum primarum Synodorum veterum-catholicorum imperii germanici.* — Bonnae, 1875. *Libellus praedamnatus ex Reg. II. Ind. Trid. Decr. S: Off. 6 dec. 1876.*

Katholischer Katechismus herausgegeben im Auftrage der altkatholischen Synode. — Latine vero : *Catechismus*

catholicus editus ex mandato Synodi veteris-catholicae.— Bonnae, .1875. *Libellus praedamnatus ex Reg, II. Ind. Trid. Decr. eod.*

Leitfaden für katholischen Religionsunterricht an höhern Schulen, herausgegeben im Auftrage der altkatholischen Synode. — Latine vero : *Directorium pro institutione religionis catholicae in scholis superioribus, editum ex mandato Synodi veteris-catholicae.* — Bonnae, 1875. *Libellus praedamnatus ex Reg. II. Ind. Trid. Decr. eodem.*

Venere al Tribunale della Penitenza. — Manuale dei Confessori, con prefazione e traduzione di Osvaldo Gnocchi-Viani. — Roma, Francesco Capaecini editore, 1877. *Decr. S. Off.* ***17*** *ianuarii* ***1877.***

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, in quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisìtóribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX per me infrascriptum S. L C. a Secretis relatis, Sanctitas Sua Decretum probavit et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 19 ianuarii 1877.

ANTONIUS Card. DE LUCA, *Praefectus.*

Fr. Hieronymus Pius Saccheri, Ord. Praed.
S. Ind. Congr. a Secretis.

L. © S.

Die *2ii* ianuarii 1877 ego infrascriptus Magister Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Philippus Ossani, *Mag. Curs.*

DOCUMENTA QUOAD SOCIETATES BIBLICAS

MONITUM.

Appendicis loco damus seriem documentorum romanorum Societates biblicas nuncupatas respicientium ab earum institutione ad nostra usque tempora. Quorum documentorum nullum est quod iam alias» editum non fuerit. At nonnulla maxime quae vetustiora, adeo nunc latent, ut merito in novam lucem proferenda videantur ; omnia vero simul habere collecta his maxime diebus, quibus magno romanae fidei ac pietatis detrimento eaedem Societates et debacchantur et serpunt, nonnisi e re catholica erit. lectoribus igitur ephemeridis nostrae consilium hoc gratissimum futurum et speramus in Domino et plane confidimus.

DOCUMENTUM PRIMUM.

1.

INNOCENTIUS PP. III.

UNIVERSIS CHRISTIFIDELIBUS TAM IN URBE METEN. QUAM IN EIUS DIOECESI CONSTITUTIS. - QUOD RUDIORES LAICI DE SCRIPTURIS SACRIS TEMERE IUDICARE, PRIVATIM CONVENIRE ET CONCIONARI, SACERDOTES ET ECCLESIAM CONTEMNERE NON DEBEANT.

Cum ex iniuncto nobis apostolatus officio facti simus secundum Apostolum sapientibus et insipientibus debitores, pro universorum salute nos oportet esse sollicitos, ut et malos retrahamus a vitiis, et bonos in virtutibus foveamus: tunc autem opus est discretione maiori, cum vitia sub specie virtutum occulte subintrant, et angelus satanae se in angelum lucis simulate transformat. Sane significavit nobis V. F. noster Metensis Episcopus per litteras suas* quod tam in dioecesi quam in urbe Meten, laicorum et mulierum multitudo non modica, tracta quodammodo desiderio Scripturarum, evangelia, epistolas Pauli, psalterium, moralia Iob, et plures alios libros sibi

fecit in gallico sermone transferri. Translationi huiusmodi adeo libenter, utinam autem et prudenter, intendens, ut secretis conventionibus talia inter se laici et mulieres eructare praesumant et sibi invicem praedicare; qui etiam aspernantur eorum consortium, qui se similibus non immiscent, et a se reputant alienos qui aures et animos talibus non apponunt. Quos cum aliqui parochialium sacerdotum super his corripere voluissent, ipsi eis in faciem restiterunt, conantes rationes inducere a Scripturis, quod ab his non deberent aliquatenus prohiberi. Quidam etiam ex eis simplicitatem sacerdotum suorum fastidiunt; et cum ipsis per eos verbum salutis proponitur, se melius habere in libellis suis et prudentius se posse id eloqui, submurmurant in occulto. Licet autem desiderium intelligendi divinas Scripturas et secundum eas studium adhortandi reprehendendum non sit sed potius commendandum, in eo tamen apparent merito arguendi quod tales occulta conventícula celebrant, officium sibi praedicationis usurpant, sacerdotum simplicitatem eludunt, et eorum consortium aspernantur qui talibus non inhaerent. Deus enim lux vera, quae omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, in tantum odit opera tenebrarum, ut apostolos suos in mundum universum praedicaturos evangelium omni creaturae missurus, eis aperte praeceperit dicens : - *quod dico vobis in tenebris dicite in lumine, et quod in aure auditis praedicate super tecta,* - per hoc manifeste denuncians, quod evangelica praedicatio non in occultis conventiculis, sicut haeretici faciunt, sed in ecclesiis iuxta morem catholicum est publice proponenda. Nam iuxta testimonium veritatis, *omnis qui male agit odit lucem, et ad lucem non venit, ne eius opera arguantur. Qui autem facit veritatem venit ad lucem ut manifestentur opera eius quia in Deo sunt facta.* - Propter quod cum Pontifex interrogasset Iesum de discipulis suis et de doctrina eius, respondit: - *ego*

palam locutus sum mundo; ego semper docui in synagoga et in templo quo omnes iudaei conveniunt, et in occulto locutus sum nihil. - Porro si quis obiiciat, quod iuxta praeceptum dominicum non est sanctum dandum canibus, nec margaritae mittendae sunt ante porcos, cum et Christus ipse non omnibus quidem sed solis apostolis dixerit : - *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, caeteris autem in parabolis,* - intelligat canes et porcos non eos esse qui sanctum gratanter accipiunt et margaritas libenter acceptant, sed illos qui sanctum dilacerant et margaritas contemnunt, quales sunt qui evangelica verba et ecclesiastica sacramenta non ut catholici venerantur, sed abominantur potius ut haeretici, oblatrantes semper et blasphemantes ; quos Paulus apostolus post primam et secundam commonitionem docet esse vitandos. Arcana vero fidei sacramenta non sunt passim omnibus exponenda, cum non passim ab omnibus possint intelligi, sed eis tantum qui ea fideli possunt concipere intellectu. Propter quod simplicioribus inquit Apostolus : - *quasi parvulis in Christo lac potum dedi vobis non escam.* - Maiorum est enim solidus cibus, sicut aliis ipse dicebat: - *Sapientiam loquimur inter perfectos, inter vos autem nihil iudicari me scire, nisi Iesum Christum et hunc crucifixum.* - Tanta est enim divinae Scripturae profunditas, ut non solum simplices et illiterati sed etiam prudentes et docti non plene sufficiant ad ipsius intelligentiam indagandam. Propter quod dicit Scriptura : - *Quia multi defecerunt scrutantes scrutinium.* - Unde recte fuit olim in lege divina statutum, ut *bestia quae montem tetigerit lapidetur,* ne videlicet simplex aliquis et indoctus praesumat ad sublimitatem Scripturae Sacrae pertingere vel eam aliis praedicare. Scriptum est enim : - *A Itiora te ne quaesieris;* - propter quod dicit Apostolus - *non plus sapere quam oportet sapere sed sapere ad sobrietatem. Sicut enim multa sunt membra corporis, omnia vero membra*

non eumdem actum habent, ita multi sunt ordines in ecclesia, sed non omnes idem habent officium, quia secundum Apostolum, *alios quidem* Dominus *dedit apostolos, alios prophetas, alios autem doctores etc.* Cum igitur doctorum ordo sit quasi praecipuus in ecclesia, non debet sibi quisquam indifferenter praedicationis officium usurpare. Nam secundum apostolum, *quomodo praedicabunt nisi mittantur?* et Veritas ipsa praecepit apostolis : *Rogate dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Quod si forte quis argute respondeat, quia tales invisibiliter mittuntur a Deo etsi non visibiliter mittantur ab homine^ cum invisibilis missio multo sit dignior quam visibilis, et divina longe melior quam humana, unde Ioannes Baptista non legitur missus ab homine sed a Deo, sicut evangelista testatur, quia *fuit homo missus a Deo cui nomen erat Ioannes,* potest et debet utique ratione praevia responderi, quod cum interior illa missio sit occulta, non sufficit cuiquam nude tantum asserere quod ipse sit missus a Deo, cum hoc quilibet haereticus asseveret, sed oportet ut adstruat illam invisibilem missionem per operationem miraculi vel per Scripturae testimonium speciale. Unde cum Dominus vellet mittere Moysen in Aegyptum ad filios Israel, ut crederetur ei quod mitteretur ab ipso, dedit ei signum ut converteret virgam in colubrum iterum reformaret in virgam. Ioannes quoque Baptista suae missionis speciale testimonium protulit de Scriptura respondens sacerdotibus et levitis qui missi fuerant ad interrogandum quis esset et quare baptizandi sibi officium assumpsisset : *Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta.* Non ergo credendum ei qui se dicit missum a Deo cum non sit missus ab homine, nisi de se speciale proferat testimonium de Scripturis vel evidens miraculum operetur. Nam et de his qui missi leguntur a Deo evangelista testatur, quod *ipsi profecti praedicabant ubique Domino cooperante et sermonem*

confirmante sequentibus signis. Licet autem scientia valde sit necessaria sacerdotibus ad doctrinam, quia iuxta verbum propheticum *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem eœquirent ex ore eius,* non est tamen simplicibus sacerdotibus etiam a scholasticis detrahendum, cum in eis sacerdotale ministerium debeat honorari. Propter quod Dominus in lege praecepit : *diis non detrahes,* sacerdotes intelligens, qui propter excellentiam ordinis et officii dignitatem deorum nomine nuncupantur. Iuxta quod alibi dicit de servo volente apud dominum remanere ut dominus offerat eum diis. Cum enim iuxta verbum Apostoli, servus suo domino stet aut cadat, profecto ab episcopo, cuius est correctioni subiectus, debet in mansuetudinis spiritu castigari, non autem a populo, cuius est correctioni praepositus, in spiritu superbiae reprehendo cum iuxta praeceptum dominicum pater et mater non debeant maledici sed potius honorari, quod de spirituali patre multo fortius debet intelligi quam carnali. Nec quisquam suae praesumptionis audaciam illo defendat exemplo, quod asina legitur reprehendisse prophetam, vel quod Dominus ait: *quis ex vobis arguet me de peccato?* et : *si male locutus sum, testimonium perhibe de malo,* cum aliud sit fratrem in se peccantem occulte corripere, quod utique quisque tenetur efficere secundum regulam evangelicam, in quo casu sane potest intelligi quod Balaam sit correptus ab asina; et aliud est patrem suum etiam delinquentem reprehendere manifeste, ac praecipue fatuum pro simplici appellare, quod utique nulli licet secundum evangelicam veritatem. Nam *qui* etiam *fratri suo dixerit, fatue, reus erit gehennae.* Rursus aliud est quod praelatus sponte sua confisus innocentia se subditorum accusationi supponit, in quo casu praemissum Domini verbum debet intelligi; et aliud est quod subditus non tam animo corripiendi quam detrahendi exurgit temerarius in praelatum, cum eum potius maneat necessi-

tas obsequendo Quod si forte necessitas postulant, ut sacerdos tamquam inutilis aut indignus a cura gregis debeat removeri, agendum est ordinate apud episcopum, ad cuius officium tam institutio quam destitutio sacerdotum noscitur pertinere. Illud autem tamquam de supercilio pharisaeorum procedens debet ab omnibus aspernari, quod tamquam ipsi soli sint iusti caeteros aspernantur; cum et hactenus ab initio nascentis ecclesiae multi fuerint viri sancti, qui nec tales fuisse leguntur, nec talibus adhaesisse, cum de novo tales surrexisse legantur. Qui nisi contenti sint doceri potius quam docere ad illos forsitan pertinebunt, quibus Dominus ait : *nolite plures fieri magistri.* Nos ergo, filii, quia paterno vos affectu diligimus, ne sub praetextu veritatis in foveam decidatis erroris et sub specie virtutum in laqueum vitiorum, universitatem vestram rogamus attentius, monemus et exhortamur in Domino, in remissionem vobis peccatorum iniungentes, quatenus ab his quae superius reprehensibilia denotavimus et linguam et animum revocetis, fidem catholicam et regulam ecclesiasticam observantes, ne vos verbis fallacibus circumveniri vel etiam circumvenire contingat : quia nisi correctionem nostram et admonitionem paternam receperitis humiliter et devote, nos post oleum infundemus et vinum, severitatem ecclesiasticam apponentes, ut qui noluerint obedire spontanei, discant acquiescere vel inviti. Datum Laterani, iv idus Iulii A. D. 1199.

2.

EPISCOPO ET CAPITULO METENSIBUS DE EODEM ARGUMENTO.

Sicut ecclesiarum praelatis incumbit ad capiendae vulpes parvulas quae demoliri vineam Domini moliuntur prudenter et diligenter intendere, sic est eis summopere praecavendum, ne ante messem zizania colligantur, ne forsan (quod absit) cum eis etiam triticum evellatur. Sane=

sicut non debet haeretica pravitas tolerari, sic enervari non debet religiosa simplicitas, ne vel patientia nostra haereticis audaciam subministret, vel simplices impatientia multa confundat, ut nobis diruptis convertantur in arcum perversum, et in haereticos de simplicibus commutentur. Sane significasti nobis per litteras tuas, frater Episcope, quod tam in dioecesi quam in urbe Meten [etc. ut supra p. 603-4 usque ad verbum *in occulto']*. Quia vero in dubiis non est de facili sententia proferenda, cum quod vel iidem errent in fide a doctrina discrepent salutari nobis per tuas litteras, frater episcope, non duxeris exprimendum : cum opinionem et vitam eorum penitus ignoremus qui sacras Scripturas taliter transtulerunt, aut eorum qui docent taliter iam translatas, quorum neutrum potest fieri sine scientia litterarum, licet in his arguendi merito videantur, quod occulta conventícula celebrant, officium sibi [etc. p. 604 usque ad verbum *non inhaerent]*. Discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus atque praecipimus quatenus eos commonere diligentius studeatis rationibus et exhortationibus innitentes, ut ab his in quibus apparent reprehensione notabiles omnino desistant, nec officium sibi vindicent alienum. Inquiratis etiam sollicite veritatem quis fuerit auctor translationis illius, quae intentio transfer entis, quae fides utentium, quae causa docendi, si Sedem Apostolicam et catholicam ecclesiam venerentur ut super his et aliis quae necessaria sunt ad indagandam plenius veritatem, per litteras vestras sufficienter instructi, quid statui debeat melius intelligere valeamus. Revocandi autem eos et convincendi secundum Scripturas super his quae reprehensibilia denotavimus, viam vobis in litteris quas communiter illis dirigimus, aperimus.

Datum Laterani iv idus iulii A. D. 1199.

3.

INNOCENTIUS III

epist. lib. 2 (non 3 quod non extat)

GISTERCIENSI MORIMUNDENSI ET DE CRIPTA ABBATIBUS.
Ut cum Metensi episcopo de haeresi suspectus examinent.

Ea est in fovendis virtutibus et vitiis extirpandis a praelatis ecclesiarum servanda discretio et circumspectio adhibenda,^, ne vel internascentium densitate spinarum enormiter frumenta laedantur, vel insuper seminatorum zizaniorum evulsione triticum evellatur. In abscindendis etiam et curandis corporibus infirmorum sic oculi diligentia praecedere debet manus officium et ferrum digitus praevenire, ne si cauterium adhibeatur incaute, non tam partes infirmas non sanet quam sanas infirmet. Quod tanto diligentius in mentis languoribus est servandum, quanto animam novimus corpore digniorem et spiritualia carnalibus praeponendi. Hoc autem infra nos ipsos diligentius attendentes; cum olim V. F. noster Metensis Episcopus per suas nobis litteras intimasset, quod tam in dioecesi quam in urbe Metensi laicorum et mulierum non modica multitudo gallicae cuidam translationi divinorum librorum intendens, secretis conventiculis etiam inter se invicem eructare praesumerent, aliorum aspernantes consortium et in faciem redarguentibus presbyteris resistentes, quorum simplicitatem fastidiunt, in suae translationis peritia confidentes, non protinus ad vindictam res nos accendit incognita, sed universis tam in urbe quam in Metensi dioecesi constitutis sub eo tenore litteras curavimus apostolicas destinare, qui vobis ex transcripti earum poterit inspectione patere. Eidem insuper episcopo et capitulo Meten, dedimus in mandatis, ut inquirerent sollicite veritatem, quis fuerit auctor translationis illius, quae

intentio transferent, quae fides utentium, quae causa docendi ; si utentes ipsa venerarentur Apostolicam Sedem et catholicam Ecclesiam honorarent, ut super his et aliis quae necessaria sunt ad indagandam plenius veritatem per eorum litteras sufficienter instructi plenius intelligeremus et planius quid super his statui oporteret. Nuper autem idem episcopus per suas nobis litteras intimavit quod quidam eorum quos notabiles prioribus litteris denotarat, mandatis recusant apostolicis obedire; quibusdam eorum clanculo, quibusdam vero iam publice obediendum esse dicentibus soli Deo ; ab occultis etiam conventiculis non cessantes, officium praedicationis occulte, licet a nullo mittantur, prohibiti etiam, sibi non metuunt usurpare, aspernantes sibi dissimiles, et translationi eidem usque adeo insistentes, ut se nec episcopo nec metropolitano suo, nec Nobis ipsis asserant parituros, si eam decreverimus abolendam. Licet autem tales in eo reprehendendi merito videantur quod occulta conventícula celebrant, officium praedicationis usurpant, simplicitatem despiciunt sacerdotum, et eorum consortia qui dictam translationem non recipiunt aspernantur; ne quidquam subito facere videamur, discretioni vestrae, de qua plene confidimus, per apostolica scripta mandamus atque praecipimus, quatenus ad civitatem Meten, pariter accedentes cum eodem episcopo convocetis coram vobis talia sapientes et adhaerentes translationi praedictae, et si fieri poterit qui in eis reprehensibiles fuerint auctoritate freti apostolica sublato appellationis obstáculo corrigatis. Quod si correctionem vestram recipere forte noluerint, inquiratis super capitulis illis quae in litteris quas episcopo miseramus expressa fuisse superius vobis expressimus, et aliis etiam diligentius veritatem, et quod inveneritis per nuntium vestrum et litteras plenius intimetis ; ut per vos certiores effecti prout procedendum fuerit procedamus. Cum enim in hoc universalis ecclesiae vertatur

negotium et agatur causa fidei christianae, ad exequendum Apostolicae Sedis mandatum cum summa diligentia et cautela vos studiosos et promptos esse volumus et mandamus.

Datum Laterani v idus decembris.

DOCUMENTUM SECUNDUM.

EX SACRO CONCILIO TRIDENTINO

Sess. 22 cap. 8.

Missa vulgari lingua passim non celebranda; eius mysteria fidelibus explicanda.

Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem, retento ubique cuiusque ecclesiae antiquo et a S. Rom. Ecclesia, omnium Ecclesiarum matre et magistra probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, et non sit qui frangat eis; mandat S. Synodus Pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios, ex iis quae in Missa leguntur, aliquid exponant; atque inter caetera sanctissimi huius sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus praesertim dominicis et festis.

Ex Sessione eadem Canon IX.

Si quis dixerit, Ecclesiae Romanae ritum, quo submissa voce pars Canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; AUT LINGUA TANTUM VULGARI MISSAM CELEBRARI DEBERE, aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, anathema sit.

DOCUMENTUM TERTIUM.

ALEXANDER PP, VII [1]

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Ad aures nostras ingenti cum animi nostri moerore pervenit, quod in regno Galliae quidam perditionis filii in perniciem animarum novitatibus studentes et ecclesiasticas sanctiones et praxim contemnentes ad eam nuper vesaniam pervenerint, ut missale romanum latino idiomate longo tot saeculorum usu in Ecclesia probato conscriptum ad gallicam vulgarem linguam convertere,

[1] Hoc Breve, licet in *forma Motus proprii* prodierit, instantibus tamen Comitiis Cleri Gallicam datum fuisse certum est. Iuvat particulam eiusmodi litterarum referre. - Inducti autem fuimus, Bme Pater, hoc est universus iste Patrum et Comitiorum generalium coetus, multis iisque gravissimis rationibus, quae B. T. rerum omnium encyclopaedia et cognitione pollentem non latent: ac potissimum, quod praeter antiquitatis reverentiam postulet ipsa christianorum rituum ac mysteriorum dignitas atque maiestas ut ea vulgo et quibusvis obviis non exponantur, ne ipsa sua frequentia et assiduitate vilescant, sintque eo magis mira et veneranda quo rariora: neve -apicum syllabarum aut verborum immutatio quae ex singulorum idiomatum dialecto et proprietate eruitur scandalum aliquod vel offendiculum in rebus fidei ac doctrinae ponat, fiatque hinc quod est in libris Regum, *ut unaquaeque gens atque provincia fabricata sit sibi Deum suum,* dum peculiarem religionem a proprio cerebro sibi fingit ex depravatis aut male intellectis sacris codicibus, uti fecere olim Valdenses, alias pauperes de Lugduno, aliaeque eiusmodi hominum faeces ac pestes, et patrum nostrorum memoria in Septentrionalibus maxime plagis, atque in ipsa nostra Gallia, ubi orthodoxa fides ac religio (proh dolor!) plures in sectas misere scissa est atque lacerata, Lutherus, Calvinus, Beza, eorumque sequaces qui virus suum ex adulterata praesertim Sacrae Scripturae ac divinorum officiorum in familiarem linguam versione per intimae sortis homines et imperitam plebem disseminarunt... Enim vero, B. F'., verbo Dei scripto nihil melius aut utilius nihil alio sensu peius aut periculosius, cum sit optimi succi corruptio pessima et a Vincentio Lirinensi, adversus profanas haeresum novitates calamo pugnante, Scriptura divina *liber haereticorum* dicatur: nec ullus umquam contra fidem error exortus est, qui se non aliquo sacrarum litterarum corrupto textu tamquam clypeo obiecto tutatus sit. Et ideo quemadmodum illius explanatio a Sacro Tridentino Concilio mire commendatur parochis et animarum rectoribus, ut inter ipsa Missarum Solemnia aut divinorum celebra-

sicque conversum typis evulgare, et ad cuiusvis ordinis et sexus personas transmittere ausi fuerint, et ita sacrosancti ritus maiestatem latinis vocibus comprehensam deiicere et proterere ac sacrorum mysteriorum dignitatem vulgo exponere temerario conatu tentaverint. Nos quibus licet immeritis Vineae Domini Sabaoth a Christo Salvatore nostro plantatae eiusque pretioso sanguine irroratae cura demandata est, ut spinarum huiusmodi, quibus illa obrueretur, obviemus incremento, earum quantum in Deo possumus radices succidamus, quemadmodum novitatem istam perpetui ecclesiae, decoris deformatricem abhorremus -et detestamur, ita Missale praedictum gallico idiomate a quocumque conscriptum vel in posterum alias quomodolibet conscribendum et evulgandum, motu pro-

tionem sacra eloquia singulis diebus vernacula lingua exponant, quum ipsa Missa magnam contineat populis fidelis eruditionem, ita et ipsius de verbo ad verbum redditio damnatur atque prohibetur, eo quod haec plurium errorum causa fuerit atque seminarium (6 Dec. 1660). Ita *Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi et alii ecclesiastici viri in Conciliis generalibus cleri gallicam Parisiis congregati.*

Praeiverat autem Episcopis illis sacra Facultas Parisiensis sub die 4 Ianuarii 1660, sic censens: Quod autem spectat ad missale gallice nuper typis excussum, praeseferens eius approbandi licentiam a Facultate, tantum abest ut eam umquam alicui concesserit, cum petita tantum fuerit licentia adprobandi *explicationem missarum totius anni,* non vero ullam Missalis gallicam versionem; quin potius eam petenti licentiam haud dubie denegasset; et datam a quocumque suorum traductionis illius adprobationem non potest ¡non improbare, uti et praesenti declaratione improbat, sicut Magistris Breviarii Romani versionem approbandi licentiam postulantibus denegavit a. 1655, et datam ab aliis pro Novi Testamenti versione adprobationem improbavit anno 1649. Ea de causa quatuor e suis nominavit, qui illustrissimos ecclesiae gallicanae Kpiscopos Parisiis congregatos adirent, monerentque quantum ab eiusmodi versionibus sacra Facultas abhorreat, quamque religiose semper inhaeserit vestigiis maiorum, qui pullulantibus superiorum saeculorum novitatibus obsistendo, pruriginem illam subinde renascentem et aliquorum animis nimium insitam Sacra Biblia et Officia ecclesiastica in quamcumque linguam vertendi praedamnarunt (censura nempe in Erasmum lata).

Pontificias autem litteras ubi Episcopi illi accepere gravissimam ad caeteros Galliarum Episcopos encyclicam epistolam dedere pridie nonas Mart. 1661 qua priorem sententiam validius inculcarunt (vid. Z**ACCARIA,** *Storia polemica della proibizione dei libri,* Diss. 3, part. I, cap. 1-2).

prîo et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris perpetuo damnamus reprobamus et interdicimus ac pro damnato et reprobato et interdicto haberi volumus, eiusque impressionem lectionem ac retentionem universis et singulis utriusque sexus christifidelibus cuiuscumque gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, honoris, et praeeminentiae, licet de illis specialis et individua mentio habenda foret, existant, sub poena excommunicationis latae sententiae ipso iure incurrendae perpetuo prohibemus. Mandantes quod statim quicumque illud habuerint vel in futurum quandocumque habebunt realiter et cum effectum exhibeant et tradant locorum Ordinariis vel Inquisitoribus, qui nulla interposita mora exemplaria igne comburant et comburi faciant. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XII ianuarii MDCLXI, Pontificatus Nostri anno vi.

S. Ugolinus.

Sequitur testimonium affixionis et publicationis factae die 7 februarii 1661.

DOCUMENTUM QUARTUM.

PROPOSITIONES PASGHASII QUESNELLI DAMNATAE A CLEMENTE PP. XI CONSTIT. « UNIGENITUS » DIE VI ID. SEPTEMBRIS MDCCXIII.

79. Utile et necessarium est omni tempore omni loco et omni personarum genere studere et cognoscere spiritum, pietatem et mysteria Sacrae Scripturae (I. Cor. xiv, 5).

Su. Lectio Sacrae Scripturae est pro omnibus (Actor. VIII, 28).

81. Obscuritas sancti verbi Dei non est laicis ratio dispensandi seipsos ab eius- lectione (Actor, VIII, 31).

82. Dies dominicus a christianis *debet sanctificari* lectionibus pietatis et super omnia sanctarum Scripturarum. Damnosum est velle christianum ab hac lectione retrahere (Act. xv, 21).

83. Est illusio sibi persuadere quod notitia mysteriorum religionis non debeat communicari f oeminis lectione sacrorum librorum. Non ex foeminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est Scripturarum abusus et natae sunt haereses (Ioan. iv, 26).

84. Abripere e christianorum manibus novum testamentum seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare (Matth, v, 2).

85. Interdicere christianis lectionem sacrae scripturae praesertim evangelii, est interdicere usum luminis filii lucis et facere ut patiantur quamdam speciem excommunicationis (Luc. xi, 33).

86. Eripere simplici populo hoc solatium iungendi vocem suam voci totius ecclesiae, est usus contrarius praxi Apostolicae et intentioni Dei (I. Cor. xvi, 16).

SYNODI PISTORIENSI PROPOSITIONES SUB N. 66 ET 67 DAMNATAE A PIO PP. VI. CONSTIT. « AUCTOREM FIDEI » v KAL. SEPTEMBRIS MDCCXCIV.

LXVI. Propositio asserens « fore contra apostolicam praxim et Dei consilia, nisi populo faciliores viae parentur vocem suam iungendi cum voce totius ecclesiae », intellecta de usu vulgari linguae in liturgicas preces inducendae, *falsa, temeraria, ordinis pro mysteriorum celebratione praescripti perturbativa, plurium malorum facile productrice.*

LXVII. Doctrina perhibens a lectione sacrarum Scripturarum nonnisi veram impotentiam excusare, subiun-

gens ultro se prodere obscurationem, quae ex huiusce praecepti neglectu orta est super primarias veritates religionis : *falsa, temeraria, quietis animorum perturbativa, alias in Quesnello damnata.*

DOCUMENTUM QUINTUM,

I.

Breve quo damnatur Rituale romanum idiomate Gallico editum.

CLEMENS PAPA IX

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Creditae Nobis divinitus omnium Ecclesiarum sollicitudinis ratio exigit, ut ecclesiasticae disciplinae, cuius custodes a Domino constituti sumus, ubique conservandae iugiter incumbentes, omni cura, atque vigilantia praecavere studeamus, ne quid in eam irrepat, quo quomodolibet turbari aut a praescriptis ritibus aberrare, et via erroribus aperiri possit. Cum itaque (sicut Nobis innotuit) anno proxime elapso typis impressus, ac in lucem Parisiis editus fuerit Gallico idiomate liber, cui titulus est, *Rituel Romain du Pape Paul V à l'usage du Diocèse* •*d'Alet avec les instructions, et les rubriques en François;* in quo non solum continentur nonnulla ab ipso Rituali Romano iussu fel. record. Pauli Papae V praedecessoris nostri aliena, sed etiam doctrinae quaedam, et propositiones falsae, singulares, in praxi periculosae erroneae, et consuetudini in Ecclesia communiter receptae, atque ecclesiasticis Constitutionibus oppositae, et repugnantes, quarum usu, et lectione Christi fideles in iam damnatos errores sensim induci, ac pravis opinionibus infici possent; Nos opportunum huic malo remedium adhibere

volentes, Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, librum sub titulo Ritualis Gallico idiomate editum praefatum, auctoritate Apostolica tenore praesentium omnino damnamus, reprobamus, et interdicimus, ac pro damnato, reprobato, et interdicto haberi volumus, eiusque impressionem, lectionem, retentionem, et usum universis, et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, praesertim Civitatis, et Dioecesis Aleten. cuiuscumque gradus, conditionis, dignitatis, et praeeminentiae existant, licet de illis specialis, et individua mentio habenda foret, sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrendae perpetuo prohibemus. Mandantes ut statim quicumque illum habuerint, vel futurum quandocumque habebunt, locorum Ordinariis, vel Inquisitoribus, qui vero venerabili fratri Episcopo Aleten. subsunt, Metropolitano, aut uni ex viciniorибus Episcopis realiter, et cum effectu exhibeant, tradant, et consignent; qui nulla interposita mora exemplaria sibi tradita, et alia quaecumque Habuerint igne comburant, et cumburi faciant. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die xx februarii MDCLXVIII, Pontificatus nostri Anno Primo.

I. G. Slusius.

2.

Breve quo damnatur N. Testamenti versio in Gallico idiomate.

CLEMENS PAPA IX

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Debitum Pastoralis officii, quo Ecclesiae Catholicae per universum Orbem diffusae regimini, divina dispositione praesidemus, exigit, ut Sacras Scripturas in ea puritate, in qua per tot saecula ingenti bonitatis beneficio

conservatae fuerunt, illibatas custodire omni studio, atque vigilantia satagamus. Cum itaque sicut ad aures nostras pervenit, liber quidam versionis Gallicae novi Testamenti, cui titulus est: *Le nouveau Testament de notre Seigneur Jesus Christ traduit en franqois selon l'édition vulgate avec les différences du Grec:* Montibus Hannoniae, et Lugduni (ut inscribitur) typis impressus, ac in lucem editus fuerit: Nos librum huiusmodi nonnullis Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, aliisque viris pietate, doctrina, atque sapientia praestantibus, mature, quantum rei gravitas postulat, discutiendum, atque examinandum commisimus ; quorum sententiis auditis, atque consideratis, eundem librum versionis Gallicae novi Testamenti, ut supra, et ubicumque impressum, sive in posterum imprimendum, tamquam temerarium, damnosum, a vulgata editione praedicta difformem, et offendicula simplicium continentem, auctoritate Apostolica tenore praesentium damnamus, et prohibemus; ita ut nemo deinceps, cuiuscumque gradus, et conditionis existat, etiam speciali, et specialissima nota dignus, sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrendae, illum legere, retinere, vendere, aut imprimere, vel imprimi facere audeat, vel praesumat ; sed sub eadem poena quicumque illum habent, locorum Ordinariis, seu Inquisitoribus statim atque praesentis prohibitionis notitia habuerint, exhibere teneantur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus et auctoritate praedicta decernimus, illas ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, et Cancellariae Apostolicae, ac in acie Campi Florae de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris publicari, ac illarum exempla ibidem affìxa relinqui, illasque sic publicatas omnes, et singulos quos concernunt, in Italia quidem post mensem, extra Italiam vero post quatuor menses, a die publicatio-

nis hic in Urbe faciendae, numerandos, perinde afficere, et arctare, ac si illorum unicuique personaliter notificatae, et intimatae fuissent. Ipsarum vero litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem fidem in iudicio, et extra illud haberi, quae eisdem praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Dat. Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xx aprilis MDCLXVIII, Pontificatus Nostri Anno Primo.

I. G. SLUSIUS.

DOCUMENTUM SEXTUM.

(Benedictus XIV, in op. De *Syn. dioeces,* lib. 6, cap. 10;.

De vernacula divinarum scripturarum lectione alicubi prohibenda Synodali Decreto, si abusus irrepserit: si tamen nullus abusui locus sit, hac de re silere praestabit.

Spiritus *Roterus,* inter Dominicanae familiae alumnos; accuratus Scriptor, et contra haereticam pravitatem Inquisitor, cuius multa cum laude meminit *P. Echardus Tom.* ***2,*** *Scriptorum Ordinis Praedicatorum p.* ***188,*** celebrem edidit Dissertationem de non vertenda Scriptura Sacra in vulgarem linguam, quam anno 1548 *Henrico II* Francorum Regi nuncupavit. Haec lucubratio communi plausu in Gallus recepta, anno 1661, publica Cleri Gallicani auctoritate iterum praelo subiecta fuit. Tres item egregii S. R. E. Cardinales hoc argumentum pertractarunt, eorum sententiam refellentes, qui aut plane necessariam, aut saltem opportunam, ac valde utilem iactabant versionem sacrarum Scripturarum in vulgarem linguam, ut nimirum cuique promiscua esset earum lectio. Hos.

inter primus occurrit Cardinalis Stanislaus Hosius, qui in Tridentino Concilio Legati munere praeclare functus est, *lib.* ***3,*** *de auctoritate Scripturae sacrae pag.* ***247,*** alter vero Cardinalis Iacobus de Perron *Hb.* ***6,*** *c.* ***6,*** *Respons. ad Angliae Regem,* tertius Venerabilis Cardinalis Bellarminus *tom.* ***1,*** *Controversiar. Fidei lib.* ***2*** *de verbo Dei cap.* ***15.*** Si quis autem nosse cupiat Scriptores alios, et quidem bene multos, qui varios Tractatus, ac Dissertationes erudito calamo elucubrarunt, ut ostendant, lectionem sacrorum Bibliorum, vulgari lingua redditorum, non esse cuique permittendam, consulat volumen iussu Cleri Cal licani Parisiis editum anno 1661, ita inscriptum : *Collectio quorumdam gravium Auctorum, qui ex professo, vel ex occasione, Sacrae Scripturae, aut Divinorum Officiorum in vulgarem linguam translationes damnarunt.* Quibus addere possumus, praeter Iustum Fontaninum in Opere *de Italica eloquentia verb. Romanzo, sive Romanzio, ac* etiam Passavantium in *Speculo verae Poenitentiae,* ubi solidis probat rationibus, quam ardua res sit sacrarum Scripturarum nuda et accurata in vulgarem linguam conversio. Non enim sufficit, ad opus rite perficiendum, sola linguarum peritia; sed alia insuper scitu necessaria sunt, quae ab interpretibus ut plurimum ignorantur. Nolumus hic silentio praeterire Fridericum Coriolanum, virum eruditione clarum, et Carolo V Imperatori, ac Philippo II eius filio satis acceptum. Hic Auctor scripsit ac evulgavit Opus *de Consilio, et Consiliario,* communi suffragio comprobatum commendatumque. Mox tamen sobrietatis limites pertergressus, postquam Dissertationem adornavit anno 1556, Basileae impressum, cui titulus : *Bononia, sive de libris sacris in vernaculam linguam convertendis:* cunctorum indignationem ac censuram promeritus, in quamplura se se coniecit discrimina, teste P. Michaele a S. Ioseph, nunc Episcopo Guadicensi, *tom.* ***2*** *Bibliographiae criticae pag.* ***413.***

II. Propositum nobis non est, hanc controversiam universim expendere, ac funditus exhaurire : ab iis tamen abstinere nolumus, quae semel cognita, plurimum prodesse poterunt. Itaque praenotare iuvat primo, summum Pontificem Innocentium III opportuna adhibuisse remedia, ut modum imponeret divinarum Scripturarum versioni, cum earum in linguam Gallicam translatio Metis vulgata non leves in Dioecesi illa tumultus excitasset; quippe vernacula lectio in omnium etiam muliercularum manibus et ore versabatur. Consulenda in rem hanc memorati Pontificis *epistola* ***141,*** *lib.* ***2,*** *pag.* ***432*** *et* ***434,*** iuxta Baluzii Collectionem. Consulendus item Raynaldus ad *annum Christi* ***1199,*** *n.* ***27.*** Secundo, Clementem XI Praedecessorem nostrum, per celebrem Constitutionem *Unigenitus,* nonnullas propositiones, hac est 79 cum aliis pluribus, quae sequuntur, ideo proscripsisse, quod communem omnibus inducerent necessitatem legendi sacram Scripturam : quo semel posito, etiam ipsa Scripturarum in linguam cuique obviam translatio statuenda omnino esset. Errorem hunc Pontificia auctoritate confixum, alii etiam Catholici Scriptores impugnarunt : quos inter numerandi P. Iacobus Fontana Societatis Iesu, *tom.* ***3*** *Operis,* quod Romae prodiit anno 1721 contra Quesnelli propositiones ; P. Fulgentius Beltelli ex Ordine Eremitarum S. Augustini, *tom.* ***2,*** *Operis,* quod contra easdem Quesnelli propositiones scripsit, ac Romanis typis edidit anno 1737. P. Viva item Societatis Iesu, in suis lucubrationibus, quas adversus hunc ipsum errorem perfecit, ac evulgavit.

III. Nec defuere complures Episcopi, qui de ovium custodia soliciti, promiscuam sacrorum Bibliorum vulgari lingua lectionem per Synodales Constituitones e medio sublatam voluere. In Concilio Tolosano, habito anno 1229, atque ab Harduino in Conciliorum Collectione relato *tom.* ***7,*** *col.* ***178,*** cavetur *c.* ***14,*** ne laici libros reti-

néant veteris, aut novi Testamenti, exceptis Psalterio, et Breviario : mox vero additur : *Sed, ne praemissus libros habeant in vulgari translatos, arctissime inhibemus.* Pari oeconomia Concilium Provinciale Oxoniense anni 1408, *cit. tom.* ***8.*** Collectionis Harduini *col.* ***1491,*** ita statuit *c. 7. Periculosa res est, testante Beato Hieronymo, textum sacrae Scripturae de uno in aliud idioma transferre, eo quod in ipsis translationibus non de facili idem in omnibus sensus retinetur.* Dein prohibet, ne quispiam ullum Divinarum Scripturarum librum in Anglicum sermonem transferre praesumat; versionem a Viclefo institutam damnat; ac tandem decernit, nullas translationes recipi, nisi primum Concilii Provincialis decreto probentur. In novissimorum Conciliorum, quae in Gallus celebrata sunt, Collectione, a Ludovico Odespun concinnata occurrit Concilium Provinciale Bituricense, habitum anno 1584, in quo sub *tit.* ***4*** *de abusu Scripturarum tollendo,* haec decernuntur *can.* ***2.*** *Omnia Biblia sacra, et quivis alii libri de Fide et Religione, vernacula lingua scripti, respuantur, nisi quos Ecclesiae Catholicae, et Ordinarii auctoritas probaverit.* Eadem statuuntur in Concilio Hierosolymitano, an. 1672 a Patriarcha Dositheo adversus Calvinistas coacto, cuius Concilii Acta prostant in memorata Harduini Collectione *tom.* ***11,*** *col.* ***255*** *et* ***258.*** Adstipulantur alia item Concilia in Belgii provinciis habita, nimirum Cameracense, ac Mechliniense ; nec non Synodi Dioecesanae Brugensis, Yprensis, Gandavensis, Namurcensis, ac Leodiensis, quarum sanctiones promiscuam Divinorum librorum lectionem vulgari idiomate expressam proscribunt, ut testatur P. Fontana *cit. tom.* ***3,*** *pag.* ***593,*** *sub n.* ***4.***

IV. Haec tamen Conciliorum, et Synodorum decreta utilitati ac necessitati consentanea fuisse arbitramur, quod in provinciis, ac dioecesibus, in quibus promulgata fuerunt, iam inoleverit abusus promiscuae lectionis sacrorum librorum, in maternam linguam pro cuiusque

lectoris intelligentia captuque translatorum. At vero iis in locis, in quibus eiusmodi abusus nondum invectus est, minus provido consilio fortasse uterentur Episcopi, qui vetitam lectionem insectarentur, ac propositis poenis interdicerent. Ea quippe hominum conditio est, ut nitantur in vetitum, ac, statuto semel interdicto, perniciosa quadam cupidine illecti, quod prohibitum audiunt, curiosius inquirant; atque hac una de causa vetantem legem infringant, ut, quod legis iussu inconcessum norunt, introspiciant. S. Carolus Borromaeus, prudentia, ac vigili cura vere magnus, in primo Mediolanensi Concilio, cui praefuit anno 1565, hanc legem servandam decrevit : *Ut Episcopi regulas Indicis de libris vetitis ab iis qui illi negotio a sacrosancta Tridentina Synodo praefecti fuerunt, ex auctoritate Sanctissimi Domini nostri Pii IV editas, ab omnibus librorum impressoribus, ac bibliopolis, ceterisque omnibus laicis et Ecclesiasticis personis servari iubeant.* Quarta autem Indicis regula, iussu Tridentini Concilii statuta, et Pii IV Pontificis auctoritate firmata, haec circa vernacula sacrorum librorum lectionem servanda praecipit: *Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis, oriri; hac in parte iudicio Episcopi, aut inquisitoris stetur, ut cum consilio Parochi, vel Confessarii, Bibliorum a Catholicis Auctoribus versorum lectionem vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex huiusmodi lectione, non damnum, sed fidei et pietatis augmentum capere posse; quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque tali facultate ea legere, seu habere praesumpserit, nisi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit.*

V. Quia vero insequentibus annis experientia docuit, Episcopos, et Inquisitores, quorum iudicio vernacula sa-

crorum librorum lectio concedi poterat, vel denegari, indigentiores hac in re se praebuisse; immo vero ipsos etiam Regularium Praesides eamdem, quae Episcopis, et Inquisitoribus concessa fuerat, auctoritatem sibi arrogasse : hinc quartae Indicis regulae haec, quae sequuntur, iussu Clementis VIII fuere superaddita: *Animadvertendum est circa supradictam quartam regulam Indicis fel. record. Pii Papae IV nullam per hanc impressionem et editionem de novo tribui facultatem Episcopis, vel Inquisitoribus, aut Regularium Superioribus, concedendi licentiam emendi, legendi, aut retinendi Biblia vulgari lingua edita, cum hactenus mandato, et usu Sanctae Romanae et universalis Inquisitionis sublata eis fuerit facultas concedendi huiusmodi licentias legendi, vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias sacrae Scripturae tam novi, quam veteris Testamenti partes, quavis vulgari lingua edita, ac insuper summaria, et compendia etiam historica eorumdem Bibliorum, seu librorum sacrae Scripturae, quocumque vulgari idiomate conscripta, quod quidem inviolate servandum est.*

VI. Itaque, ut rem confidamus, ubi nullus quoad vernaculam sacrarum Scripturarum lectionem abusus irrepsit, aut sileant Episcopi, aut solum quartae Indicis regulae urgeant complementum. Ubi vero abusus semel innotuit, etiam Synodali decreto radicitus evellatur. Concilium Tridentinum *sess.* ***22,*** *de Sacrificio Missae, cap. 8,* declarat, non expedire, ut vulgari idiomate Missae Sacrificium offeratur. Ubi vero, nullo contradicente, lex ita servatur, superfluum plane est, hac de re in Synodis sermonem instituere. At contra, si forte paulatim inserenda timeatur prava consuetudo celebrandi Missam novo quopiam idiomate, quod Ecclesia nondum probaverit; Episcoporum intererit non solum Synodali decreto contra abusum illum totis obniti viribus, sed etiam ab Apostolica Sede, consilium, ac praesidium quaerere, ut ingruenti

malo validiores occurrant. In Ecclesiastica historia notum satis est duorum Monachorum Cyrilli et Methodii, quorum uterque sanctitatis fama decoratur, exemplum. Cum enim, post evulgatum in Moraviae regionibus Evangelium, potestatem Sacerdotibus tradidissent, ut Missae Sacrificium Sclavonico sermone perficerent, iudicium subiere Ioannis VIII, Summi Pontificis, qui ab iis gesta, Apostolica auctoritate firmavit. Universam rei seriem in *Tractatu de Sacrificio Missae sect.* **2, §** *79 et seq.* fusiori stylo explicavimus. Hunc igitur locum, ne futili labore eadem repetamus, lectores consulant.

DOCUMENTUM SEPTIMUM.

BREVE AD R. P. D. MARTINI ARCHIEPISCOPUM FLORENTINUM QUOAD S. SCRIPTURAE VERSIONEM.

PIUS PP. VI

Dilecte fili, salutem, et Apostolicam Benedictionem. In tanta librorum colluvie, qui Catholicam Religionem teterrime oppugnant, et tanta cum animarum pernicie per manus etiam imperitorum circumferuntur, optime sentis, si Christi fideles ad lectionem divinarum literarum magnopere excitandos existimas. Illi enim sunt fontes uberrimi, qui cuique patere debent ad hauriendam et morum et doctrinae sanctitatem, depulsis erroribus, qui his corruptis temporibus late disseminantur. Quod abs te opportune factum affirmas, cum easdem divinas literas ad captum cuiusque vernáculo sermone redditas in lucem emisisti; praesertim cum profitearis, et prae te feras, eas addidisse animadversiones, quae a sanctissimis Patribus repetitae quodvis abusus periculum amoveant. In quo a Congregationis Indicis legibus non recessisti,

neque ab ea constitutione, quam in hanc rem edidit Benedictus XIV, immortalis Pontifex, quem Nos et in Pontificatu praedecessorem, et cum in eius familiam feliciter olim adsciti fuerimus, ecclesiasticae eruditionis Magistrum optimum habuisse gloriamur. Tuam igitur non ignotam doctrinam cum eximia pietate coniunctam collaudamus, et tibi de hisce libris, quos ad nos transmittendos curasti, gratias, quas debemus, agimus, illos etiam,, si quando possimus, cursim perlecturi. Interim Pontificiae benevolentiae testem accipe Apostolicam benedictionem, quam tibi, dilecte fili, peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, xvi *Kalendas* aprilis MDccLxxvm, Pontificatus nostri anni iv.

Philippus Bonamicius
ab Epistolis latinis Sanctitatis Suae.

DOCUMENTUM OCTAVUM.

I.

VENERABILI FRATRI IG-NATIO ARCHIEPISCOPO GNESNENSI.

Varsaviani.

Venerabilis Frater etc. Postremis litteris nostris polliciti sumus tibi responsum daturos quamprimum tuis in quibus ad hanc Sanctam Sedem, nomine etiam caeterorum Poloniae episcoporum, de Societatibus quae vocant biblicis retulisti, et quid hac in re agere deberetis a nobis studiose postulasti. Nos quidem multo ante id facere voluissemus; sed incredibilis curarum undique succrescentem multitudo effecit ut usque ad hanc diem petitioni tuae satisfacere non potuerimus.

Horruimus sane vaferrimum inventum quo vel ipsa religionis fundamenta labefactantur, adhibitisque in consilium pro rei gravitate VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus

quaenam pontificiae nostrae auctoritatis remedia ad eam pestem quoad fieri possit curandam delendamque opportuniora futura sint, omni adhibito studio et sollicitudine deliberavimus. Interea gratulamur tibi venerabilis frater, teque ut par est etiam atque etiam in Domino commendamus, quod in tanto rei christianae discrimine singularem zelum exserueris, eamque fidei labem gravissimumque animarum periculum Sedi huic apostolicae denunciaveris. Et quamquam minime necesse esse videamus festinanti stimulos admovere, cum tua iam sponte exarseris ad impías novatorum machinationes detegendas et oppugnandas, pro nostro tamen munere te etiam atque etiam hortamur, ut quantum eniti viribus, consilio providere et auctoritate possis efficere, praestes in dies intensissime, opponens te murum pro domo Israel. In hunc finem has ad te litteras damus, ut nimirum insigni testimonio commendemus tuos istos praeclaros conatus, et studeamus tamen tuam in id pastoralem sollicitudinem solertiamque magis magisque concitare. Interest quippe summopere communis salutis omni ope et opera conspirare ad ea propulsanda quae in sanctissimae religionis nostrae perniciem ab eius hostibus parantur; et proinde episcopalis muneris est nefarii in primis consilii malitiam ob oculos, quod iam egregie praestas, fidelium ponere, illudque ex ecclesiae praescriptionibus pro ea qua polies eruditione et sapientia edicere; *Biblia nimirum opera haereticorum impressa vetitis libris accenseri* iuxta Indicis regulas (§ 1, n. 3) : *experimento autem manifestum esse, e Sacris Scripturis quae vulgari lingua edantur plus detrimenti quam utilitatis oriri ob hominum temeritatem* (Reg. IV) : idque eo magis pertimescendum esse in tanta temporum foeditate, quibus omni undique arte et conatu sancta impetitur religio et teterrima in Ecclesiam vulnera infliguntur. Standum igitur est salutari decreto Congregationis Indicis (13 iunii 1757) Bibliorum versiones vul-

gari lingua non esse permittendas, nisi quae fuerint ab Apostolica Sede approbatae aut cum adnotationibus editae desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus.

Speramus sane avitae religionis argumenta in hisce etiam turbidis rebus Polonos praebituros fore luculentissima; idque tua cum primis opera ac caeterorum huiusce regni antistitum quos mirifice pro fidei deposito conniti congratulamur in Domino, confidentes universos susceptam de iis opinionem cumulatissime fore expleturos.

Necesse est autem ut quamprimum mittas Biblia quae commentariis subiectis edidit polonica lingua Iacobus Wickius recentemque ipsorum editionem, quae sublatis adnotationibus quae ex sanctis Ecclesiae Patribus vel ex doctis catholicis viris desumptae erant, in vulgus prodiit; et quid de ea sentias proponas, ut ita ex ipsorum collatione ac re mature perpensa dignoscatur quinam errores insidiose ibidem obtegantur, et nostrum demum iudicium ad rectae fidei incolumitatem pronunciemus.

Perge ergo, venerabilis frater, tenere viam sanctissimam quam instituisti, praeliari videlicet assidue praelia Domini in doctrina sana, populosque tibi concreditos monere ne in laqueos incidant, qui sibi in perennem ruinam parati sunt. Id a te atque a ceteris istis Episcopis, quos etiam nostra haec spectat epistola, praestolatur Ecclesia, id nos expetimus studiosissime, qui conceptum ex novo genere zizaniorum quae inimicus homo superseminat moerorem iucundissima hac spe levari quodammodo sentimus, ac maiora semper tibi ipsisque coepiscopis in dominici gregis bonum charismata apostolica benedictione quam tibi illisque impertimur, adprecamur ex corde.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem die iv iunii anni MDCCCXVI, pontificatus Nostri anno XVII.

NOTA. - Cum daretur haec epistola, dioecesis Posnaniensis nondum erat erecta in metropolim, nec Gnesnensi unita: quod paulo post effectum fuit.

II.

VENERABILI FRATRI STANISLAO ARCHIEPISCOPO MOHILOVIENSI.

Venerabilis Frater salutem etc. Magno et acerbo dolore confecti sumus ubi accepimus exitiosum consilium, haud ita primum susceptum, quo sacratissimi Bibliorum libri novis ac praeter saluberrimas Ecclesiae regulas editis interpretationibus, iisque callide in pravos sensus contortis vernacula qualibet lingua passim pervulgantur. Namque ab aliqua iam ex perlatis ad nos huiusmodi versionibus animadvertimus eam in purioris doctrinae sanctitatem parari perniciem ut facile fideles ex iis fontibus lethale ebibant venenum ex quibus haurire debuissent aquas sapientiae salutaris. Ast longe etiam gravior nos moeror invasit, cum litteras quasdam fraternitatis tuae nomine inscriptas perlegimus quibus populo tuae curae concredito hortatur aderas et auctor ut recentiores hasce Bibliorum versiones sibi compararet vel oblatas animo reciperet Iubenti, easque assiduo intentoque studio pervolutaret. Nihil certo nobis ad dolorem acerbius accidere poterat, quam te conspicere lapidem factum offensionis, qui positus eras ut iustitiae semitas caeteris commonstrares.

Ob versari enim tibi debuisset ante oculos quod constanter et praedecessores Nostri monuerunt, nimirum, *si sacra Biblia vulgari lingua passim, sine discrimine permittantur, plus inde detrimenti quam utilitatis oriri.* Porro Romana Ecclesia solam vulgatam editionem ex notissimo Tridentini Concilii praescripto suscipiens, aliarum linguarum versiones respuit, easque tantum permittit quae cum adnotationibus ex Patrum et catholicorum doctorum scriptis opportune depromptis eduntur, ne tantus thesaurus pateat novitatum corruptelis, atque ut Ecclesia toto

orbe diffusa sit labii unius et sermonum eorumdem. (Addition, ad reg. IV Indicis).

Sane cum in vernáculo sermone creberrimas animadvertamus vicissitudines, varietates commutationesque, profecto ex immoderata biblicarum versionum licentia immutabilitas illa convelleretur, quae divina decet testimonia, et fides ipsa nutaret, cum praesertim ex unius syllabae ratione quandoque de dogmatis veritate dignoscatur. In id proinde pravas teterrimasque machinationes suas conferre in more habuerunt haeretici, ut editis vernaculis Bibliis (de quorum tamen mira varietate ac discrepantia ipsi se invicem accusant et carpunt) suos quisque errores sanction divini eloquii apparatu obvolutos per insidias obtruderent. *Non enim natae sunt haereses,* inquiebat S. Augustinus, *nisi dum Scripturae bonae intelliguntur non bene, et quod in eis non bene intelligitur etiam temere et audacter asseritur.* (Tr. 18 in Ioan. 1. 1). Quod si viros pietate et sapientia spectatissimos in Scripturarum interpretatione haud raro defecisse dolemus, quid non timendum, si imperito vulgo, qui ut plurimum non delectu aliquo sed temeritate quadam iudicat, translatae in vulgarem quamcumque linguam Scripturae libere persolvendam traderentur ? « Itane vero? - apposite clamat S. Augustinus - nulla imbutus poetica disciplina Terentium sine magistro attingere non auderes... Tu vero in sanctos libros sine duce irruis, et de his sine praeceptore audes ferre sententiam? » (Lib. de utilitate credendi ad Honorat. C. 2).

Quare in celebri illa sua ad fideles ecclesiae Metensis epistola sapienter omnino haec praecipit decessor noster Innocentius III « Arcana vero fidei sacramenta non sunt passim omnibus exponenda, cum non passim ab omnibus possint intelligi, sed ab eis tantum qui ea fideli possunt concipere intellectu. Propter quod simplicioribus, inquit Apostolus, *quasi parvulis in Christo lac potum dedi vobis*

non escam. Maiorum enim est solidus cibus, sicut aliis ipse dicebat : *Sapientiam loquimur inter perfectos; inter vos autem nihil iudicavi me scire, nisi Iesum Christum et hunc crucifixum.* Tanta est enim divinae Scripturae profunditas, ut non solum simplices et illitterati sed etiam prudentes et docti non plene sufficiant ad illius intelligentiam indagandam. Propter quod dicit Scriptura : Quia multi defecerunt scrutantes scrutinio. Unde recte fuit olim in lege divina statutum, ut bestia quae montem tetigisset lapidaretur, ne videlicet simplex aliquis et indoctus praesumat ad sublimitatem Sacrae Scripturae pertingere vel eam aliis praedicare. Scriptum est enim: *Altiora te ne quaesieris.* Propter quod dicit Apostolus : *non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* ». At notissimas sunt non solum mox laudati Innocentii III,, sed et Pii IV, Clementis VIII et Benedicti XIV Constitutiones, quibus praecavebatur ne si ad liquidum cunctis pateret Scriptura forte vilesceret et pateret despectui, aut prave intellecta a mediocribus, in errorem induceret. Sed quae sit ecclesiae mens de Scripturae lectione atque interpretatione noscat luculentissime fraternitas tua ex praeclara alterius praedecessoris nostri Clementis XI Constitutione *Unigenitus,* qua illae doctrinae diserte improbantur, quibus *utile ac necessarium asserebatur omni tempore omni loco et omni personarum generi cognoscere mysteria Sacrae Scripturae, cuius lectio esse pro omnibus* adstruebatur, *damnosumque esse christianum populum ab eadem retrahere, imo Christi os fidelibus obturari, cum ex ipsorum manibus novum Testamentum abripiatur.* (Prop. Quesnelli 79, 80, 81, 82, 83, 84, 85).

Quod vero maioris etiam doloris nobis causam praebuit illud est quod eousque progressus es, ut Tridentini Concilii de canonicis Scripturis decretum exscribens ea abscinderes quae eodem contextu de traditionibus sanciuntur. Cum enim SSmi illi Patres aperte dicant, verbum

Dei contineri non solum in libris scriptis, sed in certissimis insuper Ecclesiae traditionibus *cum ad fidem tum ad mores pertinentibus, quas sacrosancta Synodus tamquam vel oretenus a Christo vel a Spiritu Sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia catholica conservatas pari pietatis affectu acreverentia suscipit ac veneratur;* tu, venerabilis frater, hunc locum penitus detruncare non reformidasti. Quo pariter artificio litteras Pii VI praedecessoris nostri ad Martinium florentinum Archiepiscopum a te relatas fuisse cernimus. Cum enim sapientissimus ille Pontifex concinnatam ab eo praesule Sacrae Scripturae versionem hoc ipso laudet quod regulis a S. Indicis Congregatione atque RR. PP. praescriptis accurate sancteque servatis, expositionibus ac explicationibus ex traditione depromptis versionem illam abunde ditaverit; tu litterarum eam partem in qua haec referuntur suppressisti, atque ita non modo iustissimam suspicionem de tua hac super re sentiendi ratione excitasti, verum etiam non integre tum sanctae Synodi, tum laudati praedecessoris nostri relato textu, in re tam magni momenti aliis errandi causam praebuisti. Quid enim aliud mutuationes illae significant, venerabilis frater, nisi te aut circa sanctissimas Ecclesiae traditiones non recte sentire, aut ad eum finem loca illa a te fuisse abrasa quo novatorum machinationibus faveres, quae certe eo tendunt ut legentium fides decipiatur, tranquilloque animo vel ipsi vulgares homines eas perlegant versiones, quae ut supra ostendimus multo magis obesse eis possunt quam prodesse ?

Porro haec omnia si cuilibet catholico viro minime licuissent, quid dicendum erit de sacro Ecclesiae antistite, quem pastoralis dignitas custodem facit depositi fidei atque doctrinae, quique ipsa vi ac religione praestiti iuramenti stricte tenetur et errandi pericula a populo suo strenue seduloque summovere, et Ecclesiae leges ac regulas servare ac tueri ?

Vides igitur, venerabilis frater, quae nostra esse deberet tecum agendi ratio, si canonicarum legum severitatem sequi vellemus. Etenim *erranti consentit,* inquiebat S.Thomas Cantuariensis, *qui ad resecanda quae corrigi debent non occurrit... nec caret suspicione societatis occultae, qui evidenti facinori desinit obviare.* (Ep. ad Episcopos prov. Cant. apud Harduin. T. 6).

Nos vero, qua sumus in te charitate, ei rei tantum insistimus, a qua cum iuris divini sit, tibi iniungenda abstinere non possumus, nempe ut scandalum quod ista tua agendi ratione praebuisti de medio tollas.

Hinc impensissime fraternitatem tuam hortamur atque per viscera D. N. **I.** C. obsecramus, ut ea omnia quaeperperam circa novas Bibliorum versiones docuisti aut egisti debita celerique contendas emendatione reparare. Atque utinam, venerabilis frater, clarissimorum virorum exempla aemulatus quae tantum ipsis honorem attulerunt in animum induceres, ut acta illa tua formali solemnique retractatione reprobares! Non possumus tamen, quin te excitemus, et in virtute sanctae obedientiae etiam tibi praecipiamus, ut id saltem praestes quod ad puritatem doctrinae et fidei integritatem tutandam necessarium est, nimirum ut novis ad populum datis litteris integre allato tum decreti Concilii Tridentini, tum Pii VI in hanc rem epistolae textu sincere et perspicue doceas veritatem, et doctrinam christianam tum dogmaticam tum moralem non solum in Scripturis sed etiam in Ecclesiae catholicae traditionibus contineri, atque ad Ecclesiam ipsam unice spectare utrasque interpretari : declares insuper non eas tibi in animo fuisse sacrorum librorum in vernaculas linguas versiones commendare, quae ad canonum et constitutionum apostolicarum praescripta exactae non essent : denique, notum facias ac pariter declares, te in earumdem divinarum Scripturarum lectione suadenda et inculcanda non quoslibet indiscriminatim fideles, sed ecclesiasticos

viros respexisse, aut etiam laicos, qui tamen Pastorum iudicio satis instructi essent.

Quae-sane omnia si perfeceris ut in Domino confidimus et a prudenti docilique animo tuo nobis certissime pollicemur, magnam cordi Nostro atque universae etiam Ecclesiae afferes consolationem. Hac spe ipsi freti tibi, venerabilis frater, et gregi tuae curae commisso apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem die III septembris MDCCCXVI Pontificatus Nostri anno XVII.

NOTA. - Metropolita Mohiloviensis, Siestrzencewicz, ad quem data fuit haec epistola utrum aliquid praestiterit eorum quae iussa fuere, nos plane latet. Sed valde dubitamus: erat enim pessimus homo, lupus in veste pastoris, qui per quinquaginta et amplius annos catholicam utriusque ritus ecclesiam sub schismatico Moschorum imperio gementem oppressit et depopulatus est. De eo Augustinus Theinerus (in op. *Vicende,* etc.) et eques Artandius (in *Vita Leonis Papae XII)* infanda retulerunt. Magis aequum, prae isto indignissimo praesule, rei catholicae sese praebuit autocrator, Alexander primus, qui tanti fecit R. P. vocem, ut iusserit Breve hoc in linguam russiacam conversum inseri in omnibus publicis ephemeridibus imperii sui, et biblicae societatis actores statim ab omni Moschorum ditione expulerit.

III.

LETTERA DELLA S. C. DI PROPAGANDA FIDE AI VICARII APOSTOLICI DELLA PERSIA E DELL'ARMENIA E DI ALTRI PAESI DI ORIENTE IN DATA DEI 3 AGOSTO 1816.

Il Sacerdote Leopoldo Sebastiani romano, che fu già spedito da questa S. C. di Propaganda in qualità di prefetto delle missioni nella Persia ed in appresso per giusti motivi richiamato, ha dato avviso di aver tradotto dal greco in persiano la prima parte del nuovo Testamento, e che tal versione per ordine espresso della università inglese dell'Indie si è a pubbliche spese stampata, rilevando essere stata così bene accolta, che in meno di due mesi se ne sono spacciati tra i soli maomettani 1200 esemplari. Si è fatto poi ardito di dirigere questa sua opera anche

alla Santità di N. S. Papa Pio VIT, ed ha manifestato il disegno di volere stampare la seconda parte del nuovo Testamento tradotto in lingua persiana che afferma di aver quasi condotto a fine.

In tal fatto il medesimo Sebastiani è tanto più riprensibile per essere entrato in società cogli eretici e aver secondati i loro fraudolenti disegni in materia così importante, quantochè essendo egli sacerdote romano e già impiegato della Propaganda, doveva più d'Ogni altro rispettare le regole dell'Indice e guardarsi dal violare le proibizioniJn tal genere emanate dalla Santa Sede.

Si trova altresì riprensibile, che abbia egli fatta la sua versione persiana sul testo greco e non su quello della Volgata che è l'autentico per la chiesa latina, alla quale egli appartiene ed appartengono i fedeli di quelle missioni che gli erano state añídate.

In particolare poi^si deve giudicare temeraria la libertà che si è presa d'inserire nel primo capo dell'evangelio di S. Matteo il nome di *Ioachim,* quantunque egli dica che lo ha fatto per evitare un grande scandalo ; giacché trattandosi della parola di Dio non è lecito di aggiungervi nè togliervi neppure una sillaba, secondo ciò che si legge nell'Apocalisse cap. 22, v. 18 : *Si quis apposuerit ad haec apponet Deus super illum, plagas scriptas in libro isto.* La ragione poi che apporta di questa sua interpolazione, per evitare cioè un grave scandalo, è ancor peggiore della stessa interpolazione, quasiché dallo scrittore divino o piuttosto dallo Spirito Santo non siasi preveduto o voluto evitare un grave scandalo. Oltre di che la libertà ch'egli ha ardito di prendersi in questo luogo dove troppo facilmente poteva essere scoperto, dà fondamento a temere che si sia arrogata la medesima libertà di aggiungere, togliere e cambiare in altri luoghi. Anzi ciò si può facilmente congetturare, sì dall'accoglienza de'maomettani che dal favore accordatogli dalla così detta *Società*

biblica colla quale sembra egli di essere in comunicazione. Poiché non è presumibile che fosse così bene accolto se non si fosse adattato ad eseguire le regole fondamentali della medesima società, quale è quella principalmente di prescindere nelle versioni da tutto ciò che forma materia di controversia fra le diverse comunioni cristiane e che distingue da tutte le false sette la religione cattolica apostolica romana.

Per le quali cose si è determinato di rimettere tale traduzione del Sebastiani a persone perfettamente perite della lingua persiana per istituirne un maturo esame e venirne poi alla condanna con tutto il fondamento. Ma siccome questo esame esige molto tempo, per arrestare frattanto il progresso dell'errore, la Sacra Congregazione stima di prevenire V. S e gli altri Vicarii apostolici e Prefetti di codeste missioni della Persia, dell'Armenia e di altre parti, affinchè usino il loro zelo nel distorre i fedeli dal ritenere e leggere siffatte nuove traduzioni nelle rispettive lingue che si vanno spargendo dalla Società biblica, e specialmente questa del Sebastiani che potrebbe prendere tanto maggior credito, quantochè ne è autore un soggetto già impiegato della Propaganda.

Si ingiunge inoltre a V. S. d'informare con sollecitudine su quest'oggetto la medesima Sacra Congregazione, di aggiungere il suo giudizio ragionato su questa ed altre versioni che si spargessero, e suggerire i mezzi i quali si credessero più opportuni per impedire i progressi in codeste parti delle Società bibliche.

Tanto su tal particolare debbo a V. S. significare, e in attenzione de' suoi riscontri prego il Signore che le conceda ogni vero contento.

III. *(Versio praecedentis).*

LITTERAE S. G. DE PROPAGANDA FIDE AD VICARIOS APOSTOLICOS PERSIAE ET ARMENIAE ALIARUMQUE ORIENTIS REGIONUM DATAE DIE 3 AUGUSTI 1816.

Sacerdos Leopoldus Sebastiani romanus, qui iam ab hac S. C. de Fide Propaganda ceu Missionum Praefectus in Persiani missus fuit, deindeque iustis de causis revocatus, notum fecit sese e graeco idiomate in persicum vertisse primam Novi Testamenti partem, versionemque eiusmodi, expresso Universitatis Britannicae Indiarum iussu, editam aere publico fuisse; eamque innuit tanto favore esse acceptam, ut infra duorum mensium spatium, apud maometanos tantum, 1200 exemplaria divendita fuerint. Ausus insuper est Sanctitati quoque **D.** N. Pii 1'apae VII hoc suum opus transmittere, consiliumque patefecit secundam eiusdem Testamenti partem in persicum idioma conversam evulgandi, quam paene ad terminum perductam affirmat.

In quo facto idem Sebastiani, quum societatem cum haereticis inierit, eorumque fraudulentis consiliis in re tanti momenti induisent, eo reprehensibilior est, quod, Sacerdos romanus quum sit et S. Congregationis de Propaganda Fide olim Officialis, debuisset prae quovis alio regulas Indicis revereri, seque a violandis interdictis hac super re a S. Sede editis abstinere.

Reprehensione pariter dignus est habendus, quod suam perfecerit versionem ex graeco non autem ex textu Vulgatae, qui authenticus est pro Ecclesia Latina, ad quam tum ipse, tum fideles illarum Missionum, quae eidem concreditae fuerant, pertinent.

Speciatim vero temeraria censenda est, quam sibi assumpsit, libertas inserendi nomen *Ioachim* in primo Evangelii S. Matthaei capite; quamvis dictitet ingentis

scandali vitandi causa sese id effecisse : nam quum de Verbo Dei agatur ne syllabam quidem vel adiicere vel auferre licet iuxta illud Apocalypsis Gap. 22, v. 18 : *Si quis apposuerit ad haec, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.* Quam vero affert huiusce interpolationis rationem, ingens scilicet scandalum vitandum, interpolatione ipsa deterior est, ac si divinus interpres seu potius Spiritus Sanctus grave scandalum non praevident, aut vitare illud non voluerit. Libertas praeterea, quam arrogare sibi ausus est hoc in loco, ubi id facile nimis detegi poterat, argumentum praebet pertimescendi, ne eandem quoque sibi sumpserit adiiciendi, auferendi et variandi aliis in locis. Quinimo id facile argui potest tum ex benigno vultu quo a maometanis exceptus est, tum ex favore quo eum prosequuta est *Societas,* uti aiunt, *biblica,* quacum videtur ipse communicare. Haud enim praesumi potest tanta illum humanitate exceptum umquam fuisse, nisi ad implendas fundamentales eiusdem Societatis regulas sese accommodasset, quarum ea praecipua est ut in versionibus omnino praescindatur ab eo quod controversiae obiectum constituit inter diversas communiones christianas, quodque a reliquis falsis sectis religionem catholicam apostolicam romanam distinguit.

Quamobrem statutum est, ut versio istaec eiusdem Sebastiani tradatur personis, quae persicum callent idioma, ad maturum de ea examen instituendum, ut rationabilis postea eiusdem condemnatio queat prodire. At quum examen istud longum expetat tempus, ut erroris interim progressus praepediatur, visum est S. Congregationi Amplitudinem Tuam, aliosque Vicarios Apostolicos et Praefectos istarum "Missionum Persiae, Armeniae aliarumque partium praemonere, ut suum quisque zelum impendat ad fideles arcendos a retinendis vel legendis novis hisce in proprias linguas versionibus, quas biblica effundit Societas, et ab hac praesertim sacerdotis Sebastiani,

quae eo maiorem aucupari posset auctoritatem, quod auctorem habeat quondam Officialem S. Congregationis christiano nomini propagando

Praecipitur insuper Amplitudini Tuae, ut magna sollicitudine Sacram hanc Congregationem hac de re eductam velis, ut tuam de hac deque aliis, quae forte evulgentur, versionibus sententiam dicas, utque media suggeras, quae aptiora videantur ad biblicarum Societatum in hisce regionibus progressus praepediendos.

Haec habui Amplitudini Tuae hac de re significanda, tuaque expectans responsa, fausta omnia tibi a Domino adprecor.

NOTA. - Utrum de persica N. T. versione ab Sebastianio adornata iudicium aliquod postea prolatum fuerit, nos plane latet. Illud certum est nomen *Ioachim* (MATTH., 1,11) eodem plane reprobando ausu ab ipso insertum fuisse etiam in versione latina, quam ex textu graeco non melioribus auspiciis confectam edidit Londini a. 1817. Idem obiit Romae, die 5 sept. 1843.

DOCUMENTUM NONUM.

EX EPISTOLA ENCYCLÍCA LEONIS PP. XII DIEI V MAII MDCCCXXIV QUAE INCIPIT « UBI PRIMUM ».

Quid plura ? Hostium nostrorum iniquitas eo usque progreditur, ut praeter colluviem perniciosorum librorum religioni per se infestam, in religionis detrimentum vertere nitantur etiam sacras Literas ad religionis ipsius aedificationem divinitus nobis datas. Non vos latet, venerabiles fratres, Societatem quandam, dictam vulgo *biblicam,* per totum orbem audacter vagari, quae spretis sanctorum Patrum traditionibus, et contra notissimum *Tridentini Concilii* decretum, in id collatis viribus ac modis omnibus intendit, ut in vulgares linguas nationum omnium sacra vertantur vel potius pervertantur Biblia. Ex quo valde pertimescendum est, ne sicut in aliquibus iam notis ita

et in caeteris « interpretatione perversa de evangelio Christi, hominis fiat evangelium, aut, quod peius est, diaboli » (Hieron. in cap. I, ep. ad Gal.). Ad quam pestem avertendam praedecessores nostri plures ediderant constitutiones; et extremis diebus sanctae recordationis Pius VII duo dedit Brevia, alterum Ignatio archiepiscopo Gnesnensi, alterum Stanislao archiepiscopo Mohiloviensi, in quibus multa ex divinis litteris et ex traditione accurate ac sapienter excerpta inveniuntur, ut ostendatur quantopere fidei et moribus vaferrimum hoc inventum noxium sit.

Nos quoque pro apostolico nostro munere hortamur vos, venerabiles fratres, ut gregem vestrum a lethiferis hisce pascuis amovere omnimode satagatis. Arguite, obsécrate, instate opportune importune in omni patientia et doctrina ut fideles vestri regulis nostrae Indicis Congregationis adamussim inhaerentes sibi persuadeant, « si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti quam utilitatis oriri ». Quam veritatem et experientia commonstrat, et praeter caeteros patres declaravit S. Augustinus his verbis : « Non enim natae sunt haereses et quaedam dogmata perversitatis illaqueantia animas et in profundum praecipitantia, nisi dum Scripturae bonae intelliguntur non bene, et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur » (Tr. 18, in cap. 5, Ioh.).

En, venerabiles fratres, quo haec spectat Societas, quae insuper ut impii voti fiat compos nil intentatum relinquit. Non enim tantummodo versiones suas typis edere, verum etiam per omnes urbes cursitando in vulgus per se spargere sibi plaudit; quin imo ut alliciat simplicium animos qua venditare curat, qua dono dare insidiosa liberalitate gestit, etc.

DOCUMENTUM DECIMUM.

GREGORII XVI

EPISTOLA ENCYCLICA AD OMNES PATRIARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS

VENERABILES FRATRES SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

1. Inter praecipuas machinationes, quibus nostra hac aetate acatholici diversorum nominum insidiari cultoribus catholicae veritatis, eorumque amicos a sanctitate fidei avertere connituntur, haud ultimum tenent locum societates biblicae, quas in Anglia primum institutas, ac longe hinc lateque diffusas, facto veluti agmine in id conspirare conspicimus, ut divinarum Scripturarum libros vulgaribus quibusque linguis interpretatus permagno edant exemplarium numero, eosque inter christianos iuxta atque infideles nullo delectu disseminent, et horum quemlibet ad illos nullo duce legendos alliciant. Ita igitur, quod suo iam tempore lamentabatur Hieronymus [1], et *garrulae anni,* et *deliro seni,* et *sophistae verboso,* et *universis,* si modo legere norint, cuiusque conditionis hominibus, communem faciunt artem Scripturarum sine magistro intelligendarum : imo quod longe absurdissimum, peneque inauditum est, ne ipsas quidem infidelium plebes ab eiusmodi intelligentiae communione excludunt.

2. Sed vos quidem minime latet, venerabiles fratres, quorsum haec societatum earumdem molimina; pertineant. Probe enim nostis consignatum in sacris ipsis literis monitum Petri Apostolorum principis qui post laudatas Pauli epistolas, esse ait in illis *quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et*

[1] Epist, *ad Paulinum,* § 7, quae est epistola LIII, tom. I, op. S. HIERON., edit. Vallarsii.

ceteras Scripturas, ad suam ipsarum perditionem: statimque adiicit: *vos igitur fratres, praescienter custodite; ne insipientium errore traducti excidatis a propria firmitate* [1]. Hinc et perspectum vobis est vel a prima christiani nominis aetate hanc fuisse propriam haereticorum artem, ut repudiato verbo Dei tradito, et Ecclesiae catholicae auctoritate reiecta, Scripturas aut *manu* interpolarent, aut *sensus expositione* interverterent [2]. Nec denique ignoratis, quanta vel diligentia, vel sapientia opus sit ad transferenda fideliter in aliam linguam eloquia Domini; ut nihil proinde facilius contingat quam ut in eorumdem versionibus per societates biblicas multiplicatis gravissimi ex tot interpretum vel imprudentia, vel fraude inserantur errores; quos ipsa porro illarum multitudo et varietas diu occultat in perniciem multorum. Ipsarum tamen societatum parum aut nihil omnino interest, si homines biblia illa vulgaribus sermonibus interpretata lecturi in alios potius quam alios errores dilabantur; dummodo assuescant paullatim ad liberum de Scripturarum sensu iudicium sibimetipsis vindicandum, atque ad contemnendas traditiones divinas ex Patrum doctrina in Ecclesia catholica custoditas, ipsumque Ecclesiae magisterium repudiandum.

3. Hunc in fidem biblici iidem socii Ecclesiam sanctamque hanc Petri Sedem calumniari non cessant, quasi a pluribus iam saeculis fidelem populum a sacrarum Scripturarum cognitione arcere conetur; quum tamen plurima extent eademque luculentissima documenta singularis studii, quo recentioribus ipsis temporibus summi Pontifices, ceterique illorum ductu catholici antistites usi sunt, ut catholicorum gentes ad Dei eloquia scripta et tradita impensius erudirentur. Quo in primis pertinent decreta Tridentinae Synodi, quibus nedum Episcopis man-

[1] **II PETBI, III,** 16, **17.**

[2] **TERTULLIANUS**, lib. De ***praescriptionibus adversus haereticos,*** cap. 38.

datum est, ut *sacras Scripturas divinamque Legem* frequentius per dioecesim annuntiandam curarent \ sed ampliata insuper Lateranensis Concilii[2] institutione, provisum, ut in singulis ecclesiis seu cathedralibus seu collegiatis urbium insigniorumque oppidorum non deesset theologalis praebenda, eademque conferretur omnino personis idoneis sacrae Scripturae exponendae et interpretandae[3]. De ipsa postmodum theologali praebenda ad Tridentinae illius sanctionis normam constituenda, et de lectionibus a canonico theologo ad clerum, atque etiam ad populum publice habendis actum est in plurimis Synodis provincialibus[4], necnon in Romano Concilio anni 1725[5] in quod Benedictus XIII fel. rec. praedecessor noster nedum sacros antistites Romanae provinciae, sed plures etiam ex Archiepiscopis,Episcopis, ceterisque locorum Ordinariis Sanctae huic Sedi nullo medio subditis convocaverat.[6]. Idem praeterea summus Pontifex eumdem in finem nonnulla constituit in Apostolicis litteris, quas pro Italia nominatim insulisque adiacentibus dedit[7]. Vobis denique, venerabiles fratres, qui de conditione sacrarum rerum in cuiusque dioecesi ad Sedem Apostolicam statis temporibus referre[8] consuevistis, ex responsis per nostram Congregationem Concilii ad decessores vestros, aut ad vos ipsos iterum iterumque datis, perspectum est,

[1] Sess. 24, e. 4, *De ref.*

[3] Conc. Later. anni 1515 sub Innocentio III, cap. XI, quod in corpus iuris relatum est cap. 4, *De magistris,*

[3] Trid., sess. 5, c. 1, *De ref.*

* In Conc. Mediol. an. 1595, part. I, tit. *De praeb, theol.,* Mediol. **V,** an. 1579, part. III, tit. 5, *quae ad beneficior. collat. attin.,* Aquensi, a, 1585, tit. *De canonicis,* et aliis plurib.

[5] Tit. I, cap. 6 sqq.

[6] In Uteris indictionis Conc. 24 decembris 1724.

[7] Const. *Pastoralis officii,* XIII kal. iunii an. 1725.

[8] Ex constit. Sixti V, *Romanus Pontifex,* XIII kal. Ianuarii an. 1595, et const. Bened. XIV, *Quod sancta Sardicensis synodus.* IX hai. Decembris an. 1740, tom. I, bullar. eiusdem Pont., et ex instructione, quae extat in Append. ad dict. tom. I.

quemadmodum Sancta eadem Sedes et gratulari Episcopis soleat si praebendatos theologos habeant in publicis sacrarum litterarum lectionibus munere suo bene fungentes, et numquam intermittat excitare atque adiuvare pastorales illorum curas, si alicubi res adhuc sententia non successerit.

4. Ceterum ad translata in vulgares linguas biblia quod attinet, multis abhinc saeculis contigerat, ut diversis in locis sacri antistites maiore interdum vigilantia uti debuerint ubi versiones huiusmodi aut in occultis lectitari conventiculis, aut per haereticos impensius diffundi animadverterent. Atque huc spectant monita, et cautiones adhibitae ab Innocentio III gl. me. decessore nostro circa laicorum mulierumque coetus sub pietatis obtentu, et legendarum Scripturarum causa secreto habitos in Metensi dioecesi [1] : necnon et peculiares vulgarium bibliorum interdictiones, quas sive in Gallus paulo post[2], sive in Hispania ante saeculum XVI [3] latas invenimus. Sed ampliore postmodum providentia opus fuit, cum lutherani calvinianique acatholici, incommutabiles fidei doctrinam incredibili prope errorum varietate oppugnare ausi, nihil intentatum relinquebant ut fidelium mentes deciperent perversis explicationibus sacrarum literarum, editisque per suos asseclas novis illarum in popularem sermonem interpretationibus, quarum quidem exemplis multiplicandis, et citissime divulgandis inventae nuper typographicae artis praesidio iuvabantur. Itaque iis in regulis, quae a patribus a Tridentina Synodo delectis conscriptae, et a Pio IV fel. mem. praedecessore nostro [4] approbatae,

* In tribus uteris datis ad Metenses, atque ad illorum Episcopum et Capituli, necnon ad Abbates Cistereiensem, Morimundensem, et de Cripta, quae sunt epist. 141, 132, lib. II; et epist. 235, lib. HI, in edit. Balutii.

[2] In Conc. Toi osano an. 1229, ean. 14.

[3] Ex testimonio cardinalis Paeecco in Conc. Tridentino (apud Pallaviciuum, *Storia del Concilio di Trento,* lib. VI, cap. 12).

[4] In const, *Dominici gregis,* 24 martii 1564.

indicique librorum prohibitorum praemissae sunt, generali sanctione statutum legitur, ut biblia vulgare sermone edita non aliis permitterentur nisi quibus illorum lectio ad *fidei atque pietatis augmentum* profutura iudicaretur \ Huic eidem regulae, nova subinde propter perseverantes haereticorum fraudes cautione constrictae, ea demum auctoritate Benedicti XIV adiecta declaratio est, ut permissa porro habeatur lectio vulgarium versionum, quae *ab Apostolica Sede approbatae,* aut *cum annotanoniòus desumptis ex sanctis Ecclesiae patribus vel ex doctis catholicisque viris* editae fuerint[2].

5. Non defuere interim novi ex lansenii schola sectam, qui hanc Ecclesiae Sedisque Apostolicae prudenti ssimam oeconomiam mutuato a lutheranis calvinianisque stilo reprehendere non sunt veriti, quasi Scripturarum lectio unicuique fidelium generi omni tempore, atque ubique locorum utilis et necessaria esset, atque ideo nemini posset auctoritate ulla interdici. Hanc vero Ianseníanorum audaciam graviori censura reprehensam habemus in solemnibus iudiciis, quae toto plaudente catholico orbe contra illorum doctrinas tulerunt bini rec. mem. Summi Pontifices, nimirum Clemens XI in constit. *Unigenitus* anni 1713 [3], et Pius VI in constit. *Auctorem fidei* anni 1794 [4].

6. Ita igitur antequam instituerentur societas biblicae, iamdudum in commemoratis Ecclesiae decretis fideles praemuniti fuerant adversus haereticorum fraudem in specioso illo divinas litteras ad communem usum diffundendi studio latentem. Pius autem VI glor. rec. praedecessor noster, qui societates ipsas suo tempore ortas magnis invalescere auctibus comperit, haud sane absti-

[1] **in regulis Indicis III et IV.**

[2] **In addition, ad dictam regul. IV ex decreto Congregationis Indicis, 17 iunii 1757.**

[3] **In proscriptione propositionum Quesnelli a n. 79 ad 45.**

* **In damnatione propos. Pseudo-Synodi Pistoriensis n. 67.**

nuit opponere se illarum conatibus tum per Apostolicos suos nuntios, tum per epistolas et per decreta a diversis Card. S. R. Congregationibus edita \ tum suis duabus Pontificis litteris quas ad Gnesnensem [2], atque ad Mohiloviensem [3] Archiepiscopos dedit. Subinde Leo XII fel. mem. decessor noster ipsa illa biblicorum sociorum molimina persecutus est in encyclicis litteris ad omnes catholici orbis antistites datis *die 5 maii ann. 1824,* idque ipsum denuo fecit novissimus fel. item record, praecessor noster Pius VIII in encyclica epistola edita *die 24 maii an. 1829.* Nos tandem, qui meritis longe im paribus in huius locum successimus, haud sane praetermisimus eumdem in finem Apostolicam sollicitudinem nostram impendere, atque inter alia curavimus, ut sancitae olim de vulgaribus Scripturarum translationibus regulae in fidelium memoriam re vocarentur [4].

7. Est autem cur vobis summopere gratulemur, venerabiles fratres, quod excitati pietate prudentiaque vestra, et supradictis decessorum nostrorum uteris confirmati haudquaquam neglexistis commonere ubi opus fuit

[1] Imprimis per epistolam Congregationis Propagandae Fidei ad Vicarios Apostolicos Persiae, Armeniae, aliarumque orientis regionum datam 3 augusti 1916 et per decretum de omnibus huiusmodi versionibus editum a Congr. Indicis, 23 iunii 1817. Hoc decreto generali prohibitum fuit opus cui titulus « Historia succinta delle operazioni della Compagnia biblica britannica e straniere, coll'indice delle materie concernenti la medesima: *Chi è da Dio le parole di Dio ascolta* (Giov., VIII, 12), Napoli, presso Agnello. Nobile, libraio-stampatore, strada Santabrigida n. 27, 1817. *Decreto eodem* (23 iunii 1817), et versiones omnes bibliorum quavis vulgari lingua, nisi fuerint ab apostolica Sede approbatae, aut editae cum annotationibus desumptis ex SS. Ecclesiae Patribus vel ex doctis catholicisque viris iuxta decretum S. C. Indicis, 13 iunii 1757 ». Datum Romae, die 12 iulii 1817.

* Die 1 iunii 1816.

[3] Die 4 septembris 1817.

* Quae regulae prostant in monito adiecto ad decretum Congr. Indicis, 7 ianuarii 1836, quod hic tradimus: « Cum ad S. Congr. certo relatum fuerit sacratissimos Bibliorum libros vulgari sermone nonnullis in locis typis edi quin saluberrimae de ea re leges serventur; cumque inde pertimescendum sit ne, quae hominum nequam hisce praesertim temporibus conspiratio est, errores sanction divini eloquii apparatu obvoluti perperam insinuenturj cen-

catholicas oves, ut ab insidiis caverent, quae sibi a biblicis sociis struebantur. Ex hisce autem episcoporum studiis cum Supremae huius Petri Sedis sollicitudine conspirantibus, benedicente Domino factum est, ut incauti quidam catholici homines, qui biblicis societatibus imprudenter favebant, perspecta subinde fraude, ab eisdem recesserint, et reliquus fidelium populus immunis ferme a contagione permanserit, quae inde illi imminebat.

8. Ea interim spe tenebantur sectarii biblici, ut magnam se consequuturos laudem non ambigerent ex infidelibus ad christiani nominis professionem utcumque inducendis per lectionem sacrorum codicum vulgari ipsorum lingua editorum, quos ingenti plane exemplarium copia missionariis, seu excursoribus a se destinatis per illorum regiones distribui, ac vel nolentibus obtrudi curabant. Sed hominibus christianum nomen praeter regulas a Christo ipso institutas propagare conantibus nihil pene ex sententia contigit, nisi quod potuere interdum nova creare impedimenta catholicis sacerdotibus, qui ad gentes ipsas ex. sanctae huius Sedis missione pergentes nullis parcebant laboribus, ut praedicatione verbi Dei sacramentorumque administratione novos Ecclesiae filios parerent, parati etiam pro illorum salute atque in testimonium fidei sanguinem suum inter exquisita quaeque tormenta profundere.

9. Iam vero inter sectarios illos sua ita expectatione frusfratos, et perdolenti recogitantes animo ingentem pecuniae vim hactenus erogatam suis bibliis edendis

suit eadem S. Congregatio revocanda iterum esse in omnium memoriam quae alias decreta sunt: vernaculas nimirum bibliorum versiones non esse permittendas, nisi ***quae fuerint ab apostolica Sede approbatae aut editae cum adnotationibus desumptis ex SS. Ecclesiae Patribus, vel ex doctis catholicisque viris*** (ex decr. S. Congr. Ind., 15 iunii 1757, in addit, ad reg. Ind.): iis praeterea omnino insistendum quae per regulam quartam Indicis et deinceps ex mandato s. m. Clementis VIII in eam causam praestituta fuerunt ».

nulloque fructu divulgandis, inventi nuper aliqui sunt, qui machinationes suas novo quodam ordine disposuerunt ad Italorum potissimum, nostraeque ipsius Urbis civium animos prima veluti aggressione appetendos. Scilicet ex acceptis modo nuntiis documentisque compertum habemus plures homines diversarum sectarum Neo-Eboraci in America proximo anno convenisse, pridieque idus iunias inivisse novam societatem *Foederis christiani* nomine nuncupatam, et aliis porro atque aliis ex omni gente sodalibus, seu constitutis in eiusdem auxilium sodalitatis ampliñcandam ; quorum commune cum ipsis consilium sit, ut religiosam libertatem, seu potius vesanum indifferentiae super religione studium Romanis Italisque ceteris infundant. Fatentur enimvero a pluribus retro saeculis tantum ubique ponderis habuisse Romanae Italaeque gentis instituta, ut nil magnum in orbe processerit quin factum fuerit ab Alma hac Urbe principium; quod quidem non ex constituta heic disponente Domino, suprema Petri Sede, sed ex quibusdam antiquae Romanorum dominationis reliquiis, in usurpata, ut dictitant, a decessoribus nostris potestate permanentibus, derivatum volunt. Quare cum statutum illis sit, populos universos conscientiae seu potius erroris libertate donare, ex qua, veluti e suo fonte politica etiam libertas cum publicae ad ipsorum sensum prosperitatis incremento dimanet; nihil tamen sibi posse videntur, nisi primum apud Italos Romanosque cives aliquid profecerint, eorum deinceps auctoritate atque studiis penes reliquas gentes magnopere usuri. Atque id facile se assecuturos confidunt, cum tot ubique terrarum Itali sint diversis in locis degentes, indeque in patriam haud levi numero remeantes ; quorum non paucos vel novarum rerum studio sua iam sponte incensos vel corruptos moribus, aut inopia afflictos nullo fere negotio ad nomen societati dandum, vel saltem ad suam operam pretio illi vendendam

alliciant. Eo igitur curas suas converterunt, ut horum manibus undique conquisitis vulgaria corruptaque biblia huc advehantur et in manus fidelium clanculum ingerantur : itemque ut distribuantur una simul pessimi alii libri, libellique, ad mentem legentium ab Ecclesiae sanctaeque huius Sedis obsequió abalienandam, Italorum eorumdem ope compositi, aut in patrium sermonem translati ex aliis auctoribus; inter quos *Historiam reformationis* a Merle d'Aubigné conscriptam, et *Memorabilia super reformatione apud Italos* Ioannis Cric praecipue designant. Ceterum de toto hoc librorum genere, quale futurum sit vel ex eo intelligi potest, quod societatis statuto praescriptum fertur circa peculiares- quorumdam coetus librorum delectui destinatos videlicet ut nunquam in hos ne duo quidem unius eiusdem religiosae sectae viri conveniant.,

10. Haec ut primum relata ad nos sunt, non potuimus equidem non contristari graviter in consideratione periculi, quod nedum per remota ab Urbe loca, sed prope ipsum catholicae unitatis centrum, incolumitati religionis sanctissimae a sectariis parari cognovimus. Quamvis, enim timendum minime sit ne deficiat umquam Petri Sedes, in qua inexpugnabile Ecclesiae suae fundamentum a Christo Domino positum est, non ideo tamen cessare nos licet ab illius auctoritate tuenda; ex quo insuper supremi Apostolatus officio admonemur severissimae rationis, quam reposcet a nobis divinus pastorum Princeps ob succrescentia in Dominico agro zizania, si quae ab inimico homine nobis dormientibus superseminata fuerint, atque ób creditarum ovium sanguinem quae nostra hinc culpa perierint.

11. Itaque nonnullis S. R. E. Cardinalibus in consilium adhibitis, ac tota rei causa graviter matureque perpensa, ex eorum quoque sententia deliberavimus hanc ad vos omnes dare epistolam, venerabiles fratres, qua et

cunctas supradictas societates biblicas dudum a nostris decessoribus reprobatas Apostolica rursus auctoritate condemnamus; et nostri pariter supremi Apostolatus nominatim condemnamus memoratam novam societatem *Christiani Foederis* superiore anno Neo-Eboraci constitutam, et alia eiusdem generis sodalitia si quae iam ei accesserint aut in posterum accedent. Hinc notum omnibus sit, gravissimi coram Deo et Ecclesia criminis reos fore illos omnes qui alicui earumdem societatum dare nomen, aut operam suam commodare seu quomodocumque favere praesumpserint. Confirmamus insuper et innovamus auctoritate Apostolica super memoratas praescriptiones iamdiu editas super editione, divulgatione, lectione et retentione librorum sacrae Scripturae in vulgares linguas translatorum: de aliis vero cuiusque scriptoris operibus in communem notitiam revocatum volumus, standum esse generalibus regulis et decessorum nostrorum decretis, quae indici prohibitorum librorum praeposita habentur; atque adeo non ab iis tantum libris cavendum esse qui nominatim in eumdem indicem relati sunt, sed ab aliis etiam, de quibus in commemoratis generalibus praescriptionibus agitur.

12. Vobis autem, venerabiles fratres, utpote in nostrae sollicitudinis partem vocatis, commendamus in Domino vehementer, ut Apostolicum iudicium, et mandata haec nostra concreditis pastorali procurationi vestrae populis annuntietis et explicetis pro loco et tempore, fidelesque oves a praedicta societate *Foederis Christiani,* ceterisque eidem auxiliantibus, nec non ab aliis biblicis societatibus, atque ab omni cum illis communicatione avertere connitamini. Iuxta haec vestrum quoque erit tum biblia in vulgarem linguam conversa, quae contra supradictas Romanorum Pontificum sanctiones edita fuerint, tum alios quoscumque proscriptos damnatosve libros e fidelium manibus evellere, atque adeo providere ut fideles

ipsi moniti et auctoritate vestra *edoceantur quod pabuli genus sibi salutare, quod noxium ac mortiferum ducere debeant* \ Interim instate quotidie magis, venerabiles fratres, praedicationi verbi Dei tum per vos ipsos, tum per singulos in cuiusque dioecesi animarum curatores, aliosque viros eclesiásticos ei muneri idoneos; atque advigilate impensius super illos praesertim, qui destinati sunt lectionibus Sacrae Scripturae publice habendis, ut officio suo ad audientium captum diligenter fungantur, et sub nullo umquam obtentu divinas ipsas litteras contra Patrum traditionem aut praeter Ecclesiae catholicae sensum interpretari et explicare audeant. Denique sicut boni pastoris proprium est non modo tueri ac enutrire adhaerentes sibi oves, sed eas etiam, quae in longinqua recesserint, quaerere ac revocare ad ovile; ita et vestri nostrique muneris erit omnes pastoralis studii nervos eo item intendere, ut quicumque ab huiusmodi sectariis, noxiorumque librorum propagatoribus seduci se passi sint, gravitatem peccati sui per Dei gratiam agnoscant, et salutaris poenitentiae remediis expiare satagant : nec vero abiiciendi sunt ab eodem sacerdotalis sollicitudinis studio seductores illorum, praecipuique ipsi impietatis magistri ; quorum etsi maior iniquitas sit, non tamen abstinere debemus ab eorum salute, quibus poterimus viis et modis, impensius procuranda.

13. Ceterum, venerabiles fratres, contra insidias et molimina sociorum *Foederis Christiani* peculiarem et acriorem in primis vigilantiam exposcimus ab iis ex vestro ordine, qui ecclesias regunt in Italia sitas, aut aliis in locis ubi Itali saepius versantur, maxime autem in Italiae confinibus, aut ubicumque emporia portusque extant, unde frequentior in Italiam commeatus est. Cum enim sectariis ipsis propositum sit inibi ad effectum ad-

[1] Ex mandato Leonis XII edito e Congr. Indicis, 26 martii 1825.

ducere consilia sua, hinc et episcopos potissimum eorumdem locorum alacri constantique studio nobiscum allaborare oportet illorum machinationibus, adiuvante Domino, dissipandis.

14. Has autem nostras vestrasque curas adiutum iri non dubitamus praesidio civilium potestatum imprimis potentissimorum Italiae principum tum pro singulari suo studio religionis catholicae conservandae, tum quod ipsorum prudentiam minime fugit publicae etiam rei interesse plurimum, ut supradicta sectariorum molimina in irritum cadant. Constat enim, diuturnoque superiorum temporum experimento comprobatum est, populis a fidelitate atque obedientia erga suos principes retrahendis non aliam esse planiorem viam, quam indifferentiam in religionis negotio a sectariis sub religiosae libertatis nomine propagatam. Atque id ne dissimulant quidem novi illi sodales *Foederis Christiani:* qui licet sese alienos profiteantur a civilibus seditionibus concitandis; ex vindicate tamen unicuique de plebe bibliorum interpretandorum arbitrio, diffusaque ita in Italorum gentem omnimoda quam vocant libertate conscientiae politicam pariter Italiae libertatem sua veluti sponte consequuturam fatentur.

15. Quod vero primum et maximum est, levemus una simul manus nostras ad Deum, venerabiles fratres, eique nostram, totiusque gregis, et Ecclesiae suae causam omni, qua possumus, fervidarum precum humilitate commendemus; invocata etiam deprecatione piissima Petri Apostolorum Principis, aliorumque Sanctorum, ac praesertim Beatissimae Virginis Mariae, cui datum est cunctas haereses interimere in universo mundo.

16. Ad extremum, nostrae pignus ardentissimae charitatis Apostolicam benedictionem vobis omnibus, venerabiles fratres, et concreditis curae vestrae clericis, lai-

eisque fidelibus effuso cordis affectu peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum postridie nonas maii **MDCccxLiv,** pontificatus nostri anno decimoquarto.

GREGORIUS PP. XVI

APPENDIX

AD VOLUMEN NONUM.

De Sacra Congregatione Concilii: De modo agendi quo ipsa utitur deque modo procedendi coram ea

Synopsim causarum quae coram S. Concilii Congregatione proponuntur exponentes, saepe eas referre debuimus facti circumstantias quae ad modum agendi S. Congregationis, vel ad modum coram ea procedendi stricte referuntur. Quandoque enim in exponendis quarumdam causarum actibus, per nos narratam est : S. Congregationem primis oblatis precibus rescripsisse, ***lectum*** vel ***non expedire*** et postea causam, ***ponatur in folio*** vel ***per summaria precum*** tractari mandasse. Quandoque de ***dubiorum concordatione*** aut ***reformatione,*** saepius de ***Ordinarii informatione et voto,*** sermo habitus est, quin pateret quid sibi vellent dictiones huiusmodi, vel quodnam actum secumferrent. Itaque rem nonnullis saltem e lectoribus nostris utilem nos facturos arbitramur, cum ***de modo agendi*** huius S. Congregationis, nec non ***de modo procedendi*** coram ea quaedam breviter explicaverimus.

Scimus canonicarum disciplinarum peritis nihil nos dictaros quod iam non noverint: sed in votis esse censemus eorum, quibus graviora Ecclesiae negocia huiusmodi studiis vacare non sinunt, quae sit rescriptorum vis, et a quibus edita pro casuum varietate, intimius cognoscere.

Hunc ad finem consequendum, pauca praecedant oportet de historia S. Congregationis Concilii quae subiectam materiam stricte respiciunt.

[1] **Quae promisimus hoc in eodem volumine, pag. 204, per hanc Appendicem adimplemus,**

Eius origo repetenda est ex ipsa Tridentina Synodo, quae in decreto de recipiendis et observandis decretis Concilii ***(Sess. 25 continuatio)*** haec statuit: « Quod si in his recipiendis (decretis) aliqua <. difficultas oriatur, aut aliqua inciderint quae declarationem, quod « non credit, aut definitionem postulant, praeter alia remedia in hoc « Concilio instituta, confidit S. Synodus Beatissimum Romanum Pon« tificem curaturum, ut vel evocatis ex illis praesertim provinciis « unde difficultas orta fuerit, iis quos eidem negotio tractando viderit « expedire, vel etiam Concilii generalis celebratione, si necessarium « iudicaverit, vel commodiore quacumque ratione ei visum fuerit, « provinciarum necessitatibus pro Dei gloria et Ecclesiae commodi« tate consulatur ».

Huius decreti executioni primus consuluit Summus Pontifex Pius IV. Ipse in uteris motu proprio datis, quae incipiunt: « *Alias nonnullas* » die 2 Augusti 1564 deputavit octo Cardinales qui Concilio interfuerat, ut firmiter observari curarent non solum ea, quae ipse paulo ante de reformandis tribunalibus Urbis statuerat, sed et decreta Concilii Tridentini. Excepit vero Pius IV casus in quibus quoad executionem decretorum Concilii aliqua dubietas aut difficultas oriretur, eosque ad se referri mandavit. Verum huiusmodi exceptionem non dubia facti, sed dubia iuris respexisse certum est, ideoque patet potestatem eo tempore Congregationi datam, non interpretandi, sed administrandi tantum iuris fuisse. Immo ex libris literaram et decretorum qui in Secretaria Congregationis asservantur eruitur eumdem Pium IV, nec non Summos Pontifices Pium V et Gregorium XIII Congregationem saepe in consilium adhibuisse. Constat etiam Pium V induisisse, ut posset Congregatio absque alia delegatione quaestiones dirimere quas claras videret. Quos vero casus tamquam dubios existimare* referendos, Sanctitati Suae referret, *quod in eam* ***Usque*** *dhm fecerat.* Idem egit Gregorius XIII. Et notatu quidem dignum est, ob crescentem negotiorum molem, quae ex omnibus terrae partibus ad eam confluebant; iam ab initio anni 1565 quatuor Cardinales additos fuisse illis octo qui Congregationem a Pio IV institutam conficiebant, et constitutum fuisse, ut pro faciliori negotiorum expeditione, Cardinales quatuor ex corpore generali Congregationi frequentius convenirent, sub nomine Congregationis particularis. Hanc Congregationem particularem Gregorius XIII die 8 Maii 1576 declaravit potuisse et posse casus expedire alias decisos a Cogregatione generali, eosque etiam qui dari ex omnium sententia \idarentur. Si enim vel unus Cardinalis dissentirei. Congregatio haec

particularis rem debebat ad Congregationem generalem deferre, eique votum suum proponere.

Congregationis auctoritatem confirmavit Sixtus V in constitutione « *Immensa aeterni* » in qua de Congregatione pro executione et interpretatione Concilii Tridentini appellata, haec edixit: « Deo au- « tem Patri misericordiarum gratias agentes, qui in Oecumenico Con- « cilio Tridentino Spiritus Sancti lumine diffuso, catholicam veritatem « omnibus patefecit, haereses nostrorum temporum confutavit, mores « et disciplinam restituit, eiusdemque Concilii decreta ab omnibus ob- « servari volentes, cum ad singularem Romani Pontificis auctoritatem « tantummodo spectet generalia Concilia indicere, confirmare, inter- « pretari, et ut ubique locorum serventur curare ac praecipere :

« § 1. Eorum quidem decretorum quae ad fidei dogmata perti- « nent, interpretationem Nobis ipsis reservamus. Cardinalibus vero * praefectis interpretationi et executioni Concilii Tridentini, si quando « in his. quae de morum reformatione, disciplina ac moderatione, et « ecclesiasticis iudiciis aliisque huiusmodi statuta sunt, dubietas aut « difficultas emerserint, interpretandi facultatem, Nobis tamen con- « sultis, impertimur. Et quoniam eodem Concilio Tridentino decre- « tum est, s3modos provinciales tertio quoque anno, dioecesanas sin- « gulis annis celebrari debere, id in executionis usum ab iis, quorum « interest, induci eadem Congregatio providebit. Provincialium vero, « ubivis terrarum illa celebrentur, decreta ad se mitti praecipiet, ea- « que singula experidet et recognoscat. Patriarcharum praeterea, Pri- « matum, Archiepiscoporum, et Episcoporum ("quibus beatorum Apo- « stolorum limina certo constituto tempore visitare alia nostra san- « ctione iussum est) postulata audiat, et quae Congregatio ipsa per se « poterit, ex charitatis et iustitiae norma expediat; maiora ad Nos re- « ferat, qui fratribus nostris Episcopis, quantum cum Domino licet, « gratifican cupimus. Item, ab iisdem praesulibus ecclesiarum expo- « seat, quae in Ecclesiis eorum curae ac fidei commissis cleri populique « morum disciplina sit, quae Concilii Tridentini decretorum, cum in « omnibus, tum praesertim in residentiae munere executio, quae item « piae consuetudines, et qui omnium denique in• via Domini sint pro- « gressus : ipsisque det literas ex formula praescripta in testimonium « obitae per eos visitationis liminum sanctorum eorumdem Apostolo- « rum. Habeat itidem Congregatio auctoritatem promovendi reforma- « tionem Cleri et populi, nedum in Urbe et statu ecclesiastico tempo- « rali, sed etiam in universo christiano orbe, in iis quae pertinent ad « divinum cultum propagandurn. devotionem excitandam, et mores

« christiani populi ad praescriptum eiusdem Concilii componendos, « atque ad rationes, difficillimis his perturbatisque temporibus ne- « cessarias confirmandos, quo uberi as divinae misericordiae vim in ***o*** nobis sentiamus, iustamque iram ac animadversionem effugiamus ».

Processu temporis Congregationis Concilii auctoritas melius fuit explicata.

Officium ***a Secretis*** gravissimum factum est, ad quod illi vocabantur qui iuris utriusque scientia et in negotiis tractandis prudentia excellèrent. Hos inter honoris causa nominamus Prosperum Fagnanum, Prosperum de Lambertinis qui ad Petri Cathedram evectus Benedicti XIV nomen assumpsit, et Cardinalem De Petra.

Crescente Secretarii auctoritate, iam particularis quatuor Cardinalium Congregatio desuescere, ac pro difficilioribus negotiis, vel a Pontifice particularis Congregatio deputari, vel theologi et canonistae adhiberi coeperunt, qui votum suum panderent. Deinde res minoris momenti ab aliis gravioribus separatae sunt, et causae quidem maiores ***in folio*** manu scripto Patribus breviter expositae. Partibus licebat allegationes suas prodere, et Secretarius nonnunquam solebat quaedam adnotare de iure et praesertim de praxi S. Congregationis. Causae typis mandari coeperunt anno 1695: sed nonnisi anno 1718, cum Prosper de Lambertinis Secretarii munus suscepit, ***folia*** Patribus tradenda ita reformata sunt, ut praecipua rationum momenta continerent, exhiberentque Congregationis resolutiones in similibus casibus adhibitas, nec non theologorum et Canonistarum vota.

Ipse authenticam illam resolutionum collectionem fieri curavit quae venit sub nomine : « ***Thesaurus resolutionum*** » quaeque passim in exemplum affertur atque plurimum differt a libris decretorum qui in Secretaria S. Congregationis asservantur, prouti dictum iam fuit m ***Vol. I. pag. 67.***

Haec de praecedentibus sufficiant. Modo cognoscere praestat quae *ant* in praesenti S. Congregationis membra et officiales.

Membra sunt Cardinales quos Pontifex eligit. A Pio IV qui, uti diximus, octo deputavit Patres Eminentissimos, hodie sunt numero 36 quos inter nonnulli recensentur qui extra Romanam Curiam resident. Ex his unus, a Pontifice Praefectus renuntiatur. Omnes votum habent quod vocant ***decisivum.*** Adest Cardinali Praefecto Episcopus vel Archiepiscopus, cui officium ***a Secretis*** a Pontifice concreditur. Eius est negotia pro unaquaque Congregatione proponere et Papae referre, decretaque S. Congregationis conscribere quae sine eius et Praefecti subscriptione omni validitate destituuntur.

Secretarium adiuvant Subsecretarius et Auditor. Primus ille omnia negotia inspicit et quomodo tractanda sint consulit: Alter in causis coram S. Congregatione proponendis operam impendit, earumque relationem in folio, quod ***ex officio*** dicitur, conscribat. Hanc ipse vel ex defensionibus advocatorum haurit, vel super documentis, quae partes exhibuerunt conscribit, augetque regulis iuris et eiusdem S. Congregationis et quandoque etiam S. Rotae Romanae decisionibus ad rem facientibus. Praeterea Auditor est caput studii, in quod admittuntur Presbyteri vel clerici qui exactis iuris utriusque studiis, ibi conveniunt ut in rerum canonicarum praxi exerceantur. Ex his patet quam grave sit Auditoris munus. Ad hoc idcirco Presbyter eligitur qui nedum Iuris Ecclesiastici et Civilis scientia praestet, sed Advocati titulo sit insignis et utriusque fori praxis peritissimus.

Haec iam respiciunt **MODUM AGENDI** S. Congregationis ad quem accedimus.

Cum enim preces vel aliud scriptum quodcumque ad Congregationem defertur, illud in tabulario statim accurate notatur, et Subsecretario traditur. Hic inter rerum canonicarum peritissimos electus, rem expendit; videtque num S. Congregationis competentiam excedat, et, si S. Congregatio potest in ea manum apponere, quomodo tractanda sit decernit. Si quae petuntur iam sint (uti aiunt) ***de stylo*** Congregationis *, ea Praefecto et Secretario cum quibus ***congressum*** habet proponit, aut in plena Congregatione exponit breviter, et statim responsio datur, eaque inseritur in corpore literarum quas ad relationem remittit. Pro hisce rebus multas habet facultates Secretarius. Si preces gratiam contineant, quoniam apposita rescripta cum solemni cautionum et clausularum forma in id expedire debent, tunc separatim, prout fit de aliis negotiis ordinariis expenduntur, iuxtaque S. Ordinis disciplinam separata rescripta emittuntur.

Quae Pontifici referri solent, ei refert Secretarius et exhibent in rescripto formulam « ***ex audientia Sanctissimi*** ».

Pro postulatis quae maiorem, rei inquisitionem disceptationemque requirunt, quandoquidem ea ipsa methodo agi solet ac in ceteris negotiis ordinariis. Etenim Ordinario Dioecesis cui postulans subiicitur litterae conscribuntur, quibus ab eo requiri solent quae necessaria scitu sunt, sive quae ad rem faciunt; ***auditis,*** si expedire videatur, ***interesse habentibus.***

[1] Dicuntur ***de stylo*** S. Congregationis Concilii quae normam assuetam habent unde proponantur et de plano resolvuntur quin ulla dispositio vel contentio locum habeat.

Elementis omnibus collectis ad facti speciem necessariis et opportunis, res in ***congressu*** proponitur.

Iam quid ***congressus*** nomine veniat dicendum est. Hunc in,stituit Eminentissimus Cardinalis Praefectus Prosper Caterini, vir praeçlarrissimus et omni laude dignus, qui hodie etiam S. Congregationi praeest. Penes ipsum conveniunt quolibet sabbato mane Secretarius, et Subsecretarius : et ***congregantur.*** Inter eos agitur de singulis precibus in hebdomada S. Congregationi oblatis, deque aliis rebus omnibus quas dirimere necesse est : et qui de unaquaque re consilii capiendum sit expenditur. Si vel elementa deficiant quibus aut in ***Folio*** aut per ***Summaria Precum*** res proponi mereatur, vel res talis sit quam silentio praeterire prudentius videatur ut partes acquiescant; rescribi solet, vel ***lectum:*** vel ***reponatur:*** vel ***non expedire.*** Quae formulae subiectam habent conditionem, ***in praesenti rerum statu.*** Etenim non raro accidit ut rerum status mutetur, aut preces iterum instaurentur, et precibus documenta atque Ordinarii informatio accedant; omniaque talia sint, ut rei propositionem resolutionemque necessariam evincant.

Exemplum habes in causa ***Remotionis a Paroecia*** relatam ***Vol. IX, pag. 32,*** ex qua comperies plures Aloysii libellos Congressum expendisse ac reponi decrevisse, antequam ***per Summaria precum*** coram plena Congregatione causa proponeretur.

Itaque si talia sint postulata quae ***in congressu dirimi*** illico valeant, dirimuntur. Si gravius sit negotium quod paulo altiorem exquirat indaginem, sed itidem de re non admodum gravi agatur; ad plenam Congregationem remittitur ***per Summaria precum.*** Si res haud levis momenti sit, decretum fit « ***ponatur in folio*** » et Episcopo scribitur ***ut partibus terminum praeftgat ad ulteriora sua iura deducenda coram S. Congregatione.***

Quid sint ***precum Summaria*** narratum est in ***Vol. I, pag. 13.*** Scilicet nihil aliud sunt quam brevis precum relatio, quae a Secretario in plenis comitiis fieri solet, omnibus iuris et facti momenti sedulo, sed strictissime expositis. Iam enim ab initio Congregationis observatum est, causarum alias pleniorem informationem requirere, alias quae faciliori modo expediri poterant et plerumque a Congregatione quatuor Cardinalium absolvebantur. Processu temporis, in prioribus tantum allegationes dari, et a Secretario plenior expositio fieri solebat. Maior differentia haec evasit, cum maiores causae ***in folio*** exponi coeperunt : etenim illae omnes quae ***in folio*** non describebatur, sed a Secretario in comitiis statim definiendae proponeban-

tur, ***per Summaria precum propositae*** dictae sunt: cum non solum summario modo expedirentur, sed plerumque res gratiosas continerent. Verum et inter eas quaedam erant nonnumquam pro quibus aliqua saltem facti et iuris cognitio necessaria erat.

Huiusmodi precum Summaria anno 1847 typis mandari coeperunt, sed earum resolutiones in thesauro non referuntur.

Ceterum pro causis ***per Summaria precum*** expendendis, regula iixa et certa non adost. Res a prudenti ***congressus*** arbitrio pendet. Causae illae omnes plerumque in folio ponuntur in quibus huc usque nulla similis prostat resolutio : scilicet in quibus directe agitur vel de Concilii Tridentini vel de alicuius Pontificiae Constitutionis interpretatione, aut in quibus partes inter se contendunt : per Summaria precum referuntur vel res minores, vel eae quaestiones in quibus ex pluribus S. Congregationis resolutionibus legis sensus patet, vel cum in mora periculum est, vel denique cum iudicii minorem vitandum esse et secretum tenendum prudentia suadet.

Huc usque ***de modo agendi S. Congregationis.*** Superest ut dicamus : **D**E MODO PROCEDENDI CORAM EADEM S. **C**ONGREGATIONE.

Statim ac decretum Secretarius edidit, vel per Summaria precum rem esse definiendam, vel in folio ponendam, statim documenta omnia negotium respicientia in Auditoris potestatem veniunt.

Quoad causas quae per Summaria precum tractantur, notandum superest nullum in his dubium proponi, et raro admodum patronos adhiberi. Si tamen partes velint, possunt allegationes patribus distribuere, et « ad informandum » admittuntur, prout in causis iuris ordine servato tractandis, de quibus mox loquemur.

Causae in quibus decretum prodiit ***ponatur in folio,*** vel ***oeconomice*** vel ***iuris ordine servato*** pertractantur. Anno 1836 circiter invectum est, ut causae de vinculo matrimonii, si partes expensas iudicii solemnis ferre non possint, definiantur votis a Theologo et Canonista, una cum vinculi defensore ex officio emissis. Hodie tali modo [1] proponuntur causae illae omnes, in quibus, ad litis expensas vitandas, partes ad monitum Episcopi suarum rationum momenta deduxerunt, earumque iura diligentius supplenda et explananda ***ex officio*** suscipit Secretarius sive (quod idem est) eius Auditor. Haec forma oeconomica.

[1] Intellige hodie oeconomice proponi causas illas omnes in quibus partes non habent unde advocati operam remunerentur. Ob temporum nostrorum iniquitatem id frequenter fieri solet, praesertim in causis quae ad Italicum Clerum spectant. Attamen exceptis causis *Nullitatis Matrimonii vel nullitatis Ordinis* (vide Volumine VI, pag. 85) vota Theologi et Canonistae non requiruntur.

Causarum tractatio ***iuris ordine servato*** tunc locum habet, cum utraque pars, aut una tantum, advocatum aliquem, cum procuratore vel sine, delegai, qui ***iuris et facti restrictum*** (defensionem) una cum Summario documentorum conscribat, ac typis editum, Emis Patribus distribuendum curet. Hoc in casu Secretarius ***in folio*** synopsim conficit restrictus eiusdem eaque omnia ex officio superaddit quae necessaria censeat. Huiusmodi tractatio legibus subiicitur quae promulgatae fuerunt die 27 Septembris anni 1847 cum Cardinalis Ostini, et Hieronymus D'Andrea eo tempore Archiepiscopus Meliten, et postea S. R. E. Cardinalis, ille Praefecti, hic Secretarii munera obirent. Has leges per extensum ex italico sermone in latinum versas tradimus.

REGULA

Observanda in causis quae coram S. Congregatione Concilii* iu-Bis ORDINE SERVATO *proponuntur.

« Quoniam praeter causas mere gratiosas et oeconomicas, etiam « contentiosae coram Sacra Congregatione Concilii solent proponi in « his ab initio procedendi modus invectus est, qui et aequitatis Sà- « crae Congregationis et rigiditatis Civilium Tribunalium aliquid in « se haberet. Verum agendi forma a Praedecessoribus nostris consti- le tuta, mutamentum quoddam subiit per traditionem ab aliquo re- « tentum, nec accurate delatum a Forensibus Auctoribus illis qui de « praxi Sacrarum Congregationum scripserunt. Ita paullatim mutari, « atque omnino etiam pro derelicto haberi coepit ab Agentibus et « Procuratoribus; non sine litigantium damno et ordinis rectae iusti- « tiae administrationi apprime necessarii detrimento. Itaque ut huius- « modi perturbationi provideatur, praecedentibus servatis legibus quae « cum regulis vigentibus convenirent, nos ex auctoritate S. Congrega- « tionis, in conventu diei 7 Augusti currentis anni nobis ultro con- « cessa, et praevia suprema Sanctitatis Suae sanctione quae accessit « in Audientia diei 9 Augusti anni eiusdem quae sequuntur delibera- « vimus disponere et disponimus.

1. « Causae proponendae coram Sacra Congregatione sive di- -« recte, sive in gradu appellationis, iuxta eius praxim ***iuris ordine « servato*** tractabuntur, quoties e contendentibus unus, cuius interest, « legitimo Procuratore constituto, apposuerit : « ***Nihil transeat*** » penes < acta S. Congregationis [1].

[1] Appositio *nihil transeat* fiebat a Procuratore ad hoc constituto, cum partes vellent omnem procedendi formam ad unguem observari. In Secre-

2. « Hoc in casu illi tantum ad agendum admittuntur Procura-
« tores qui legitimam standi coram ceteris Urbis Tribunalibus per-
« sonam habent.

3. « Nullum coram plena Congregatione postulatum proponere
« licebit, nisi auditus iam fuerit Ordinarius, eaque omnia parata sint
« quae Emus Secretarius necessaria duxerit: prouti sapienter sta-
« tutum est in alia Regula S. huius Congregationis diei 6 Sept. 1751.

4. « Documenta ad causam spectantia reiicientur quae Curiae
« respectivae non ediderint, vel alio modo authentica reddita non
« fuerint, vel authentiae signum nullum praeseferant. Cum vero ea
« in Secretaria exhiberi contigerit, notula erit facienda, et in tabulario
« inserenda,

5. « Documentorum communicationem in exemplaribus a Secre-
« tariae Officialibus faciendam, partibus concedet Rmus Secretarius
« per rescriptum.

6. « Cum Secretarius decretum ediderit : „ ***Ponatur in folio citata***
« parte " ad dubii concordationem et Congregationis destinationem
« procedi poterit'per citationem ex diligenti ori parte i[1]; in cuius calce,
« priusquam ad aliam partem transmittatur, Secretarius, vel eius
« Auditor diem praefigent et horam audientiae qua elegi poterit.

7. « Audientia habebitur diebus Veneris et Martis cuiusvis hebdo-
« madae, feriis exceptis iuxta notulam in Secretaria affixam.

8. « Cum dubium (vel dubia) inter partes concordatum fuerit,
« a Secretario vel eius Auditore subscriberetur; cum vero subscriptum
« fuerit, illud mutare nefas erit : nisi novo praemisso libello, dubii
« reformationem respiciente, in contradictorio inter partes discu-
« tiendo *.

9. « Partibus non concordantibus, dubium ***ex officio*** concinna-
tam S. Congregationis est liber qui *nihil transeat* appellatur, in quo Pro-
curator partis iudicialem formam stricte volentis, scribit: *Nihil transeat in*
causa N. N. nisi citato pro X, infrascripto procuratore Z.

[1] Olim per apparitores ut in iudiciis civilibus citationes mitti solebant. A die vero 20 Septembris 1870 ne civilium Italici Gubernii tribunalium apparitores in rebus Ecclesiasticis se immisceant, vel ad acta adhibetur qui apparitoris officium retinuit penes Tribunal Eminentissimi Urbis Vicarii, vel (quod frequentius accidit) Secretarii Reverendus Auditor per literas manu Sua conscriptas partes vocat ad comparendum coram se pro dubiorum concordatione vel monet de die in quo causa erit proponenda.

[2] Non raro evenit ut partes formulam (vel formulas), quae totam quaestionem brevi verborum conceptione complectitur (id enim dubii nomine venit) quaestioni non respondere vel mancam videant. Tunc remedium adhibere licet quod § 8 innuit.

« bitur; reservato per congruum decretum partibus iure disputandi « coram plena Congregatione etiam de dubii reformatione per me- « moriale separatum, eadem die qua causa principalis proponetur.

10. « Si ex partibus aliqua non compareat, ea contumace dubium « concordabitur; cum autem concordatum fuerit, ad legis normam « una cum destinatione Congregationis notificabitur.

11. « Allegationes et Summaria quibus partes uti voluerint in « causae propositione, Rmo Secretario vel Auditori eius in scriptis « tradentur, infra terminum dierum triginta ante causae proposi- « tionem (cuius nuncium dabit decem dies ante Auditor) *. Id autem « fiet tum ad condendam rationum summam ***in folio*** imprimendam, « tum ut facultate eas imprimendi Advocatus sive Procurator mu- « niantur.

12. « Allegationes latino sermone conscribentur iuxta vigentem « praxim; neque accepto haberi poterunt, nisi eas subscripserit aliquis « ex Romanae Curiae Advocatis vel Procuratoribus.

13. « Quotquot sint dubia, allegationes praeter folia quinque, et « responsiones praeter folia duo protrahi non poterunt, nisi de licen- « tia Rmi Secretarii, qui pro causae necessitate et gravitate eam ultro « concedet vel negabit. Si quis hanc legem violaverit mulctae con- « demnabitur quam similibus in casibus S. Rota infligere solet in « beneficium Sacrae Congregationis rependendae.

14. « Iuxta dispositum in § 4 decernitur: ut si omnibus prae- parationis actibus praemissis, aliqua ex partibus contendentibus « nihilominus contumax permanserit, nulla dabitur dilatio : sed Rmo « Secretario referente etiam ***sub unica*** [2] causae resolutio locum habebit.

15. « Pars contumax illa habebitur, quae rite in ius vocata num- « quam comparuit, nec intra praefixum terminum allegationem ullam « exhibuit, aut petitam dilationem non obtinuit.

16. « Rñrus Secretarius facultatem habet causae propositionem « differendi ex officio vel ad postulationem partium, etiamsi eam de- « stinasset cum clausula ***omnino et infallanter.*** Si vero huiusmodi « destinationem S. Congregatio statuerit, novam dilationem coram « S. Congregatione ***per memoriale*** petere opus erit.

[1] Intellige si Allegationes et Summaria triginta dies ante causae pro- positionem Auditori tradendae sunt, Auditor nuncium dare debebit decem dies antequam mensis ille utilis fluere incipiat, nimirum quadraginta dies antequam causa proponatur.

* *Sub unica* dicitur, cum in prima causae propositione clausula *et am- plius* resolutioni accedat. Quae clausula interdictum secumfert *amplius* cau- sam proponendi.

17. « Decem diesante Congregationem destinatam, duplex alle-« gationum ***(Restrictus facti et iuris)*** exemplar Patribus Emine-ntis-« simis distribuendum erit: pro quantitate autem praestituta exem-« plaria diribebuntur Rmo Secretario eiusque studio, nec non Sub-« secretario. Hic terminus servandus erit etiam pro permutatione « allegationum inter partes [1] nec non pro documentorum novorum pro-« ductione.

18. « Responsiones diribendae erunt ad totam diem Mercurii Con-« gregationem praecedentis **2** : eaeque nisi eo modo ac allegationes « fuerint subsignatae, nullo in pretio habebuntur.

19. « Documenta ac observationes, ***inscia parte*** adversa post re-« sponsiones edita, perinde erunt ac non sint.

20. « Penes Emos Patres informatio locum [3] habebit intra dies « Iovis et Veneris Congregationem praecedentes.

21. « Causae resolutione sequuta, nova audientia infra terminum « dierum decem per instantiam penes Rmum Secretarium erit petenda.

22. « Si Sacrae Congregationis resolutioni clausula ***et amplius*** « accesserit, novum causae experimentum ab Emo Praefecto postu-« landum erit, qui si illud concedi a se nequire putaverit, instantiam « ad plenam Congregationem remittet cum decreto « ***per memoriale « citata parte*** ". In utroque casu si preces admittantur, causa non ante « tres menses proponi iterum poterit, eodem servato primae proposi-« tionis ordine : et si instans succumbat, ad expensas huius postremae « propositionis favore partis victricis reiiciendas tenebitur.

23. « Cum resolutio in rem iudicatam abiverit, victori resolutio-« nis eiusdem exemplar dabitur, qui iudici Litterarum Apostolicarum « et decretorum S. Congregationis executori illud tradet, ut executo-« riale decretum obtineat,

24. « In casibus de quibus sermo est a § .14 ad 22, et in aliis in

[1] Cura iuris ordine servato proceditur, allegatio cum Summario unius partis alteri non traditur, nisi vicissim eodem actu secunda primae suam tradat. Idque iure fit ac merito. Recta enim ratio et aequitas postulant ut una ex partibus contendentibus meliori in conditione ac altera versari nequeat. Huiusmodi operatio *permutationis* nomine venit.

[2] Exinde vides septem dies circiter utiles superesse ad responsionem condendam, typis imprimendam, diribendam. Congregationes habentur semper die Sabbati.

[3] In informatione orali, si quae supersunt Patribus Cardinalibus iuris difficultates diluuntur: facta explicantur: idcirco perutilis evadit. Rmus Secretarius constanter die Iovis congregationem praecedente ad informandum admittit, et die Veneris cum *Auditore* de unaquaque causa proponenda discutit, studii votum colligit.

« quibus iuxta S. Congregationis decreta expensarum, refectio locum « habet, (idest in causis matrimonii, alimentorum, attentatorem, et « spolii) pars victrix Emo Secretario notulam exhibebit ut eam ap- « probet et moderet, atque ad legum vigentium normam opportuno « mandato muniat.

« Data- ex Secretaria S. Congr. Concilii die 27 Septembris 1847.

« P. **CAED. OSTINI,** ***Praefectus.***

« H. Meliten, Archiep. ***Secret. ».***

Hoc iure vivimus quoad ***modum procedendi*** coram S. Congregatione Concilii : et licet ob temporum calamitates quaedam iuris solemnitates quas ***in adnotationibus*** innuimus ab infausta execrataque die 20 Septembris 1870 absolverint, iuris tamen praescriptio eadem manet. Ita lectoribus nostris satis apertam fieri ducimus decretorum de quibus frequenter loqui contingit originem ac vim, nec non plurium formularum explicationem.

In quavis Congregatione causae numero decem proponuntur: quarum septem graviores in folio positae, (hoc est cum dubio, et in thesauro referendae) tres autem minores ***per Summaria precum.***

In ipsa Congregatione Patrum Emorum deliberationem praecedit Secretarii relatio¿ qui studii votum et suum pandit in unaquaque causa. Ipse tantum consultivam (quam vocant) vocem habet.

Quandoque non omnes causae proprie dictae sunt quae in folio ponuntur. Accidit enim non raro ut Episcopi vel peculiaria pro sua Dioecesi, vel generalia dubia Sacrae Congregationi proponant solvenda. Cum hoc adveniat, Secretarius in folio factum, si quod est, narrat: si non, quaestiones excelso illi Senatui delatas exponit, et pro unaquaque quaestione, rationes ex iure haustas quae vel negativam vel affirmativam responsionem suadeant, oculis subiicit. Dein dubia circa ipsas quaestiones apte concinnata, proponit solvenda.

S. Congregationis responsa ad quaestiones hoc modo propositas, licet in formula dubii adiectum sit verbum illud ***in casu;*** pro ***generali lege*** habenda sunt, saltem quousque eaedem illae circumstantiae maneant, et in Ecclesiae universalis disciplina aliquid innovari contigerit.

Huiusmodi dubiorum et responsionum, exempla prostant in ***Vol. I. pag. 200. Vol. III. pag. 184, 423 et 626. Vol. VIII. pag. 107 et 650 et Vol. IX, pag. 105.*** et alibi.

i

i

t

SUMMA ACTORUM

QUAE IN HOC NONO VOLUMINE CONTINENTUR

Litterae Apostolicae SS. D. Ii. P. Papae IX.

Ex Actis Consistorialibus.

Ex **Secretaria Brevium.**

Ex S. Congr. S. R. U. Inquisii.

Ex S. Congr. Indicis.

Ex S. Poenitentiaria Apostolica.

Ex S. C. Concil. Tridentini interpretum.

Ex S. Congr. Episc, et Regul.

Ex S. Congr. Rituum.

Ex S. C. de Propaganda Fide.

Ex S. Congr. Indulgentiarum.

Appendices.

Documenta respicientia Societates Biblicas.

INDEX GENERALIS

CONCLUSIONUM QUAE IN PLERISQUE ACTIS IN HOC VOLUMINE CONTENTIS ADNOTATAE SUNT, QUARUM MATERIA IN SINGULIS ACTIS AMPLE EXPOSITA, VEL DECLARATA REPERITUR.

Hae autem conclusiones sub sequentibus verbis comprehenduntur:

Angustia loci quoad dispensationes matrimoniales.

Inter causas, quae adhuc uti canonicae habentur pro dispensationibus concedendis super matrimoniis inter consanguineos et affines, apprime recensetur angustia loci, ***pag.*** 575.

Locus qui ad id angustus dici queat talis esse debet in quo puella, aut innupta manere cogeretur, aut nubere consanguineo vel affini, ut sponsum sibi aequalem vel parem inveniret, ***ibid.***

Aequalitas vel paritas inter matrimonio coniungendos eruitur ex eorumdem statu, conditione, divitiis, aetate, moribus, genio et religione, ***ibid.***

Receptum est apud S. Sedem haud haberi angustiam loci, si locus, quocumque nomine appelletur, tercentum foculariorum numerum excedat, ***ibid.***

Neque pariter angustia loci desumi potest ex numero focorum loci cuiusvis, vel locorum plurium, qui ad invicem constituti reperiantur infra milliare, ***ibid.***

Beneficium quoad fundatores.

Pii fundatores in beneficiis aut Gapellaniis instituendis ex iure possunt quaslibet sibi benevisas

Canonicus Poenitentiarius.

Canonicus Theologus.

Capellanía.

Coemeteria publica.

Compensatio.

Concursus.

Nam sola inspecta doctrina, evenire potest, cum gravi animarum iactura, ut alicui Ecclesiae praeficiantur ille, qui litteris magis pollet, quamvis de caetero minus aptus vel etiam indignus; et arceatur ille , qui licet doctrinae merito inferior, tamen dotibus aliis praecellat, ***ibid.***

Examinatores ideo debent, postquam de doctrina cognoverint, alias pensitare qualitates et virtutum ornamenta animarum regimini consentanea, quae doctrinae arcto foedere consocianda sunt, et per suffragia inhabiles reiicere et idoneos Episcopo renunciare, ***ibid.***

Episcopi vero inter illos, qui ab Examinatoribus renunciati fuerint idonei, eligere debent quem caeteris magis idoneum iudicaverint, ***ibid.***

Eiusmodi peracto iudicio, praesumptio de eius rationabilitate ita Episcopis adsistit ut ad collationes convellendas innotescere debeat ipsos ad praeelectionem processisse ***dolo*** vel ***fraude*** aut immodice affectione; adeo ut ipsa Tridentina forma neglecta fuerit, ***ibid.***

In concursu alicuius beneficii coram Episcopo et Examinatoribus peracto, potest etiam ab eisdem praeferri ei, qui scientia praecellit, ille qui prudentia moribusque aptior videatur ad gubernandam Ecclesiam, ***ibid.***

Consuetudo.

Consuetudo quoque hominum memoriam excedens, bona fide iustaque titulo suffulta habet vim legis, seu voluntatis pii testatoris; si praecipue originem ducat a tempore, quo eiusmodi voluntas patuit coaevis, quorum intererat oppositionem facere et non fecerunt, ***pag.*** 23.

Decimae.

Renuentes solvere decimas, aut impedientes quominus ab aliis solvantur ex ***Conc Trid. Sess. 25,*** *o.* ***12, de ref.*** excommunicatione plectuntur, nec absolvi queunt ab hoc crimine, nisi plena restitutione sequuta, ***pag.*** 266.

Parochiani tenentur solvere decimas proprio Parocho propter Sacramentorum administrationem; vel etiam Parocho alieno, dummodo isti debeantur sive per privilegium sive per immemorabilem consuetudinem, ***ibid.***

Ecclesiae filiales tenentur ad praestandas decimas erga Ecclesiam matricem, quoties ista in territorio filialium saltem retineant iurium antiquorum partem (uti signum suae plenae iurisdictionis) et ius decimandi super easdem sive per privilegium sive per immemorabilem consuetudinem, ***ibid.***

Requiritur tamen ut matrix et filiales Ecclesiae subiectae sint eidem auctoritati Episcopali, et intra limites unius et eiusdem Dioecesis ut matrix decimandi iure potiatur super filiales, quamvis de caetero, ius illud certum et antiquissimum sit, ***ibid.***

Diversitas Dioecesium omnia abrumpit vicissitudinis vincula; omnemque adimit tum superioritatis, tum subiectionis ideam quoad parochos unius Dioecesis erga parochos Dioecesis alterius, ***ibid.***

Proindeque nemini ecclesiastico ius decimandi super ecclesiasticos alterius Dioecesis esse po-

Distributiones.

Electio.

Episcopus
quoad Seminarii Deputatos.

Exemptio a Parochi
iurisdictione.

Iubilatio.

Iura parochialia.

Ius suffragandi.

Matrimonium quoad impedimentum raptus.

Matrimonium ratum.

contagiosus, quo vir, vel mulier laboret; ita ut ex carnali eorumdem coniunctione adsit (ex medicorum iudicio) periculum infectionis notabiliter noxiae; aut pars sana ita a concubitu orrescat, ut id moraliter impossibile fiat: impossibilium enim nulla est obligatio, ***ibid.***

Gravissima inter coniuges dissidia, quae probabiliter censentur finem non habitura, et gravis timor magni scandali cum periculo vitae aeternae, recensentur inter causas dispensandi super matrimoniis tantum'ratis, ***ibid.***

Ex S. C. C. eruitur probationes matrimonio rato favorabiles haud infirmari ex facto cohabitationis coniugum per aliquod tempus in eadem domo: et aliquando easdem probationes admissas fuisse absque physico mulieris examine, ***ibid.***

Pro dispensatione super matrimonio rato obtinenda adesse debet probatio omnino concludens de non consummatione matrimonii; atque iuxta, gravisque causa requiritur, quae' dispensationem eiusmodi suadeat, *pag.* 329.

Matutinum quoad anticipationem.

Canonici haud obligantur tantum ad matutini et laudum recitationem sed insuper obstringuntur ad onus istud implendum intra tempus a iure praescriptum; eoquod non solum faciendum est quod convenit, sed eo modo, quo convenit, *pag.* 47.

Tempus a SS. Canonibus praefinitum ad horarum Canonicarum recitationem in choro rite perficiendam, incipit a media nocte et ad sequentem mediam noctem desinit, ***ibid.***

Potest tamen, iuxta et rationabili interveniente causa, opportuniorem institui variationem; tum quoad matutini tum quoad laudum recitationem in choro per privilegium speciale, indulto pontificio concessum, ***ibid.***

Inter causas vero iuxtas, quibus matutini anticipationis privilegium concedi solet, recensentur aeris inclementia, regionis intemperies, et aeta-s ingravescens Canonicorum nonnullorum, ***ibid.***

Indultum pontificium eiusmodi privilegium conferens aliquando perpetuum aliquando temporaneum esse solet iuxta causam sive temporaneam, sive perpetuam, quae adducta fuit, ***ibid.***

Temporaneae et variationi subiectae censentur causae; parvus inservientium numerus, aetas aliquorum Canonicorum ingravescens, et adversa eorumdem valetudo, nec non necessitas administrandi poenitentiae Sacramentum per Capitulares, ***ibid.***

Ideoque nulla temporis limitatione coarctari indultum pontificium solet, si concessionis causa fuerit suapte natura perpetua, ceu reputatur aeris inclementia, regionis intemperies et loci situs alpestri», ***ibid.***

Minores S. Francisci quoad vias ferratas.

Licitum est fratribus Franciscanis iter facere in viis ferratis; neque id ullo modo comprehendi sub regulae prohibitione ceu aequitate, *pag.* 427.

Currus enim vaporis impetu adacti haud aequiparari possunt

Missae Conventualis.

Missae quoad binationem.

Parochus quoad praedicationem.

Paroecia quoad remotionem.

Paroecia quoad translationem.

Pensio quoad caducitatem.

Praesentatio quoad beneficium.

norum cum praesentatorum iura quaesita; vulnus infertur famae ipsius praesentati, et grave imminet animabus periculum, si beneficium parochiale sit, *ibid.*

Sacrorum Canonum iurisprudentia admittit recursum ad Sanctam Sedem, quoties ille, ad quem instituere pertinet aut nimis differat, aut aperte contra ius renuat institutionem dare, ***ibid.***

Regulares quoad beneficia saecularia.

Regulares, praevio Apostolico indulto, et iustis adstantibus causis, consequi possunt saecularia beneficia, curam animarum habentia, *pag.* 368.

Constat enim usque a primis Ecclesiae temporibus per R. Pontifices indultum fuisse Ecclesias paroeciales obtineri posse a Regularibus viris; qui gravitate morum (ut Papa Siricius ait) et vitae fideique instituto, prae aliis commendarentur, *pag.* 369.

Proindeque axioma « *beneficia regularia regularibus, saecularia, saecularibus sunt conferenda* » respicere dicendum est beneficia tantum simplicia, *ibid.*

Itemque ex Canonum iurisprudentia colligitur quod, ceu Regulares capaces sunt beneficiorum, quae curam *fori externi* habent; quia iidem ad Episcopatum evelli possunt; ita capaces sunt ex DD. sententia beneficiorum, quae tantum habeant curam *fori interni,* uti sunt Ecclesiae paroeciales, *ibid.*

Huc accedit quod Concilia varia et praecipue Tridentinum, admittunt atque moderantur praxim conferendi Regularibus Ecclesias parochiales; et Pius VI Bulla dogmatica ***Auctorem fidei*** uti falsam et exitiosam danmaverit oppositam sententiam, ***ibid.***

Uniones beneficiorum saecularium cum Monasteriis fieri possunt duplici modo. 1.° ***quoad temporalia,*** quando nempe decimae reditusque Paroeciae cum iure praesentandi Rectorem Monasterio tribuuntur, relicto Episcopo instituendi iure; ***2.° pleno iure*** quando, praeter temporalia in Monasterio transfertur cura animarum, ita ut principalis rector esse censeatur Abbas Monasterii, ***ibid.***

Regulares quoad privilegia.

Regulares extra claustra degentes, temporum nequitia, aequiparari possunt Sacerdotibus saecularibus; ideoque totaliter eximi nequeunt a iurisdictione Ordinarii loci in quo degunt, ***pag.*** 115.

Quapropter, his in adiunctis, si propriis superioribus subesse debent quoad disciplinam regularem, et obligationes promanantes a regulari disciplina, et cum novo statu compatibile»; quoad vero politiam et disciplinam ecclesiasticam iurisdictioni Episcoporum subesse debent, ***ibid.***

Hinc etiam ex DD. quibusdam Episcopi possunt relaxare censuras contra Regulares contumaces degentes et delinquentes extra claustra; et id si non tamquam iudices, tamen sicuti iuris executores, sive tamquam Sedis Apostolicae delegati, ***ibid.***

Ordinarii possunt quoque moderari pro eisdem Religiosis, extra claustra degentibus, facultatem celebrandi SS. Missae Sa cri ii < ' .o. audiendi fidelium confessiones, nec non Sanctum Evangelium praedicandi, ***ibid.***